NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
1 E
10
13 — 1. h. 35
H.V.22
Digitized by Google

Digitized by Google

DE IVRE ABBATVM,
ET PRAELATORVM,

Tàm Regularium, quàm Secularium Episcopis inferiorum.

TOMVS SECVNDVS.

In quo de eorum potestate spirituali in vniuersum, præsertim quoad Pontificalia, & Ecclesiæ Sacramenta, ac Sacramentalia, Ecclesiasticas censuras, & omnia tàm solemnia, quàm simplicia Vota copiosè differitur,

Conciliorum, Sacrorum Canonum, Constitutionum Pontificum auctoritate; Necnon Sanctorum Patrum Sententijs, Legislatorum Regularis Disciplinæ Regulis, & omnium Religionum Decretis, Theologorum, & Iusdicentium placitis, iuxtà Romanæ Curiæ praxim illustratus.

Quibus omnibus Sacræ Rotæ Romanæ Decisiones quamplurimæ, potissimùm recentissimæ accedunt, cum duplici Indice.

AVCTORE

D. ASCANIO TAMBVRINIO DE MARRADIO

Monacho Vallis Vmbrosæ, Sacræ Theologiæ Magistro.



coll. 55. Blasij et cont.

ROMAE, Ex Typographia Reu. Cameræ Apost. M.DC.XXX.

SVPERIORVM PERMISSV ET PRIVILEGIO.

Digitized by Google

AB A E 10

ILLVSTRISSIMO, ET REVERENDISSIMO DOMINO

D. FRANCISCO VSIMBARDO

CAMERÆ APOSTOLICÆ CLERICO,

AC DOMINO SVO CLEMENTISSIMO.

DIV ad te (Illustrissime, & Reuerendissime Domine) festinat hoc de Iure Abbatum opus. Etenim iam ante superiorem Iubilæi annum, quod te æquissimum Iudicem habuerit, iure meritò in præsenti tutissimum sibi Patronum adoptat. Nulla porrò ratio alteram hanc lucubrationum mearum partem tibi multò antè desponsam auferet, quin etiam tibi plurimis, maximisq; de causis debitam omnia mea consilia reddendam suadeant. Quæ, si minus, ac volui, atque tibi fuerat visum ad summam peruenit, omni tamen contentione, vt perueniret, elaboraui. Plura in ea multis nominibus tua tibi reddi non donari a me animaduertes. Namq; is es, qui tuæ pariter munificentiæ opibus, atque doctrinæ, sapientiæq; copia meas has vigilias iuuare volueris; Et quod primò parua mole sua, rerum tamen tractatione vberrima, atque vtilissima tibi viro prudentissimo placuerat, ad id magnitudinis tua me hortamēta, & auxilia in hoc ipsum collata perduxerint, vt iusti operis formam arbitrer obtinuisse; Siquidem mihi alioqui hac in re egentissimo bibliotheca tua semper patuit, patuitq; semper aditus, quo te in rebus difficillimis consulerem, vberrimæq; doctrinæ auctorem, suasoremq; haberem, donec ad vmbilicum vsque liber hic, & labor perueniret. Qua in re huiusmodi, tam mediocris ingenij mei partus eam accepit pretij amplitudinem vt tibi illum non quasi alienum, sed opus tuæ mentis, commendatum exponerem. Suadent id præterea innumera beneficia, quæ alias in me collocasti: Quod me in tuorum clientum numerum retuleris; Quod tu in amplissima familia natus, quod proba, atque egregia mentis indole auctus domesticis exemplis Vallumbrosanos Monachos tuendi abundas. Cum tui maiores eosdem donationibus, ijsdem creberrimis, & amplissimis sint prosecuti. Declarat id Sacellum summa Illustrissimi Patrui tui Laurentij pietate, summoq; splendore in

re in Æde Sanctissimæ Trinitatis Florentiæ, magnificentissimè extructum: Declarant denaria eximia in eadem posita: Declarat vestium pretiosarum, sacrarumq; excellentia; Et demùm tuorum in nos voluntatem, ac mentem id apprimè declarat, quod insignes viri, ex nobilissima tua familia, quorum vberrima quasi Seges excreuit, sanctissimorum Præsulum, & Optimatum, magnarum rerum tractatione illustrium, quique Principum gratia, Reipublicæ præcipua lumina habiti, in nostra eadem Ecclesia tumulari, & conquiescere voluerunt. Horum nos beneficiorum memoriam grati animi significatione colemus sempiterna, neque hanc vlla delebit obliuio, dùm tibi, tuisq; pro amoris magnitudine meritorum etiam multitudine in me, nostrumq; Ordinem pares gratias, non dicam referre, sed ne agere quidem posse profitemur. Iam verò tu ea, qua soles, erga me voluntate, mea hæc, tua inquàm suscipe, meq; maximis rerum momentis tibi deuinctissimum, vt facis, ama, complectere, & tuere. Ipse enim Deum Optimum Max. vt te diù incolumem, auctumq; honoribus Diuorum Cœtui seruet perpetuò, atque enixè precabor. Vale ex Monasterio Sanctissimæ Trinitatis Florentiæ Kal. Octobr. Anno post partum Deiparæ supra millesimum sexcentesimum vigesimo nono.

Illustriss. & Reuerendiss. Dominationis tuæ.

Deuinctissimus Seruus.

D. Ascanius Tamburinus
Monachus Vallisumbrosæ.

INDEX DISPVTATIONVM
ET QVÆSITORVM,
Quæ in hoc Secundo Tomo, iuxta ordinem, quo digesta sunt, continentur.

DISPVTATIO I.
De Iurisdictione Abbatum, & aliorum Prælatorum inferiorum in communi. Quæsita quinque continet.

DISPVTATIO II.
De potestate Abbatum quoad Sacramentum Ordinis. Quæsita triginta continet.

DISPVTATIO III.
De potestate Abbatis quoad Sacramentum Confirmationis. Quæsita duo continet.

a 2 DI-

Digitized by Google

DISPVTATIO IV.

De potestate Abbatis quoad Sacramentum Baptismatis. Quæsita duo continet.

DISPVTATIO V.

De potestate Abbatum, & Prælatorum inferiorum circa Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum, & Missæ sacrificium. Quæsita decem continet.

DISPVTATIO VI.

De officio, & potestate Abbatis, & aliorum Prælatorum inferiorum, quoad Sacramentum Pœnitentiæ. Quæsita vigintiunum continet.

DISPVTATIO VII.

De officio, & potestate Abbatis, & aliorum Prælatorum inferiorum, quoad Sacramentum Extremæ Vnctionis. Quæsita tria continet.

DISPVTATIO VIII.

De potestate Abbatum, & aliorum Prælatorum inferiorum, quoad Sacramentum Matrimonii. Quæsita quinque continet.

Digitized by Google

DISPVTATIO IX.

De potestate Abbatum, & Prælatorum inferiorum quoad Indulgentias, & absolutiones concedendas. Quæsita quinque continet.

DISPVTATIO X.

De potestate Abbatum, & Prælatorum inferiorum circa Diuini Officij, & Horarum Canonicarum recitationem. Quæsita quindecim continet.

DISPVTATIO XI.

De potestate Abbatum, & Prælatorum inferiorum circa Officium Prædicationis. Quæsita quatuor continet.

DISPVTATIO XII.

De potestate Abbatum & Prælatorum inferiorum circa Ieiunium. Quæsita vndecim continet.

DISPVTATIO XIII.

De potestate Abbatum, & Prælatorum Regularium quoad casus sibi reseruandos, & absolutionem ab eis præstandam. Quæsita tredecim continet.

4 *Vtrùm*

DISPVTATIO XIV.

De potestate Abbatum, & Prælatorum inferiorum ad ferendum excommunicationes: necnon ab eis absoluendum. Quæsita decem & septem continet.

DISPVTATIO XV.

De potestate Abbatum, & Prælatorum inferiorum quoad suspensiones ferendas; necnon ab eis absoluendum. Quæsita octo continet.

DISPVTATIO XVI.

De potestate Abbatum, & Prælatorum inferiorum quoad Interdictum, & cessationem à Diuinis ponendum, necnon ea tollendum.
Quæsita decem continet.

DISPVTATIO XVII.

De potestate Abbatum, & Prælatorum inferiorum quoad absoluendum ab Irregularitatibus. Quæsita octo continet.

DISPVTATIO XVIII.

De potestate Abbatum & Prælatorum inferiorum ad dispensandum in votis. Quæsita nouem continet.

DISPVTATIO XIX.

De potestate Abbatum, & aliorum Prælatorum inferiorum ad commutanda vota. Quæsita duo continet.

DISPVTATIO XX.

De potestate Abbatis, & aliorum Prælatorum quoad votum solemne Obedientiæ. Quæsita tresdecim continet.

DISPVTATIO XXI.

De officio, & potestate Abbatis, & aliorum Prælatorum inferiorum, quoad votum solemne Paupertatis. Quæsita decem & octo continet.

DISPVTATIO XXII.

De potestate Abbatum, & aliorum Prælatorum quoad solemne Castitatis votum. Quæsita quatuor continet.

DISPVTATIO XXIII.

De potestate Abbatum, & aliorum Prælatorum Regularium ad vota irritanda. Quæsita duodecim continet.

Imprimatur, si videbitur Reuerendiss. P. Magistro Sacri Palatij.
A. Episcopus Bellicastren. Vicesgerens.

Ex Reuerendissimi P. Fr. Nicolai Rodulfij Sacri Apost. Palatij Magistri iussu vidi, & diligenter recensui Secundum Tomum de Iure Abbatum, cæterorumq; Prælatorum tàm Regularium, quàm Secularium Episcopis inferiorum, Auctore admodum R.P.D. Ascanio Tamburinio Monacho Vallisvmbrosę, S. Theologiæ Magistro, & nihil inueni quod sanctæ, & Catholicæ Fidei, aut bonis moribus repugnet, immo Opus esse censeo impressione dignissimum. In Vrbe hac die 28. Februarij 1628.
Augustinus Barbosa.

Ego infrascriptus de mandato Reuerendiss. P. Fr. Nicolai Rodulfij Sacri Palatij Apost. Magistri diligenter perlegi Secundum Tomum de Iure Abbatum cæterorumq; Prælatorum tàm Regularium, quàm Secularium Episcopis inferiorum, à R. P. D. Ascanio Tamburinio Vallisvmbrosæ Monacho, S. Theol. Doct. exaratum, & nil in eo inueni quod à Catholica Fide dissonum sit, aut bonis moribus aduersetur, immo dignissimum censeo quod typis committatur. In fidem scripsi manu propria die 6. Martij 1628.
Ita censebam. Don Horatius Morandius Abbas Sanctæ Praxedis de Vrbe Congregationis Vallisvmbrosæ

Imprimatur.
Fr. Nicolaus Rodulfius Ord. Prædicatorum S. Palatij Apost. Mag.

DE IVRE ABBATVM ET PRÆLATORVM TAM REGVLARIVM, QVAM SECVLARIVM Episcopis inferiorum.

Tomus Secundus.

DISPVTATIO PRIMA.

De Iurisdictione Abbatum, & aliorum Prælatorum inferiorum in communi.

QVÆSITVM PRIMVM.

Vtrùm necessarium sit, in Religione reperiri Abbates, aliosq; Superiores aliquam potestatem habentes.

SVMMARIVM.

1 *Communitatem humanam sine aliquo gubernatore consistere, posse impossibile est.*
2 *Abbates, & Superiores aliquam potestatem habentes, necessarium est in Religione adesse.*

1 CERTVM sanè est in statu Religiosæ Communitatis necessarium esse aliquem, qui cæteris præsit. Impossibile enim est, humanam Communitatem sine aliquo Gubernatore consistere posse; nam vt dicitur *Prouerbior.* 11. *Vbi non est gubernator, ibi Populus corruit.* Quòd si de qualibet Communitate hoc verum est, multo magis verificabitur de Religiosa, in qua summus ordo ad perfectionis profectum est necessarius; status namquè Religionis quædam disciplina est, vel exercirium tendendi in perfectionem: quicunquè autem instruuntur, vel exercitantur, duce aliquo, siue directore, præceptoreq. indigent, cuius arbitrio, vel etiam imperio ad finem intentum perueniant. Nemo etenim ad iudicandum de his, quæ sibi ad perfectionem, & ad eligendum inter illa expediunt, sufficientem se existimare debet. Quod D Basilius *in const. Monast. cap.* 23. *circa finem* ostendit dicens. *Illud firmißimum tenendum est, rem esse difficillimam, se ipsum cognoscere, & curare, propterea quod naturaliter se ipsum quisquis amat, & quilibet, quia naturaliter in se propensus est, in veritatis iudicio fallitur. At verò ab alio curari, cognosciq. facile est; cum ei, qui alios regit ad veritatem discernendam nequaquam obstet sui ipsius*
2 *amor.* Igitur necessarium est, vt Religiosi in his, quæ ad Religiosam vitam spectant, alicuius instructioni, & imperio subdantur, qui omnes eorum actus moderetur, & regat, & cui ab ipsis obedientia præstetur. Vnde D. *Hieron. in Regul. Monach. cap de obed.* sic ait. *Neque ipse te doceas, nulla ars absque Magistro discitur, etiam muta animalia, & ferarum greges ductores sequuntur suos. In Apibus Prin-*

Digitized by Google

ripes fiunt; grues quoque vnum sequuntur. Imperator vnus: Iudex vnius Prouinciæ. Roma, vt condita est, duos fratres simul Reges habere non potuit, & fratricidio dedicatur. In Rebeccæ vtero Iacob, & Esau bella gesserunt. Singuli Ecclesiarum Episcopi, singuli Archipresbyteri; & omnis Ordo Ecclesiasticus suis Rectoribus nititur. In naui vnus Gubernator, in domo vnus Dominus; in quouis grandi exercitu vnius signum expectatur; & ne plura replicando legenti fastidium afferam, per hæc omnia ad illa tendit oratio, vt doceam te non tuo arbitrio relinquendum, sed viuere debere in Monasterio sub vnius disciplina Patris. Cognito ergo, quòd in Religiosa Communitate necessarium est vnum caput, & vnus Superior, qui cæteris sit in bene viuendo dux, eosque in viam perfectionis verbo, & exemplo dirigat, videndum est, quæ, & quotuplex potestas in eo reperiatur.

QVÆSITVM II.

Quotuplex sit potestas Abbatum.

SVMMARIVM.

1 *Potestas alia dominatiua, alia iurisdictionis, & quænam sint?*
2 *Potestatem duplicem habent Abbates, & Prælati Regulares exempti, dominatiuam scilicet, & iurisdictionis.*
3 *Potestas Ecclesiæ alia Ordinis, alia iurisdictionis.*
4 *Potestas iurisdictionis quæ sit, ostenditur.*
5 *Potestas Ordinis quæ sit, ostenditur.*

1 NOtandum est, duplicem esse potestatem, alteram dominatiuam, seu œconomicam, alteram politicam, seu iurisdictionis. Per potestatem iurisdictionis in præsenti intelligimus, potestatem spiritualem, ad claues Ecclesiæ pertinentem, & consequenter à Christo Domino traditam, vel deriuatam, medio Summo Pontifice eius Vicario, vel alijs Episcopis. Per potestatem dominatiuam intelligitur ius acquisitum Religioni, atquè eius Prælatis ad imperandum Religiosis, eorumq. operibus vtendum, pro vt conueniens iudicauerint: quæ potestas, si in Religione reperitur, non pertinet ad claues, nequè à Christo deriuatur per specialem donationem Ecclesiæ factam; sed manauit radicaliter à voluntate eorum, qui talem Regulam professi sunt, & tradiderunt se Religioni, cum promissione, & obligatione obediendi secundùm illam.

2 His notatis, dicendum est, in Abbate Regulari duplicem hanc potestatem reperiri dominatiuam scilicet, & iurisdictionis. De potestate dominatiua patet ex his, quæ dicta sunt in antecedenti quæsito; eo ipso enim, quòd quis in aliqua Religione professionem emittit per obedientiæ votũ, abnegat se ipsum, tradendo se eius Superiori, & totam suam voluntatem in illum transferendo. Homo enim non se priuat dominio in se ipsum, nisi quatenus illud in alium transfert. Ergo per hanc abdicationem, seu abnegationem, seu oblationem propriæ voluntatis, & translationem dominij proprij in se ipsum in Abbates, & Prælatos Religionis oritur in eis potestas dominatiua singulorum Religiosorum ita se tradentium, quæ est distincta à potestate iurisdictionis, atquè ab ea separabilis, vt probat *Suar. de Relig. tom. 3. lib. 2. cap. 18. num. 6. & seq.* de potestate iurisdictionis, probatur.

Supposito enim, quòd Religiones exemptæ sint, totà iurisdictio, quam Episcopi in ipsos Religiosos habebant, & habent in Clericos seculares sibi subditos, translata est in Abbates, & Prælatos Regulares. Quod sequitur necessarió ad ipsam exemptionem; eo ipso enim quòd Religio ab Episcoporum iurisdictione eximitur, remanet immediatè subiecta solius Summi Pontificis iurisdictioni; at non poterat conuenienter immediatè regi per Sũmum Põtificem, aut per eius Commissarios, vel delegatos; in omni Congregatione necessarij sunt ordinarij Pastores, quibus illius cura ex vi sui muneris incumbat. Si igitur vigore exemptionis huiusmodi proxima cura Episcopis non competit, necessarium est, vt proprijs vniuscuiusquè Religionis Prælatis incumbat.

Vnde inferunt communiter Doctores, Abbatẽ, & Prælatum etiam Conuentualem singularum Religionum exemptarum esse verè, ac propriè Prælatos; vt per *gloss. in Clem. 1. verb. Prælat. de elect.* vbi *Card. & alij*, & à nobis satis probatum est *in primo tomo disp. 1. quæst. 3.* Prælatus autem verè, & propriè ille dicitur, qui habet iurisdictionem spiritualem, & Ordinariam fori contentiosi, vt docet *Panormit. in cap. cùm Ecclesiarum, de officio Ordin.* & sumitur *ex c. 2.* iuncta *gloss. vlt. de* Iudic. vbi etiam *Decius Panormitan. & alij.* Si ergo Abbates & Superiores Religionum exemptarum veri, & proprij Prælati sunt, vtique habent iurisdictionem spiritualem ordinariam fori contentiosi; videatur *Suar. de Relig. tom. 4. tractatu 8. lib 2. cap. 1. num. 6.*

3 Rursus potestas Ecclesiastica diuiditur in potestatem iurisdictionis, & in potestatem Ordinis.

4 Potestas iurisdictionis diuiditur in illam, quæ dicitur simplicis iurisdictionis, ad quam spectat iudicare, excommunicare, suspendere, interdicere, corrigere, beneficia conferre, instituere, vnire, & his similia: & in illam, quæ pertinet ad dignitatem Episcopalem, cuius meminit *tex. in cap. accedentibus, de excess. Prælat.* scilicet cognoscere de causis matrimonialibus, publicas pœnitentias iniungere, & indulgentias concedere, de quibus omnibus suo loco specialiter tractabimus.

5 Potestas Ordinis vocatur illa, quæ est ad quoscumquè actus sanctificandi, consecrandi, aut solemniter benedicẽdi rem aliquam, aut personam, & consistit in Chrismatis, & Olei infirmorum confectione, Confirmatione, Ordinum collatione, & Ecclesiarum, Altarium, vasorum diuino cultui dicatorum, campanarum, & Virginum consecratione; Abbatum, Abbatissarum, vestium, aliorumq. Ecclesiasticorum ornamentorum benedictione; Ecclesiarum, ac Cœmeteriorum pollutorum reconciliatione, *cap. quamuis 68. distinct. gloss. in cap. transmissa, de elect. gloss. penult. in cap. aqua*, & ibi *Panorm. num. 8. de consecrat. Eccles. vel Altar. gloss.*

t. in cap. quia periculosum, de sent. excom. in 6. Panorm. in cap. quanto, de consuet.

Porro potestas Ordinis, & dignitatis Episcopalis de Iure communi non competunt alicui inferiori Prælato, qui Episcopus non sit, *vt d. cap. quãto. de consuet. & d. cap. aqua. de consecrat. Eccles. vel Altar. & de excess. Prælat. cap. accedentibus.* Verùm ex specialibus Sedis Apostolicæ priuilegiis nonnulla eorum Abbatibus conuenire passim infra in hoc libro, Deo dante, ostendemus.

QVÆSITVM III.

Vtrùm hæc iurisdictio in Abbatibus, & Prælatis Regularibus sit de Iure diuino.

SVMMARIVM.

1 *Suarij opinio negatiua refertur.*
2 *Iurisdictionem Abbatibus, & Prælatis Regularibus cõpetere de Iure diuino probatur multis rationibus.*
3 *Respondetur ad obiecta.*

1 P. *Franciscus Suarez tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 1. num. 7.* nititur probare negatiuam partem pluribus rationibus, quarum aliquæ hic afferentur. Prima: quod ab Ecclesia non semper fuit obseruatum, non est de Iure diuino: sed non fuit semper in Ecclesia obseruatum, Abbates hac iurisdictione potiri, non enim semper illam habuerunt; ergo non est de Iure Diuino. Minor probatur exemplo Sanctorum Antonij, Hilarionis, Pachomij, & Benedicti, qui talem iurisdictionem non habuerunt; quia non erant Clerici. Secundò talis modus Prælationis, scilicet, Abbatis, vel cuiuscunquè Prælati Regularis, immediatè est institutus ab Ecclesia, & non à Christo Domino; nec talis institutio fuit ex aliquo præcepto diuino, sed ex prudenti Summorum Pontificũ arbitrio: ergo &c.

2 At *Medina lib. de indulg. cap. 24.* asserit, Abbates, Prælatosq. Regulares iurisdictionem hanc habere Iure Diuino: quod dicit grauissimos Auctores affirmasse.

3 Quam sententiam secuti sunt postmodum *Eman. Rodr. tom. 1. quæst. Reg. q. 17. art. 2. & Miran. in man. Prælatorum, tom. 1. quæst. 13. art. 4. & Franc. Coriol. in tract. de casib. reseru. part. 1. sect. 1. art. 3.* qui refert Sotum, & Bannes, & ipsum Suariũ fuisse huius opinionis; cui vt magis communi, & à pluribus amplexæ mihi etiam subscribere libuit. Adeò asserendum videtur Abbatibus iurisdictionem de Iure diuino competere. Probatur hæc conclusio; quia Prælati Ecclesiæ illam habent iurisdictionem, de qua *Matth. 18. Dic Ecclesiæ, si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus, & publicanus:* vbi nomine Ecclesiæ, Prælati intelligũtur: vt inter alios interpretatus est S. Io. Chrysostomus; sed Abbates, & superiores Religiosorum verè & propriè Prælati sunt; ergo habent iurisdictionem ex Iure Diuino.

Secundò Episcopi habent iurisdictionem ex Iure Diuino ex multorum sententia; sed Abbates quo ad iurisdictionem sunt similes Episcopis; *cap. Abbates, de priuileg. in 6. & gloss. in clem. vnic. de reb. Eccles. non alien. verb. proprij.* Et nos inferius probabimus; ergo deducto argumento à simili, Abbates etiam habebunt iurisdictionem ex Iure Diuino, sicut Episcopi. Episcopos habere iurisdictionem de Iure Diuino, præter alios defendit *Vict. de potest. Eccles. q. 2. num. 28. Sot. lib. 10. de iust. & Iure q. 1. art. 4. Alfons. de Castr. lib. 2. de iusta hæres. punit. cap. 24. & alij.*

Præterea quando Christus *Matth. 18.* inquit. *Quæcunquè solueritis super Terram &c.* non solùm locutus est cum Apostolis, verum etiam cum omnibus Prælatis, vt ait *Roffen. in art. 9. contra Lutherum;* tradens illis iurisdictionem in foro interiori & exteriori, vt placet *Soto in 4. distin. 22. quæst. 1. art. 1. & 2.*

Cùm igitur Abbates sint verè, & propriè Prælati; illis etiã intelligitur tradita iurisdictio à Christo Domino, & sic eam habent de Iure Diuino.

3 Respondeo itaquè ad primum argumentum; & admissa maiori, etsi in Antonio, Pachomio, & Benedicto, cæterisq. primis illis Abbatibus, qui Clerici non fuerunt, huiusmodi iurisdictio non extiterit, sed in Episcopis, vel Presbyteris: tamen hæc eadem iurisdictio erga Monachos fuit à Christo Apostolis tradita sub eadem ratione, vt ligarent, & soluerent omnes fideles, qui in primitiua Ecclesia Religiosam vitam colebant: nam Apostoli Regularem vitam sectati sunt, ac Religiosos instituerunt, vt diximus *in 1. tomo disput. 2.* Certum autem est, illos habuisse iurisdictionem sibi à Christo collatam, quæ postmodum, & si quo ad seculares in Episcopos translata sit; tamen primò, & principaliter fuit tributa à Christo Domino eisdẽ Apostolis, qui fuerunt verè Religiosorum Prælati, ex dictis. Itaquè licet primi illi Abbates hanc iurisdictionem actu non habuerint, tamen habuerunt eam habitu.

Ad secundum breuiter respondeo. Præmisso, quòd Sancti Apostoli fuerint Monachorum institutores, & legislatores, vt dictum est *ead. disp. 2.* sequitur quòd Prælatio Regularis non ab Ecclesia immediatè, sed à Christo Domino instituta fuit.

QVÆSITVM IV.

Vtrùm Abbatum, & aliorum Prælatorum inferiorum potestas, & iurisdictio sit Ordinaria.

SVMMARIVM.

1 *Iurisdictio Ordinaria reperitur in Abbatibus, & alijs inferioribus Prælatis, sicut in Episcopis.*
2 *Prælati habentes iurisdictionem Episcopalem in sua Diœcesi, in iurisdictione non distinguuntur ab Episcopis.*
3 *Prælati habentes iurisdictionem in sua Diœcesi Ordinariam, possunt illam alijs delegare.*
3 *Priores claustrales, qui in Monasterio post Abbatem sunt primi, an habeant iurisdictionem Ordinariam vel delegatam.*
5 *Prioribus claustralibus mortuo, vel remoto ab officio Abbate, aut eo absente, competit tota Monasterij iurisdictio.*

1 EX his, quæ hactenus resoluta sunt in superioribus huius disputationis quæsitis, satis constat quid in præsenti sit resoluendum. Si enim talis iurisdictio de Iure Diuino omnibus Ecclesiæ Prælatis modo supradicto concessa est, profectò cōcludendum erit, iurisdictionem hanc esse Ordinariam eo modo, quo est in Episcopis respectu suorum subditorum; & hoc potest sic probari; quia potestas competens alicui ex commissione perpetua, non temporali, dicitur Ordinaria, vt colligitur ex *Bart. in l. 1. §. si plures. ff de exercit. act. & Panorm. cap. quoniam. de off. deleg. §. certum. nu. 1.* sed Abbatis potestas ex perpetua commissione illi datur, vt de se patet, nisi à Summo Pontifice auferatur; ergo est Ordinaria: confirmatur, quia
2 Abbates, & Prælati habentes iurisdictionem quasi Episcopalem in sua Diœcesi, in iurisdictione non distinguuntur ab Episcopis, sicut & Prælati locales, qui domui alicui præsunt, eadem iurisdictione quasi Episcopali fruuntur in suos subditos, vt probant *Sanchez de matrimon. lib. 2. d. 3. num. 8. Nauar. lib. 1. cons. in 2 edit. tit. de tempor. Ordin. consil. 36.* sed Episcopi habent iurisdictionem Ordinariam ex communi Doctorum sententia; ergo & Abbates; aliàs similitudo in iurisdictione non curreret, sed claudicaret.

Probatur secundò. Iurisdictio quę conuenit alicui per electionem Collegij, vel Vniuersitatis ad officium, est Ordinaria *gloss. in cap. cum Ecclesiarum, de offic. Ordin. verb. Ecclesiastica, & Panorm. in cap. suspicionis, de offic. deleg. n. 9. Siluest. verb. Prælatus*; quod etiam colligitur ex *cap. 1. de elect.* sed Abbates, & Prælati, vt dictum est in *disput. de elect.* ab Vniuersitate, vel Collegio ad munus Abbatiale eliguntur; ergo eorum iurisdictio erit Ordinaria. Probatur quartò. Iurisdictio quæ conuenit ratione officij, vel dignitatis, vel consuetudinis, est Ordinaria, ex *Innoc. & Panorm. in cap. 1. 2. & 3. de offic. Ordin.* & manifestè habetur *in l. 1. ff. de offic. eius, cui mand. est iurisd.* sed Abbatibus, & Prælatis prædictis competit iurisdictio ratione officij, & dignitatis, & etiam immemorabilis consuetudinis; ergo &c. Minor probatur; nam habens Pastorale officium Ecclesiæ approbatione institutum, debet etiam habere ratione illius iurisdictionem, sine qua tale officium vix potest intelligi, & executioni mandari; sed Regulares Prælati huiusmodi officium habent, vt in *1. tom.* satis ostensum est, ergo &c. Quòd verò habeant hanc iurisdictionem ratione dignitatis, & consuetudinis, probat *Nauar. in com. 2. de Reg. num. 63. & com. 3. num. 40.* Insuper potest eadem iurisdictio in virtute priuilegiorum ostendi; infinita enim (vt ita dicā) priuilegia Sedis Apostolicæ cōcedunt Abbatibus, alijsq. Prælatis, maximè Regularibus, iurisdictionē, eamq. Abbatibus tàm quo ad Monachos, quàm res spirituales, & temporales, competere decernunt; sed iurisdictio ex priuilegio competens non personæ, sed dignitati, & officio, est Ordinaria, & omnia iura potestatis Ordinariæ habet, *ex Bart. l. ambitiosa. num. 34. ff. de decret. ab Ordin. fac. Ioan. Andr. & Speculat. tit. de legat. §. vltimo, ad finem, Siluest. verb. delegatus. q. 4. dic. 1, Bald. cap. fin. nu. vnic. de offic. Ordin.* & ibid. *Imol ad finem Couar. 3. variar. cap. 20. num 6. in initio, Henriq. lib. 13. de excommunicat. cap. 24. num. 2.* ergo Abbates habent potestatem Ordinariam.

3 Hanc autem potestatem Ordinariam posse delegari communiter fatentur Doctores, præsertim *Felin. cap. fin. num. 8. de offic. deleg. Iason. l. à Iudice. C. de Iudic. num. 2. Siluest. verbo, delegatus. q. 8. d. 1. Angel verbo, excommunicatio 5. casu 1. nu. 39. Couar. loc. cit. Nauar in sum. cap. 27. Cordub. q. 8. de indulg. Henriq. lib. 6. de pænit. cap. 6. nu. 3. Ludouic. Lopez par. 1. instruct. cap. 284.* quod habetur in *gloss. cap. final. verb. casibus. de offic. Ordin.* & ibid. *Ioan. And. num. 3. Bald. num. vnico, Panorm. num. 3. Imol. ad finem*, & constat per ea, quæ dicūtur in *cap. fin. de offic. Ordin.*

Dices: Abbates saltem locales, qui Generali Abbati, vel Prouinciali subduntur, non habebunt hanc iurisdictionem Ordinariam, sed subordinatam, & delegatam; nam non est eadem ratio iurisdictionis Abbatum, qui Generali subduntur, cum Abbatibus, qui iam in Monasterio erant supremi; ideò ea iura antiqua, quæ illis Abbatibus Ordinariam, totamq. iurisdictionem, tàm spiritualem, quàm temporalem tribuebant, non verificantur de Abbatibus, & Prælatis Regularibus, qui non sunt supremi, sed alijs maioribus Prælatis subditi.

Respondeo. Subiectionem, quam habent nostri Abbates, & Prælati Regulares cum Generalibus, vel Prouincialibus, non tollere iurisdictionem Ordinariam ab illis, nec arguere delegatam in eisdem; immo argumentum retorquetur; nam etiam Abbates antiqui temporis, antequam eximerentur, erant subditi Episcopo, & tamen illorum iurisdictio erat Ordinaria; non est igitur cur fiat delegabilis ex eo, quòd Generali Abbati subduntur.

4 Hic autem obiter oritur difficultas, an etiam quique in Monasterio vicem gerunt Prælatorum Regularium, qui in Religionibus Monachalibus, Priores claustrales, seu Præpositi (vt plurimum) nuncupātur, & sunt primi post Abbatem in Monasterio, iux. *cap. cùm ad Monasterium, §. prior, de stat. Monach* iurisdictionem Ordinariam habeant? In qua re dicendum est, huiusmodi Priores claustrales, dum Prælatus in Monasterio adest, nihil quidem posse, quo ad ea, quæ ad potestatem iurisdictionis pertinent, nisi quantum illis ab eodem Prælato committitur; proprium enim eorum munus est, curare, vt Regularis obseruantia in Conuentu habeatur; Fratrum confessiones audire; Monasterij officinas horis competentibus visitare; Fratrū excessus corrigere, nisi tā graues extiterint, ita vt Abbati reseruentur; & his similia, circa quæ dici potest, eorum munus Ordinarium esse. Circa reliqua autem, quæ ad forum contentiosum spectant, præsente Abbate, nihil possent. Quando
5 autem Monasterium Prælatum Conuentualem non habet, puta quia vita functus est, vel suum munus absoluit, vel ab eo amotus fuit, aut aliàs à Monasterio abest, tunc Prioribus claustralibus huiusmodi comparatur tota auctoritas, & iurisdictio, quæ Abbates præsentes potirentur; nisi aliud per particulare ius Religionis, puta per eius constitutio-

nes,

Digitized by Google

nes, aut Superioris præceptum habeatur: ita enim communiter in omnibus ferè Religionibus obſeruatur; vt de Congregatione Caſinen. patet ex *cap. 65. conſt.* & teſtatur *Victorinus Manſus* eius alumnus *in tract. de mod. præcedend. in tranſ. Regular. cap. 2. ſub num.* 4. & de mea Congregatione Vallumbroſana certum mihi eſt; conſuetudo autem plurimum poteſt ad tribuendam, & tollendam iuriſdictionem, vt docet *Speculat. in tit. de offic. Ordin. §. conſtituit, per tex. in cap. dno, ex. eod. tit.* Igitur abſente mortuo, vel amoto Abbate, ſiue Prælato Conuentuali Prior clauſtralis, ſeu Vicarius cẽſebitur Ordinarius Iudex, & Prælatis Monachorũ illius Conuentus, ac Ordinarius iuriſdictionem ex vi ſui muneris in tali caſu obtinens, quod affirmãt *Silueſt. verb. Prælatus, num. 2. Ioan. Trull. de canonic. Regular. lib. 2. cap. 17. in fine, Victorin. Manſ. loco cit.* quod præcipuè verum eſt, quando idem Prior non ab Abbate tantum, ſed vel ab eo ſimul cum Conuentu, vel à Capitulo Generali, (vt in noſtra Congregatione) creatur.

QVAESITVM V.

Vtrùm omnia, quæ poſſunt Epiſcopi in ſuos ſubditos, poſſint etiam Abbates, & Prælati Epiſcopo inferiores in ſuos.

SVMMARIVM.

1 *Monaſteria, & Monachorum diſciplina ad eum olim pertinebant Epiſcopum, in cuius territorio erant conſtituta.*

2 *Abbas exemptus poteſt in ſuos ſubditos quidquid poteſt Epiſcopus in ſuos circa ea, quæ ſunt iuriſdictionis.*

3 *Eccleſiæ quando cenſeantur Abbatibus pleno iure ſubiectæ.*

4 *Iuriſdictio Prælatorum Epiſcopo inferiorum non ſimpliciter, ſed quaſi Epiſcopalis dicenda eſt.*

5 *Prælati Epiſcopo inferiores alij habent iuriſdictionem in proprio territorio, & Diœceſani dicuntur. Alij habent iuriſdictionem in loco exempto ſolùm, & dicuntur eſſe in Diœceſi alterius, vt nu. 6.*

7 *Prælati habentes territorium, & Diœceſim poſſunt omnia, quæ poſſunt Epiſcopi circa ea, quæ ſunt iuriſdictionis, niſi aliquo ſpeciali Iure prohibeantur.*

8 *Prælati exempti propriam Diœceſim non habentes, quando poſſint in ſuos ſubditos quidquid poſſunt Epiſcopi in ſuos.*

9 *Reſpondetur ad argumenta.*

1 VIdetur primo dicendum, quòd non: habetur enim ex *Concilio Arelatenſ. Monaſteria, & Monachorum diſciplina ad eum pertinent Epiſcopum, in cuius territorio ſunt conſtituta.* Et refertur in *can. Monaſteria 18. q. 2.* ergo cum Monaſteria, & Monachi quo ad omnia ſubdantur iuribus Epiſcoporum, nullum ius Abbati competere poteſt, quod ad ipſum pertineat de Iure communi, vel de Iure priuilegiorum.

Secundò præterea idem Cõcilium ſtatuit, quòd Abbates pro humiliatione Religionis in Epiſcoporum poteſtate conſiſtant, et ſi quid extra Regulam fecerint ab Epiſcopis corrigantur, vt habetur *in can. Abbates 18. qu. 2.* ergo ſi ſunt ſub poteſtate Epiſcopi, potius dici deberent Epiſcoporum ſubditi, quàm Prælati Religionum; & potius Epiſcopis deberent obedientiam præſtare, quàm cum eis de iuriſdictione diſceptare, iuxta *tex. in can. in ſumma 28 q. 1.* & iuxta *tex. in can. ſciendum 8. q. 1.*

Tertiò præterea mandat Paſchalis Papa, quòd Abbatibus, qui neque ſub Epiſcopo, neque ſub Metropolitano, neque ſub Primate, neque ſub Parochia ſunt, nullus prorſus Epiſcoporum, Epiſcopalia quælibet adminiſtret. Cùm enim nullo Epiſcopo ſubeſſe omnino profiteantur, cõſequens eſt, vt nullus Epiſcoporum, quæ ſua ſunt tanquam extraneis largiatur, & habetur in *can. Abbatibus 18. q. 2.* vbi *gloſſ. in verb. Epiſcopalia,* dicit, quòd quãuis Abbas ſit exemptus, tamen tenetur primò iura Epiſcopalia petere; ergo ſi tenetur petere iura Epiſcoporum, parum ſibi refert exemptio priuilegiorum.

2 Sed contrarium firmat *Panorm in cap. 1. num. 3. de reb. Eccleſ. non alien.* quòd Abbas, qui habet Eccleſias ſibi pleno iure ſubiectas, puta quia eſt exẽptus, tunc omnia, quæ ſunt iuriſdictionis Epiſcopalis poteſt, vt Epiſcopus exercere; per *gloſſ. in Clemen. 1. eod. tit. & Innocent. in cap. 2. de tranſact.* idem *Panorm. in cap. ſignificaſti, de foro compet.* nã talia iura poſſunt acquiri per inferiorem Prælatũ, & facit pro hoc *cap. 1. de Capellis Monac. lib. 6. & cap. cùm olim, & c. auditis, de præſcription.* tunc autem dicitur Abbas habere Eccleſiam pleno iure, quando in ea habet poteſtatem in ſpiritualibus, & temporalibus, vt notat *gloß. in cap. Abbates, in verb. pleno iure, de priuil. in 6.* facit etiam ad hoc *tex. in Clem. attendentes, de ſtat. Monach.* vbi *gloß.* item *Io. Andr.* addit ad *gloß d. cap. Abbates, verb. pleno iure,* ait. *Dicit hic Archid. Alarium ſcripſiſſe, quòd tunc Eccleſia pleno iure pertinent ad Monaſteria, quando in eis Sacerdotes inſtituunt, & omnes obuentiones percipiunt præter ſtipendia Miniſtrorum.* facit *tex. in cap. auaritiæ. extra de præben.* vbi *gloſſ. in verbo, portiones,* dicit, quòd Monachi certam penſionem aſſignant Presbyteris in ſuis Eccleſijs; & idem probatur in *cap. de Monachis eod. tit.* vbi Monachi præſentant Vicarios in Parochialibus Eccleſijs; & facit ad hoc *16. q. 2.* vbi habetur *Si verò cum omni iure tunc habent, & temporalem, & ſpiritualem inſtitutionem*: facit dictum *Panorm. in cap. cùm & plantare, de priuil. num. 5.* vbi dicit, quòd quando Eccleſia alicui inferiori Prælato conceditur, eripitur à poteſtate Diœceſani Epiſcopi, ita vt nullum ius Epiſcopale ibi exercere poſſit, quod etiam tenet *Hoſt. in cap. quoniam, de priuileg.* ſed nos videmus, quòd Epiſcopi in Eccleſijs exẽptis nullum ius exercent; ergo ſequitur, quòd tales Eccleſiæ ſubiectæ ſunt Monaſteriis pleno iure. Ex quibus clarè conſtat, quòd Abbates, qui habent Eccleſias ſibi pleno iure ſubiectas, ab Epiſcoporum iuriſdictione exempti ſunt, (vt de omnibus Regularibus Prælatis hodie certum eſt) habent etiam iuriſdictionem temporalem, & ſpiritualem, ſicut Epiſcopi; ergo quidquid poſſunt Epiſcopi in ſuos circa ea, quæ ſunt iuriſdictionis,

Digitized by Google

possunt & Abbates in suos; sed quia hæc iurisdi-
4 ctio Abbatum, & reliquorum Prælatorum Episcopo inferiorum non simpliciter Episcopalis, sed cū illa particula, *Quasi*, & ideò cum diminutione à Doctoribus communiter appellatur, sumiturquè ex *tex. in cap. Abbates, de priuileg. lib. 6.* ibi *In quos Ecclesiasticam, & quasi Episcopalem iurisdictionem obtinent*: ideò hæc generalitas limitanda est, adeo vt Abbates vniuersaliter non habeant iurisdictionem omnino Episcopali similem, nec per consequens possint in suos subditos omnia, quæ possunt Episcopi in suos. Ad quod clarius intelligendum, & explicandum, supponendum est, Prælatos Episcopo inferiores hac iurisdictione gaudentes inter
5 se differre: alij enim habent territorium separatum, & hi dicuntur esse nullius Diœcesis; adeo vt, neque in Diœcesi, neque de Diœcesi alterius sint, sed dicantur habere propriam Diœc. sim per se, respectu cuius ipsi etiam Diœcesani dicantur, & Diœcesanorū appellatione veniant, *Card. in Clemen. 1. §. volumus. q. 4. num. 2. & Panorm. num. 15. de foro compet. Sanchez de matrim. lib. 1. disput 29. num. 16. vers. ad primam confirmationem, & lib. 3. disp 2. num 12. Rota decis. 314. num. 1. par. 1. recent.*
6 Alij sunt, qui territorium separatum non habent, sed tunc in alterius Diœcesi vt exemptionam licet loca exempta non sint de Diœcesi, sunt tamen in Diœcesi, *tex. in cap. cùm Episcopus, de offic. Ordin. in 6.* dum dicit, quòd Episcopus in qualibet parte suæ Diœcesis, potest iurisdictionem Ordinariam exercere, dummodo in loco non exempto id faciat; ergo locus exemptus est in Diœcesi, facit etiam *tex. in cap. de Monialibus, de sent. excommu.* vbi dicitur, quòd Moniales absoluantur ab Episcopo, in cuius Diœcesi Monasterium situm est, & tamen *gloss.* ibi etiam intelligit de exemptis. Ita etiam *Felin* omnino videndus *in cap. graue, num. 2. per tot de offic. Iudic. Ordinar. Gonzal. super regul. 8. Cancell gloss. 43. num. 187. & seq. Put. decis. 83. lib. 3. & Rota decis. 307. par. 2. diuers. & decis. 346. num. 8. coram Illustrissimo Coccino Decano.*
7 His positis dicendum est, Abbates illos, qui habent proprium territorium, & Diœcesim, in qua iurisdictionem Episcopalem exercent, nisi aliquo speciali Iure prohibeantur, posse omnia facere, quæ faciunt Episcopi in sua Diœcesi, exceptis tamen ijs, quæ ad Ordinis Episcopalis potestatem spectant, *gloss. in cap. Ordinarij*, vbi etiam *Gemin. de off. Ordinar lib. 6. Sayr. in claui regia cap. 1. num. 83. Monet. de commutat. vltim. volunt. cap. 5. nu. 455. Rota decis. 386 coram Card. Seraph. & decis. 1052. Suar. de censur. disp. 2. 5. & 12. & disput. 28. sect. 1. Sanch. de matrim. lib. 8. disp. 2. nu. 12. ad fin. vers. secundò quia, & lib. 2. in Decalog cap. 13. num. 4. & 5. Sigismund. à Bonon. de elect. & potestat. Prælat. Regular. dub. 51. num. 3.* vbi *num. 5.* refert *Sacram Congregationem sup. cap. 10. sess. 24. de reformation. Concil. Trident.* (in quo decernitur, vt causæ matrimoniales, & criminales Episcopi tantū relinquantur cognoscendæ,) pluries, ac sæpius censuisse, illud decretum non se extendere ad Prælatos inferiores, qui nullius sunt Diœcesis, qui tamē nō habēt propriā, sed intra Episcopi Diœcesim existūt.

8 Dicendum est secundò, Abbates exemptos iurisdictionem Episcopalem, vel quasi habentes, nisi prohibeantur, posse in suos subditos quidquid possunt Episcopi in suos: vbi apparet sub nomine Episcopi intelligi omnes Episcopalem iurisdictionem quomodocunque habentes; quando verò ex circumstantijs concessis notum est, sub nomine Episcoporum non comprehendi omnes Episcopalem iurisdictionem quomodocunque habentes; sed tantummodo eam in aliqua Diœcesi possidentes: tunc sub nomine Episcopi nō venire Abbates Diœcesim, & territorium non habentes, licet quauis plenaria exemptione gaudeant e. g. in *Concil. Trident. sess. 24. de reformat. cap. 6.* traditur Episcopis ampla facultas dispensandi, cum sibi subditis in Diœcesi sua in quibuscunque casibus occultis Sedi Apostolicæ reseruatis; & tamē Abbates, & Prælati Regulares, etiam Generales, & capita Ordinum, licet plenissimam iurisdictionem habeāt sub Summo Pontifice, nihilominus non possunt ex vi illius dispensare cum suis subditis in ijs, quæ in *d. cap. Episcopis*, conceduntur; quia ex tenore illius decreti Concilij constat nomine Episcoporum non comprehendi in eo qualitercunque habentes iurisdictionem Episcopalem, seu quasi; sed illos dumtaxat eam in aliqua Diœcesi sibi subdita exercentes, vt constat ex illis verbis *d. cap. Quoscunque sibi subditos in Diœcesi sua.* At hi Diœcesim non habent, vt notarunt *Sayr. loc. cit. Sanch. in Decalog. lib. 2. cap. 11. num. 7. & alij*, quos alibi referemus suo loco. Itaque Abbates, & Prælati Regulares non possunt dici participare iurisdictionem Episcopali omnino similem, sed tamen cum diminutione, non solùm quo ad eos actus, qui Episcopalem consecrationem requirunt, vt notat *gloss. in d. cap. Abbates. verb. quasi Episcopalem, de priuil. in 6.* (Quod est intelligendum de Iure, quia ex specialibus priuilegiis secus dicendum erit, vt infra ostendemus:) sed nec etiam quo ad omnes actus puræ iurisdictionis Episcopalis; quia eorum iurisdictio nec etiam se extendit ad omnes actus; quos Episcopi vigore suæ iurisdictionis exercere possunt: quod præcipuè locum habet in Abbatibus, & Prælatis conuentualibus qui magis restrictam, & limitatam iurisdictionem habent; & ideò nequeunt omnes actus Episcopalis iurisdictionis exercere, vt v. g. leges, & statuta, & alia, de quibus suo loco dicemus.

Similiter in Generalibus etiam aliqua diminutio reperitur, saltem hæc, videlicet, quòd interdictum locale ponere nequeunt, vt ait *Suar. de censur. disp 36. sect. 1. num. 2.* Item ea, quæ specialiter conceduntur Episcopis, vt Sedis Apostolicæ delegatis, etiam si delegatio in Iure communi contineatur, non possunt prædicti Prælati, etiam Generales exercere; quia delegatio fit solùm Episcopis Item, quando, vt supra diximus, in concessione constat ex aliqua clausula, & circumstantia, sub nomine Episcoporum non venire omnes Episcopalem iurisdictionē habentes, vide *Suar. de Relig. tom. 4. tract. 8. lib. 2. cap. 2. nu. 13. & 14. Sigismund. à Bonon. d. dub. si per tot.*

9 Ad argumenta in contrarium allata *in cap. Mo-*

na-

Digitized by Google

nasteria, & in cap. Abbates, respondemus, pro vt respõsum est in corpore, vt colligitur ex *gloss.* quòd talia Monasteria, & Abbates non erant exempti, & ideò subdebantur correctioni Episcopi. Ad tertium argumentum respondemus, quòd *tex.* loquitur de illis Abbatibus, vel Clericis Regularibus, qui sunt sub nullius potestate, vt colligitur ex *glos. in d. cap. Abbatibus*, quæ allegat *tex. in can. nullus, distinc. 93.* vbi dicitur, quòd tales dicuntur Acephali, idest sine capite: & licet alia *glos. in d. cap. Abbatibus*, dicat, quòd tales Abbates quamuis sint exempti, tamen tenentur petere iura Episcopalia loci, hodie non seruatur propter multa priuilegia Summorum Pontificum; nam iura Episcopalia sunt illa, quæ pertinent ad potestatem iurisdictionis, prout *in cap. conquerente, de off. Ordin.* vbi habetur, quòd Episcopus in Ecclesiis suæ Diœcesis habet canonicam obedientiam, subiectionem, destitutionem, correctionem, reformationem, & censuram Ecclesiasticam; iurisdictionem quoque causarum omnium, & multa alia, vt in textu; quæ verba explanantur per *Panorm. ibid.* à quibus omnibus immunes sunt Abbates, & Prælati exempti vigore exemptionum cùm, & ipsi etiam habeant in Ecclesiis sibi pleno iure subiectis eamdem iurisdictionem.

DISPVTATIO II.

De Potestate Abbatum quo ad Sacramentum Ordinis.

Quæst. 1. Vtrùm Abbas habeat potestatem conferendi Ordines, & quo iure.

Quæst. 2. Qui Abbates habeant hanc potestatem Ordines conferendi.

Quæst. 3. Vtrùm ad hoc, vt Abbates minores Ordines conferre possent, necessarium sit eos esse benedictos.

Quæst. 4. Vtrùm Abbates potestatem ordinandi possint aliis delegare.

Quæst. 5. Vtrùm Abbates potuerint olim suis Monachis maiores Ordines conferre.

Quæst. 6. Vtrùm hodie Abbates possint sacros Ordines suis Monachis conferre.

Quæst. 7. Vtrùm Abbates ordinare possint Regulares non sibi subditos, vel etiam seculares.

Quæst. 8. Vtrùm si Abbas ordinaret seculares sibi, vel aliis Ordinariis subiectos, vel Regulares sibi non subditos, huiusmodi ordinatio valeret, vel taliter ordinati indigerent noua ordinatione.

Quæst. 9. Quam pœnam incurrat Abbas ordinando alios, quàm Regulares sibi subditos.

Quæst. 10. Vtrùm Abbas possit Nouitios ordinare.

Quæst. 11. Vtrùm Abbas electus, & confirmatus in Episcopum ante consecrationem subditis illius Episcopatus minores Ordines conferre possit.

Quæst. 12. Vtrùm Abbas excommunicatus, hæreticus, suspensus, aut interdictus, possit validè ordines conferre.

Quæst. 13. In quo loco, & quo tempore possit Ordines minores Abbas conferre.

Quæst. 14. Vtrùm Abbas in Ecclesia alterius Abbatis inuitatus possit Tonsuram, & Ordines minores conferre.

Quæst. 15. Vtrùm Abbas possit suos Monachos ante legitimam ætatem in sacris ordinandos ad Episcopos mittere.

Quæst. 16. Vtrùm Abbas possit vna, & eadem die, vnà, & eidem plures minores Ordines conferre.

Quæst. 17. Vtrùm Abbas possit mittere suos Monachos, vt extra tempora statuta ad sacros Ordines promoueantur.

Quæst. 18. Ad quem Episcopum debeat Abbas suos Monachos ad sacros Ordines promouendos mittere.

Quæst. 19. Vtrùm Episcopus ab Abbate inuitatus possit in eius Ecclesia Monachos ordinare, absque licentia Episcopi Diœcesani.

Quæst. 20. Vtrùm Monachi ordinandi sint ab Abbate, vel Episcopo ordinante examinandi.

Quæst. 21. Quæ idoneitas scientiæ requiratur in Monachis ab Abbate, vel ab Episcopo ordinandis.

Quæst. 22. Vtrùm Abbas dispensare possit cum suis Monachis super interstitiis, quo ad Ordines

QVÆSITVM PRIMVM.

Vtrùm Abbas habeat potestatem conferendi Ordines? & quo Iure.

SVMMARIVM.

1 *Potestas Ordinis quæ dicatur.*
2 *Episcopi sunt verè, & propriè Sacramenti Ordinis Ministri.*
3 *Potestas minores Ordines conferendi, potest simplici Sacerdoti à Summo Pontifice committi.*
4 *Potestas ordinandi Abbatibus, non de Iure ordinario, sed ex priuilegio competit.*
5 *Abbates commendatarij non possunt ordinare.*

PRo huius quæsiti intelligentia præmittendum est, duplicem esse Ecclesiasticam potestatem; nempe iurisdictionis, & Ordinis; & omissa potestate iurisdictionis, de quâ latius infra tractabitur: de potestate Ordinis sermonem instituimus.
1 Potestas autem Ordinis illa vocatur, per quam quis potest sanctificare, consecrare, aut solemniter benedicere rem aliquam, siue personam. Hæc
2 autem potestas, verè, & propriè in Episcopis reperitur; ipsi enim sunt verè, & propriè Sacramenti Ordinis dispensatores, vt decretum est per Cõcilium Tridentinum *sess.23. de Sacram. Ordin. can.4.* & latè probat *D. Thom. 3. par q.65. artic. 3. arg. 2.* D. *Bonauent. in 4. distin. 25. art. 1. q. 1. vbi Richard. art. 1. q. 1. & Palud. q. 1. art. 2. Henriq. lib. 10. cap. 21. Vasq. in 3. par. D Thom. 3. disput. 243. & 245. Reginal in prax. for. pœnit. lib. 30. tract, 1. num. 23. Coninck de Sacramentis tom. 2. disp. 20. dub. 9. num.*
3 *75.* & communiter omnes. Nihilominus respectu saltem minorum Ordinum etiam simplici Sacerdoti potest huiusmodi auctoritas ex speciali Sedis Apostolicæ facultate conuenire: Ita *Victor. de Sacram. n. 222. Valen. 2. 2. disp. 9. q. 2. pun. 1. Coninck d. dub. 9. num. 77. D. Aug. Barbos. de offic. & potest. Episc. par. 2. alleg. 3. num. 4.* Sub qua ratione hæc
4 facultas Abbatibus etiam competere potest. Si igitur aliquam facultatem in hac parte obtinent, per specialia Sedis Apostolicę priuilegia illi traditam esse oportet: & ideò ad ea recurrẽdum erit, de quibus aliqua sunt clausa in corpore Iuris: vt est *can. quoniam 69. dist.* vbi dicitur. *Abbates posse tantummodo Lectores in proprio Monasterio ordinare:* & in *cap. cùm contingat, de ætat. & qualit.* vbi idem ab Innocentio Tertio replicatur, & *cap. Abbates, de priuil. in 6.* per quod Abbates benedicti poterant minores Ordines suis subditis non solùm Monachis, verùm etiam secularibus, in quos Ordinariam Ecclesiasticam iurisdictionem habebãt, conferre, & *cap. 1. vbi gloss. verb. à non Episcopis, de ordinat. ab Episcop. qui renunt. Episc. cap. 1. vbi gloss. verb. alia, de supplen. neglig. Prælat. Bellam. Card. Butr. & Abb. in d. cap cùm contingat, Nauar.*
5 *cons. 13. num. 13. de priuileg.* Hoc autem intelligẽdum est de Abbatibus Regularibus habentibus Abbatias in titulum, non autem de commendatarijs: quia supradicta Iura potestatem conferendi minores Ordines soli Abbati benedicto, Pontificalium insignium vsum habenti, tribuunt. Abbates autem commendatarij non benedicuntur nec habent priuilegium loco benedictionis, tum etiam quia priuilegia Abbatibus, & Prælatis Regularibus concessa non extenduntur ad commẽdatarios, vt probauimus *tom. 1. disp. 16. de priuileg. Abbat. quæs. 4.* atque ita *Renat. Choppin. Monastic. lib. 1. tit. 2. num. 18.*

QVÆSITVM II.

Qui Abbates habeant hanc potestatem Ordines conferendi.

SVMMARIVM.

1 *Conditiones requisitæ in Abbate, vt possit Ordines conferre.*
2 *Nemo dat, quod non habet.*
3 *Abbas, qui non est Sacerdos, non potest ordinare.*

1 REspondeo, quòd non in omnibus Abbatibus reperitur potestas, Ordines conferendi, sed in

in ijs tantùm, qui tres infraſcriptas conditiones habuerint, vt colligitur ex *tex. in can. 1. diſtin. 69. & ex text. in cap. cùm contingat, de ætat. & qualit.* Prima eſt, vt benedictionem acceperint per ea verba *d. cap. 1. Si dumtaxat Abbati manus impoſitio facta noſcatur ab Epiſcopo, ſecundùm morem præficiendorum Abbatum:* quòd idem replicatur ab Innocentio Tertio *in d. cap. cùm contingat.* Quæ conditio an hodie ſit neceſſaria, videbimus *in quæſ. ſeq.* Secunda conditio eſt, vt ſit Sacerdos, quæ expreſsè habetur in vtroque textu allegato per ea verba. *Et conſtet, illum eſſe Sacerdotem.* Ratio autem huius eſt: tum quia collatio Ordinum eſt actus Ordinis; actus autem Ordinis non poteſt exerceri ab eo, qui
2 caret Ordine; quia nemo dat quod non habet, *l. ſi vniuerſa. C. de legat. cap. quod autem, de iure patro.* tum etiam, quia, poteſtas conferendi Ordines ſupponit poteſtatem ſupra corpus Chriſti verum, *cap. ex literis, de exceſſ. Prælat.* ſed ſolus Sacerdos habet poteſtatem ſupra Corpus Chriſti verum; ergo ſolus Sacerdos poteſt Ordines conferre: ex his patet, Abbatem, qui non eſt Sacerdos, non poſſe validè Ordines conferre. Tertia conditio eſt, vt proprijs Monachis conferant, quod indicant illa verba. *Lectores per manus impoſitionem licentia eſt vnicuique Abbati, in proprio Monaſterio ſolummodo faciendi.* An autem poſſint in alieno Monaſterio, & alios, quàm proprios ſubditos ordinare, videbimus infra.

QVÆSITVM III.

Vtrùm ad hoc, vt Abbates minores Ordines conferre poſsint, neceſſarium ſit, eos eſſe benedictos.

SVMMARIVM.

1 *Benedictio non datur propter officium temporale.*
2 *Abbates non benedicti non poſſunt etiam ordinare.*

OLim ſecundùm Ius commune antiquum, Abbates, ante benedictionis ſuſceptionem, non poterant Ordinis actus exercere, vt videtur ſignificari in *cap. cùm contingat, de ætat. & qualitat* vbi Innocen. III. concedens Abbatibus, vt poſſint ſuis Monachis Lectoratum conferre, ait. *Dummodo ipſis ab Epiſcopo (ſecundùm morem præficiendum) manus impoſitio facta noſcatur:* per manus autem impoſitionem ibi nihil aliud, niſi benedictio intelligitur; vt exponit *gloſſ.* & notat *Panormit. ibi in princ. & communiter Doctores;* poſtea hoc ius ex parte ampliatum eſt ex conceſſione Alexandri III. Ciſtercien. facta, quod eſt priuilegium 6. eis conceſſum, & habetur in *cap. 1. de ſuppl. neglig. Prælat.* vbi voluit; *Vt ſi Epiſcopus tertio cum humilitate, ac deuotione, ſicut conuenit, requiſitus Abbates benedicere renuerit; liceat Abbatibus, proprios Monachos benedicere, & alia, quæ ad huiuſmodi officium pertinent, exercere; donec ipſi Epiſcopi ſuam duritiem recogitent, & Abbates benedicere non recuſent:* vbi *gloſſ. in verb. alia,* intelligit, vt conferant Lectoratum in proprio Monaſterio; quod approbatur à *Panormit. ibi nu. 2. verſ. quæro, quæ ſunt alia;* idem tenet *Ioan. Andr. in cap. tuam, num. 6. de ætat. & qualit. gloſſ. in clem. attendentes. §. ſtatuimus, verbo, benedici, de ſtat. Monach. Felin. in c. eam te, col. 2. num. 2. de reſcrip. idem Panorm. in cap. inter Monaſterium, in fine, de ſent. & re iud. & communiter Doctores omnes.* Demum ex ſpeciali Sedis Apoſtolicæ indulto conceſſum eſt, huiuſmodi munus exercere poſſe non ſolùm Abbates benedictos, & eos, quibus Epiſcopi tertiò humiliter requiſiti, benedictionem impendere recuſauerint; verùm etiam non benedictos; immo nec benedicendos, vt ſunt Abbates triennales, & alij, qui ad tempus creantur, quibus non impeditur benedictio, eo quòd ſit etiam quaſi perpetua, & indelebilis, & idcirco non
1 datur propter officium temporale, vt ſtatuit Eugenius Quartus in priuil. 6. Ciſtercienſibus de obſeruantia in Hiſpania conceſſo, & notat *Suar. de Relig. tom. 4. tract. 8. lib. 2. cap. 29. quæſt. 7. num. 17.* vt diximus in *1. tom. diſp. de bened. Abb.* Poſſunt inquam huiuſmodi Abbates non benedicti etiam ordinare, & alia exercere, quæ Abbates benedicti exercere poſſunt: vt conſtat ex narrato priuileg. 6. ab Eugenio Quarto Congregationi Ciſtercien̄ de obſeruantia in Hiſpania conceſſo, Anno Domini 1437. vbi voluit. *Vt Abbates triennales, licet eis benedictionis munus non impendatur, omnibus, & ſingulis honoribus, præeminentijs, priuilegijs, prærogatiuis, iuribus, & inſignijs Abbatialib. fungi poſſint.* Et ex alio priuilegio ab eodem Eugenio Quarto conceſſo Congregationi Sanctæ Iuſtinæ de Padua anno 1516. pridie Kal. Iulij. *Quòd Prælati prædicta Congregationis, licet munus benedictionis non acceperint, perinde tamen Monaſteria ipſius Congregationis, regere, & adminiſtrare, ac omnes actus in ipſis valeant exercere, ac ſi munus huiuſmodi fuerint conſecuti.* Quod priuilegium à Iulio II. extenſum fuit ad noſtram Vallisumbroſæ Congregationem anno 1507. Idibus Iulij: Id ipſum clarius patet ex alio priuilegio ab eodem Iulio Secundo conceſſo prædicto Ordini Ciſtercienſi in Hiſpania, vbi expreſsè, & in ſpecie concedit his Abbatibus temporaneis non benedictis poteſtatem, Nouitios, & alios quoſcunq; ſibi ſubditos, prout poterant perpetui Abbates, Clericali charactere inſigniendi. Ex his igi-
2 tur patet, benedictionem in Abbatibus non eſſe ſimpliciter neceſſariam, ad hoc vt poſſint actus Ordinis exercere, id quod latius probatum eſt à nobis *in 1. to. in diſputatione de benedictione Abbatis.*

QVÆSITVM IV.

Vtrùm Abbates poteſtatem ordinandi poſſint alijs delegare.

SVMMARIVM.

1 *Ea, quæ ſunt Ordinis, delegari non poſſunt, nec conferri, niſi ab ijs, qui habent ea per collationem, & num. 4.*
2 *Iuriſdictio ſola voluntate, & verbo committitur, & reuocatur.*
3 *Sacramentorum collatio conſiſtit in certa forma per Eccleſiam tradita.*

5 Pote-

5 *Potestas Ordines conferendi non potest ab Episcopo simplici Sacerdoti delegari.*

RESpondeo negatiuè. Ratio potissima est; quia ea, quæ sunt Ordinis delegari non possunt,
1 quamuis ea, quæ sunt iurisdictionis sic, *cap. aqua, de consecrat. Eccles. vel Altar.* Ratio horum esse
2 potest; quia iurisdictio sola voluntate, & verbo committitur, & reuocatur *l. Iudicium, ff. de Iudic. cap. super quæstionum. §. intentionis, & §. porro, de offic. deleg.* sed collatio Sacramentorum non traditur sola voluntate, vel verbo, sed consistit in
3 certa forma per Ecclesiam tradita; & ideò est opus facto, quia est necessaria visibilis, & exterior vnctio, quæ est signum interioris vnctionis in corde *cap. vno, de sacr. Vnct.* & sic patet, quòd ea, quæ
4 sunt Ordinis, delegari non possunt, sicut ea, quæ sunt iurisdictionis, immo nec conferri possunt, nisi ab iis, qui habent ea per collationem: *can. Presbyteri, quot, 68. dist.* ita *glossa singularis in d. cap. aqua, verb. iurisdictionis*, & ibi etiam *Panormit. & communiter scribentes, & Silu. verb. benedictio, nu. 2. & 3. & alij communiter.*

Dices; potest Abbas hanc potestatem Ordines conferendi aliis delegare; quia potest Episcopis, vel aliis Abbatibus (vt inferius videbimus) potestatem, suos subditos Regulares ordinandi, demandare.

Respondeo cum *gloss.* prædicta, quòd Abbas per huiusmodi demandationem non delegat eis potestatem Ordinis, quam ipsi habent; sed tantùm committit auctoritatem faciendi, quam absque eius licentia non haberent; quia in alienam messem falcem mittere non possent, nisi de voluntate, & mandato illius, cuius subditi sunt ordinandi *can. scriptum 6. q. 3.* Et sic patet, quòd huiusmodi facultas non potest demandari, nisi habenti illam. Præ-
5 terea potestas Ordines minores conferendi non potest ab Episcopo delegari simplici Sacerdoti, ex rationibus supra adductis, & notat ex *D. Thom. Victor. de Sacram. nu. 234.* ergò neque à fortiori ab Abbate, in quo non est Ordinaria, sed tantùm ex priuilegio Sedis Apostolicæ. Ex his ergo concludum restat, Abbates non posse huiusmodi facultatem delegare. Et de his satis, non enim indigent maiori explicatione, cùm sint valde clara.

QVAESITVM V.
Vtrùm Abbates potuerint olim suis Monachis maiores Ordines conferre.

SVMMARIVM.

1 *Abbas Cistercij, & alij 4. Coabbates habent priuilegiū conferendi Ordines Subdiaconatus, & Diaconatus.*
2 *Summus Pontifex potest simplici Sacerdoti committere facultatem, Ordines maiores, excepto Presbyteratu, conferendi.*

COmmunis Doctorum opinio est, non licere Abbatibus Ordines maiores conferre; ex eo, quia ministri omnium Ordinum de Iure communi sunt tantùm Episcopi, vt patet ex supradictis; Abbatibus autem priuilegio in corpore Iuris inserto solùm concessum est, posse Ordines minores conferre; ergo de Iure communi potestas conferendi Ordines maiores, remanebit tantum in Episcopis. Verùm difficultas est; quia sunt aliqui Abbates, qui gaudent etiam priuilegio conferendi Ordines maiores, vt Cistercienses per priuilegium Innocentij VIII. concessum anno Dominicæ Incarnationis 1489. Ioanni Abbati Cistercij, & aliis quatuor Coabbatibus, cuius verba sunt hæc.
1 *Ac ne Monachi dicti Ordinis pro suscipiendis Subdiaconatus, & Diaconatus Ordinibus extra claustrum hinc inde discurrere cogantur: tibi, & successoribus tuis, quibuscunquè dictis Ordinis Monachis; Alijs verò quatuor Abbatibus præfatis, & eorum successoribus, vt suorum Monasteriorum prædictorum Religiosis, quos ad id idoneos reperietis Subdiaconatus, & Diaconatus Ordines liceat ritè conferre.* Ita habetur in *lib. priuil. d. Ordin. fol. 136. priuil. 118.* & refertur à *Roderic. in noua collect. priuil. Mendic. & non Mendic. bulla 5. eiusd. Pontific.* Sed quamuis de hac cōcessione magna sit inter Theologos controuersia, an à Papa fieri possit; nihilominus dicendum est, posse Summum Pontificem committere etiam sim-
2 plici Sacerdoti potestatem conferendi aliquem ex Ordinibus maioribus, excepto Presbyteratu: Hanc sententiam defendunt *gloss. in cau. peruenit 95. dist. & gloss. fin. in can. manus, de consecrat. dist. 5. Panormit. in cap. quanto, num. 9. de consuet.* & esse communem DD. sententiam asserit *Henriq. lib. 10. cap. 23. in lit. A, & C.* vbi citat *Victor. Nauar. & alios*, eum refert, & sequitur *Filliuc. quæst. mor. tom. 1. tract. 9. cap. 5. q. 2.* Hoc duplici ratione probatur: primò argumento à simili de confirmatione, quæ potest à Papa simplici Sacerdoti committi, *d. cau. peruenit dist. 95.* & firmant *D. Thom. 3. p. q. 72. art. 11. Roderic. quæst. Regul. tom. 1. quæst. 18. art. 3. Azor. instit. moral. par. 2. lib. 3. cap. 30. qu. 4. Bonacc. de Sacram. disp. 3. q. vnic. par. 2. nu. 3. vers. dixi*, cum aliis pluribus ibi per eum adductis.

Secundò probatur exemplo Coepiscoporum, qui olim Subdiaconatum conferebant, & tamen erant simplices Sacerdotes; ergo à fortiori poterit Summus Pontifex committere Abbati, vt sacros Ordines conferat: sicut de facto prædictum priuilegium concessit, & Abbates prædicti eo vsi sunt: quod Papa non concessisset, nec Abbates eo vsi essent, si de Iure id fieri non poterat, vt ait *Roderic. quæst. Reg. tom. 1. q. 18 art. 3. Suar. tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 19. num. 24.* Vnde inanis videtur responsio quorumdam dicentium, priuilegium supra positum non concedere Abbatibus potestatem conferendi Subdiaconatum, & Diaconatum sed facultatem vt in propriis Monasteriis possint per quemlibet Episcopum suos Monachos Subdiaconatus, & Diaconatus Ordinibus initiari facere: qui sensus repugnat ipsius priuilegij verbis. in quibus Summus Pontifex concedens huiusmodi facultatem prædictis Abbatibus, ait: *Tibi, & successoribus tuis, & quibuscunquè dictis Ordinis Monachis, alijs verò quatuor Abbatibus prædictis, & eorum successoribus, vt suorum Monasteriorum prædictorum Religiosis, quos ad id idoneos reperietis, Subdiaco-*

cona-

tonatus, & Diaconatus Ordines liceat ritè conferre. Vnde si priuilegii verba accipienda sunt sicuti sonant; cùm nō dicant, *liceat ritè conferre facere*, sed *liceat ritè conferre*, non video, cur isti retorqueant huiusmodi priuilegium ad Episcopos, quatenus ad Monasteria ab Abbatibus ad id vocari possint: Maximè cū de facto Abbates prædicti eodem priuilegio, vt dictum est, vsi fuerint; ita *Roderic. loc. citat.* Vtrùm autem hoc priuilegium valeat hodie post *Concil. Trid.* dicemus in sequenti quæsito.

QVÆSITVM VI.

Vtrùm hodie Abbates possint sacros Ordines suis Monachis conferre.

SVMMARIVM.

1 *Abbates hodie non possunt sacros Ordines conferre.*

RESpondeo, quòd *Conciliū Tridentinum sess. 23. de reform. cap 8.* loquens de ordinationibus Sacrorum Ordinum, ait. *Vnusquisque autem à proprio Episcopo ordinetur; quòd si quis ab alio promoueri petat, nullatenus id ei, etiam cuiusuis generalis, aut specialis rescripti. vel priuilegij prætextu, permittatur.* Per quæ verba videtur significare, solos Episcopos posse sacros Ordines conferre. Præterea idem *Conc. cap. 10. eiusd. sess. 23.* loquens de ordinatione, quæ ab Abbatibus fieri potest, Tonsuram, vel minores Ordines tantùm respectu subditorum Regularium eis permittit; ergo videtur significare, ipsos non debere sacros Ordines etiam eisdem subditis Regularibus conferre. Et *idem Concilium cap. 12.* Episcopis tradit curam examinandi promouendos ad sacros Ordines, subdens *Regulares quoquè nec in minori ætate, nec sine diligenti Episcopi examine ordinentur, priuilegijs quibuscunquè quo ad hoc penitus exclusis.* Ex quibus videtur Concilium velle, vt Regulares non possint sacros Ordines nisi ab Episcopis suscipere, derogando quibuscunque priuilegiis in contrarium facientibus, pro vt erat istud, de quo loquimur. Et hanc opinionem expressè tenet *Nauar. lib. 5. cons. 15. tit. de priuil.* quem sequuntur *Suar. tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 29. nu. 24. Roderic. quæst. Reg. tom. 1. q. 18. art. 4.* Subdens non obstare, quòd eo priuilegio modo dicti Abbates vtantur; quia eorum Abbatiæ in Gallia constitutæ sunt, vbi hactenus d. Concilium Tridentinum non fuit receptum; idem videtur tenere *Collect. priuil. Cister.* qui nullibi de eo priuilegio mentionem fecit.

QVÆSITVM VII.

Vtrùm Abbates ordinare possint Regulares non sibi subditos, vel etiam seculares.

SVMMARIVM.

1 *Ordinare poterāt olim Abbates seculares sibi subditos.*

2 *Tonsuram, & minores Ordines Abbates hodie possunt conferre secularibus Diœcesani Episcopi iurisdictioni subiectis, habentibus literas dimissorias, & specialem assensum ipsius Episcopi.*

3 *Tonsuram, & minores Ordines secularibus aliorum Episcoporum iurisdictioni subiectis, habentibus speciales dimissorias suorum Episcoporum, & accedente speciali assensu Episcopi loci, Abbates conferre possunt.*

4 *Ordinare Abbates possunt Regulares sibi non subditos, habentes speciales dimissorias suorum Superiorum, & specialem assensum Episcopi loci.*

1 DE Iure communi antiquo, quod habetur in *can. quoniam dist. 69. & in cap. cùm contingat, de ætat. & qualit.* videbatur, quòd non possent Abbates ordinare seculares, vel etiam Regulares nō sibi subditos: quod videbantur innuere verba illa *d. can. quoniam. Lectores autem, manus impositione, licentia est vnicuique Abbati, in proprio Monasterio solummodo faciendi.* Vbi notanda sunt illa verba, *in proprio Monasterio solummodo*, ex quibus Doctores super *d. cap. quoniam, & in d. cap. cùm contingat,* sentium, Abbates proprios tantùm Monachos ordinare posse: Ita *Panormit. ibi in princ. & alij communiter.* Deinde hæc concessio Iuris communis amplificata fuit per *cap. Abbates, de priuileg. in 6.* vbi Alexander Quartus Abbatibus expressè concessit, *Vt possint primam Tonsuram conferre Monasteriorum suorum Conuersis, & qui ad illa conuolauerint, & in quos Ecclesiasticam, & quasi Episcopalem iurisdictionem obtinent.* Innocentius quoquè Octauus anno Domini 1489. concessit. Ioanni Abbati Cistercii Ordinis Cistercien. Generali, ac aliis quatuor Coabbatibus, *Vt possent omnes Ordines minores personis eiusdem Religionis intra Monasteria prædicta conferre;* referens in eodem priuilegio, id ipsum antea fuisse ab Apostolica Sede illis concessum: quod indultum non est limitatum ad subditos, sed extenditur ad omnes Religiosos eiusdem Ordinis, licet non ad seculares etiam subditos; pro vt extendebatur concessio facta in *d. cap. Abbates*, in quo per ea verba, *Et in quos Ecclesiasticam, & quasi Episcopalem iurisdictionem obtinent,* planè intelligitur de secularibus, qui aliquando subiiciuntur his Abbatibus, habentibus iurisdictionem Episcopalem. His sic stantibus *Concilium Tridentinum sess. 23. cap. 10. de reform.* ita decreuit. *Abbatibus, & alijs quibuscunquè quantumuis exemptis, non liceat in posterum, intra fines alicuius Diœcesis consistentibus, etiam si nullius Diœcesis, vel exempti esse dicantur, cuiquam qui Regulari subditus sibi non sit, Tonsuram, vel minores Ordines conferre.* & infra subdit. *Non obstantibus quibusuis priuilegiis, præscriptionibus, aut consuetudinibus etiam immemorabilibus.* Per quod decretum reuocata fuerunt omnia priuilegia super hoc Abbatibus antea concessa, etiam clausa in corpore Iuris communis, vt est illud, quod habetur in *d. cap. Abbates;* pro vt declaratum fuisse à Sacra Congregatione Cardinalium super *d. cap. 10. Concil. Triden.* refert *Suar. de Relig. tom. 4. tract. 8. lib. 2. cap 29. num. 19.* Ex quibus nonnulli Doctores tenent, non posse Abbates conferre minores Ordines secularibus hominibus illorum vel Episcopi iurisdictioni subiectis, nec etiam Regularibus non sibi subditis; ita *Roderic. quæst. Reg. tom. 3. q. 23. art. 2. Mirand. tom. 1. man. Prælat. q. 38. art 9. concl. 2. D. August. Barbos. de offic. & potest. Episcop. par. 2. alleg. 3.* Attamen

Digitized by Google

meu declaratum inuenio à prædicta Sacra Con-
gregatione Illustrissimorum Cardinalium Concil.
2 Trid. Interpretum, Abbates Regulares habentes
ex priuilegio facultatem deferendi Episcopi insi-
gnia, videlicet baculum pastoralem, anulum, &
mitram, postquam Sacerdotalem Ordinem, & mu-
nus benedictionis susceperint, posse Tonsuram, &
minores Ordines secularibus Episcopi iurisdictio-
ni subiectis conferre; dummodo ipsius Episcopi
consensus accesserit, & ab eo quisque dimissoria-
les literas impetrauerit; ita tamen, vt non suffi-
ciat, id generatim Episcopum concessisse; sed hæc
concessio semper singulis ordinandis sit necessaria.
3 Similitet eadem Sacra Congregatio declarauit,
posse supradictos Abbates cōferre prædictos Or-
dines secularibus aliorum Episcoporum iurisdi-
ctioni subictis; dummodo suorum Ordinariorum
speciales litetas dimissorias impetrauerint, & spe-
cialis Episcopi illius loci, vbi Ordines suscipiun-
tur, consensus accesserit. Pariter eadem Sacra
4 Congregatio declarauit, licere ijsdem Abbati-
bus, eosdem Ordines conferre alijs Regulari-
bus, qui dimissorias literas speciales suorum Su-
periorum habnerint, necnon specialem assensum
Episcopi illius loci, in quo huiusmodi Ordines sūt
conferendi: ita declaratum fuisse referunt *Azor. instit. moral. par. 1. lib. 12. cap. 20. qu. 7. Capuce. in annot. ad compend. priuil. Mendicant. verbo, Ordines sacri, num. 5. Quaranta in summa Bullar. verb. Ordo, vers. Abbatibus, & seq. Bonaccin. de Sacram. disp. 8. q. vnic. punct. 4. nn. 3.* idem statutum reperio in Concilio *Mediolanen. quinto*, celebrato sub Diuo Carolo Borrhomæo, vbi *part. 3. de Sacram. Ord* hæc habentnr. *Vt Abbates etiam baculi, & mitræ iure vtentes, aliouè eiusmodi prinilegio, & auctoritate conferendi minores Ordines munitos non patiatur Episcopus* Diœcesanus *Tonsuram, atque minores Ordines (id quod Tridentina Synodus vetuit) alijs conferre, quàm ijs, qui Regulares sunt, & eorum iurisdictioni subiectis, nisi & ipsius Episcopi consensus ante accedat, & illi initiandi à suo Episcopo, vel Regulari superiore attulerint literas dimissorias, non generatim, sed speciatim concessas, nec verò quibusuis Abbatibus id permitti liceat, sed ijs tātùm qui Sacerdotio initiati sint, & statis benedictionis precibus consecrati.* Quæ Conciliaris constitutio licet pro vna tantùm Mediolanen. Prouincia vim, atquè robur obtineat; in reliquis tamen Christianæ Reipublicæ locis plurimi facienda est, atque insimul considerandum, quod si Iuri conformis ex rationi consona non fuisset, sub iam pijssimo, sanctissimo, doctissimoq. viro Ecclesiæ Præsule, qualis extitir Diuus Carolus Borrhomæus, neutiquam emanasset. Vnde eam meritò canonizauit, atquè pro vniuersis Catholicæ Ecclesiæ locis probauit, Sacra Congregatio, secundùm illam respondendo in citatis declatationibus. Nec obstat decisio Rotæ, quæ habetur apud *Seraph. decis. 985. par. 7.* vbi asserit, de voto Sacræ Rotæ fuisse responsum, non licere Abbatibus, promouere persònas secnlares habentes literas dimissorias suorum Episcoporum; quia volnit tantùm intelligere, vt non possint eos ordinare sine consensu Episcopi Diœcesani; ita *P. Ioan. Baptista Tiber. cap. 7. instruct. pro ordinand. q. 48. in fine.* Ex his ergò planè sequitur, quòd Abbatibus nō deest potestas, conferendi Ordines minores huiusmodi personis; quia si deesset, nequirent etiam cum dimissorialibus literis ordinare; nam per dimissorias non reciperent potestatem, sed tantùm licentiam, vel ius vtendi sua potestate circa talem personam.

QVAESITVM VIII.

Vtrùm si Abbas ordinaret seculares sibi, vel alijs Ordinarijs subiectos, vel Regulares sibi non subditos, huiusmodi ordinatio valeret, vel taliter ordinati indigerent noua ordinatione.

SVMMARIVM.

1 *Abbates si ordinarent seculares sibi, vel Episcopis subiectos, vel Regulares non sibi subditos, & sine dimissorijs, & licentia Episcopi locis, talis ordinatio valeret.*

2 *Iura per subanditiones, & repetitiones tacitas reuocanda non sunt, sed potius concordanda.*

VIdimus supra, quòd Abbates regulariter possunt Regulares sibi subditos tantùm ordinare. Videndum est in præsenti, vtrùm si Ordines alijs, quàm ipsis subditis Regnlaribus cōferant, ordinatio sit valida, quamuis licitè non fiat, vel sit
iteranda? Ad quod dicimus, quòd si Abbates or-
1 dinarent seculares sibi, vel Episcopis subiectos, vel
etiam Regulares non sibi subditos, etiam sine di-
missoriis, & licentia Episcopi loci: huiusmodi ordinatio valida esset, nec illi indigerent iterùm initiari minoribus Ordinibus iam receptis; sed tantummodo indigere dispensatione ob suspensionem ab eorum executione. Ratio est, quia per huiusmodi ordinationem character imprimitur, vt tenet *Ioan. Andr. in 1. addit. ad gloss. in cap. Abbates, verbo, Tonsuram, de priuil. in 6.* vbi cum *Boatino, & Archidiac.* ait, Abbatem alteri (id est non sibi subdito) Ordines conferendo imprimere characterem. Idem tenet *in cap. cùm contingat, nu. 2. de ætat. & qualit.* quod etiam affirmatur à *Roderic. quæst. Regul tom. 1. q. 18. art. 1.* qui subdit, hoc non fuisse reuocatum à Concilio Tridentino, quod etsi prohibeat Abbatibus ordinare illos, qui sibi subditi non sunt, non tamen decernit ipsos Abbates ordinando suos non subditos, illis characterem non conferre: nec dici potest, id tacitè fuisse ibi à Cōcilio determinatum; quia per subauditiones, & re-
petitiones tacitas Iura reuocanda non sunt, sed po-
2 tius concordanda, *l. vn. C. de in offic. do. cap. cùm
expediat, de elect. in 6. gloss in cap. cupientes. §. quòd si per viginti, verb. petere, eodem tit. & lib.* Præterèa quo ad seculares, in quos ipsi Abbates Ecclesiasticam, vel quasi Episcopalem iurisdictionem obtinent, adest responsum Sacræ Congregationis *Conc. Trid. circa cap. 10. sess. 23. de reform.* quòd taliter ordinati non indigeant iterum Tonsura, vel aliis minoribus Ordinibus iam receptis, initiari,

sed

sed tantum indigeant dispensatione ob incursam suspensionem, vt refert *Suar. de Relig. tom. 4. tract. 8. lib. 2. cap. 29. num. 20.* Ex qua responsione patet, quòd per illam Abbatis ordinationem character impressus est: dispensatio autem ideò est necessaria; quia non fuit traditus vsus ipsius characteris, ex eo; quia collatus fuit ab habente potestatem impeditam, siue ab extraneo, non autem à proprio Episcopo, & absquè eius dimissorijs: vnde taliter ordinati remanent suspensi ab executione Ordinũ susceptorum, *cap. 1. de eo, qui furtiuè ordin. suscep.* Idem colligitur ex alia declaratione eiusdem Sacræ Congregationis super *d. cap. 10. Conc. Trident.* de quibus pluries supra mentionem habuimus, scilicet, quòd Abbates vsum Pontificalium, si Sacerdotes sint, & benedicti, validè conferre possint omnes minores Ordines quibuscunquè tàm Regularibus, quàm secularibus, etiam non sibi subditis: si ordinandi habeant speciales ad id literas dimissoriales à Prælatis, & adsit consensus Episcopi Diœcesani. Ex qua declaratione infertur, quòd si Abbates ordinarent tales personas sine dimissorijs literis suorum Prælatorum, ordinatio substantialiter esset valida, nec iteranda; quamuis ita ordinati nõ habeant Ordinum susceptorum executionem. Illatio patet; nam si hoc est licitum Abbati suppositis literis dimissorijs, necessariò supponitur, illum habere potestatem, quamuis impeditam: dimissoriæ enim literæ non tribuunt ei potestatem, sed tãtùm licentiam, vel ius vtendi sua facultate circa tales personas, ita *Suar. d. cap. 29. nu. 21.*

QVÆSITVM IX.

Quàm pœnam incurrat Abbas ordinando alios, quàm Regulares sibi subditos.

SVMMARIVM.

1 *Abbates conferentes Ordines alijs, quàm Regularibus sibi subditis, incurrunt pœnam suspensionis à collatione Ordinum, quos ita contulerunt.*

CONcilium Tridentinum *sess. 23. cap. 10.* prohibet Abbatibus, ne cuiquam, qui Regularis subditus sibi non sit, Tonsuram vel minores Ordines conferre possint: at in *eod. cap.* nullam pœnam imponit ijs contrarium facientibus; nam in fine tantùm loquitur de concedentibus dimissorias contra formam dicti decreti, quos declarat, suspẽsos manere per annũ ab eorum officio, & beneficio; sed huiusmodi pœna reperitur taxata in *cap. vlt. sess. 6. de reformat.* vbi dicitur quòd, *Nulli Episcopo cuiusuis priuilegij prætextu liceat Pontificalia in alterius Diœcesi exercere, nisi de Ordinarij loci expressa licentia, & in personas eidem Ordinario subiectas tantùm; si secus factum fuerit, Episcopus ab exercitio Pontificalium, & sic ordinati ab executione Ordinum, sint
1 ipso iure suspensi.* Circa quæ verba notandum est, quòd Abbates conferentes Ordines minores alijs, quàm Religiosis sibi subditis, incurrunt pœnam suspensionis à collatione dictorum Ordinũ, quod intelligendum erit absolutè, non autem per annũ; absolutè enim ibi dicitur, quòd ab exercitio Pontificalium sint ipso iure suspensi; ita etiam accepi à quibusdam Patribus Congregationis Oliuetanæ; quòd cùm fuisset quæsitum à Sacra Congregatione Cardinalium Concilij Tridentini Interpretũ; An Abbas Sanctæ MARIAE de Succursu eiusdem Ordinis, potuerit in loco suæ Ordinariæ iurisdictionis conferre Ordines minores tribus Regularibus Sancti Augustini à suis Superioribus ad hũc effectum demissis; eadem Congregatio Concilij censuit, non potuisse cõferre minores Ordines dictis Regularibus, absquè consensu Episcopi loci, vt habetur in *d. cap. vlt. sess. 6.* nihilominùs tamen incurrisse pœnam dict. *cap. 10. in fine,* quia ibi est sermo tãtùm de concedentibus dimissorias, non item pœnam *cap. 2. sess. 14.* quia loquitur in Episcopis nullius &c. nec item pœnam *cap. 8.* quod loquitur, quando sine testimonio Ordinarii; sed in pœnam *cap. final. sess. 6.* eo, quòd sine licentia Ordinarij loci contulit Ordines: & licet dictum cap. loqua-
1 tur de Episcopo; tamen Congregatio censuit, multo magis habere locum in Aabate vnde cùm simpliciter *dict. cap.* dicat, *Suspensus ab exercitio Pontificalium,* intelligendum est absolutè, non autem per annum dumtaxat: nam quando *d. Conc.* voluit per annum tantùm suspendere, illud expressit, & sic, quòd ille Abbas erit solummodo suspensus ab exercitio Pontificalium, nempe à collatione Ordinis, & similium, non autem à diuinis; quia vt Re-
2 ligiosus Sacerdos celebrare poterit, sicuti de Episcopo habetur in *cap. transmissam, de elect.* quia celebratio non videtur propriè ad Pontificalia pertinere, cùm etiam alij simplices Sacerdotes, Pontificalia exercendi auctoritatem non habẽtes, Missam celebrare possint; Ita communiter omnes, de qua re alibi.

QVAESITVM X.

Vtrùm Abbas possit Nouitios ordinare.

SVMMARIVM.

1 *Ordines ad minores non requiritur titulus sicut ad sacros.*
2 *Nouitij post Concilium Tridentinum nequeunt, ab eorum Abbatibus ordinari, sed ordinandi sunt ab Episcopo Diœcesano, nisi in casu nu. seq.*
4 *Fraus est præcauenda.*

VIdetur, quòd Abbas possit Nouitijs minores Ordines conferre; nam ad hos Ordines non
1 necessarius titulus aliquis specialis patrimonij, siue beneficij, vt requiritur ad sacros Ordines *cap. non licet, de præbend. & dignitat.* ergo potestas hæc Ordines conferendi ad Religionis fauorem potius amplianda est, quàm restringenda; maximè cùm sit beneficium Principis; quod est latè explicandum, quantum verba legis patiantur; verba autem *can. quoniam dist. 69.* in quo traditur Abbatibus facultas Lectores faciendi, solùm habent, *In proprijs Monasterijs,* in quibus etiam comprehenduntur Nouitij, & sunt aliquo modo partes illius Religiosæ Communitatis; ergo Abbas poterit illis etiam Ordines conferre. Præterea in *cap. cùm contingat,*

tingat, *de etat. & qualit.* dicitur, *Cùm contingat interdum, quòd laici ad Monasteria conuolantes à suis Abbatibus tonsurentur*. Per quæ verba videtur propriè significari Nouitii, qui à seculo ad Religionem conuolant. Vnde Alexander Quartus in *cap. Abbates, de priuileg. in 6.* ait, Abbates posse clericalem Tonsuram conferre Monasteriorum suorum Conuersis, & qui ad illa conuolauerint, vbi *gloss.* per eos, qui conuolauerunt ad Monasteria, intelligere videtur Nouitios; dùm *verb. conuolauerunt*, addit, *vt ibi conuertantur, & fiant Monachi*: idem etiam sentiunt ibi *Franc. & Card. Alexand.* & expressè *Rebuff. in praxi benefic. tit. de Cleric. nu.18.* dicens, valere Tonsuram intra annum probationis collatam, etiamsi Nouitius dimitteret illam Religionem; quia non annullatur id, quod legitimè factum fuit, iuxta *reg. factum legitimè, de reg. Iur. lib.6.* Præterea id confirmatur ex priuilegio Iulij II. concesso Ordini Cisterciensi de Obseruantia in Hispania, vbi inter cætera sic ait. *Nec non Nouitios, & alios quoscunquè d. Monastery subditos pro vt poterant prædicti perpetui Abbates Clericali charactere insigniendi*. Ex quibus verbis præclarè constat, Abbates potuisse Nouitios ordinare.

Quæ omnia quamuis procedere possint de Iure antiquo, iuxta quod probabilius est, potuisse Abbates sui Monasterij Nouitios ordinare, tamen hæc potestas videtur eis reuocata per *Concilium Tridentinum*, dum *sess. 23. de reformat. cap. 10.* decreuit, vt possint tantùm Regulares sibi subditos ordinare: Nouitii autem, & si quibusdam Religionis priuilegiis gaudeant, vt tradunt *Molin. tom. 1. de iust. tract. 2. disput. 139 Henriq. lib. 7. de indulg. cap. 12. num. 7 Azor. instit. moral. par. 1. lib. 7. cap. 30. & lib 12. cap. 2. qu. 10.* Tamen, quia Religiosi non sunt, nec ipsis Abbatibus simpliciter subditi, sed tantùm in ordine ad probationem; & Conciliū prædictum requirit absolutam subiectionem; ideò
2 Nouitii non possunt ab Abbatibus ordinari, sed ab Episcopo, in cuius Diœcesi existit Monasterium, in quo probantur; Ita *Henriq. lib. 10. cap. 23. §. 3. comment. lit. GG. Roderic. quæst. Reg. tom. 3. q. 4. a. 23. art. 2. in fine, Vgolin. de offic. Episcop. cap. 26. §. 19. num. 2. Mirand. in manuali Prælat. tom. 1. quæst. 38. art. 9. concl. 2. & aly apud D. August. Barbos. de offic. & potest. Episc. par. 2. alleg. 3. num. 8. & allegat. 4. num. 63. P. Ioan. Bapt. Tiber. cap. 9. instruct. pro ordinand. qu. 48. Vers. quo ad Nouitios. Bartholom. de Vecchis in praxi pro Nouitys ad Relig. admitten. disput. 11. dub. 8. num. vlt.* Nec contrarium affirmat *Suar. de Relig. tom. 4. tract. 8. lib. 2. cap. 29. quæst. 4. num. 12. & seq.* quia ipse tantùm loquitur de Iure antiquo illius *can. quoniam 69 dist. & cap. cùm contingat, de ætat. & qualit. cap. Abbates, de priuileg. in 6.* secundùm quæ Iura probabilius est, potuisse olim Abbates suos Nouitios ordinare. Verùm
3 si Nouitius haberet à suo Ordinario literas dimissoriales suscipiendi Ordines specialiter à suo Abbate interueniente ad hoc Episcopi Diœcesani sensu; Abbas illum, sicuti, & seculares (iuxta Sacræ Congregationis Concilii declarationem inferius adductam) ordinare posset, ita *d. P. Ioan. Bapt. Tiber. d. q. 48. vers. vlt.* Tutius tamen existimarem, facere Abbates, si Nouitios nullo modo ordinarent, nec ordinandos Episcopis traderent; quia certū est, quòd postea exire possent, & fraus
4 fieri, quæ præcauenda est, *cap. 1. de seru. non ordinand.* & hoc consilium tradit *Ioan. Andr. in dict. cap. Abbates, in addit. ad gloss. verb. conuolauerint:* Tum quia nulla ad id necessitas eos cogit, cùm post annum probationis possint illis Ordines conferre.

QVÆSITVM XL.

Vtrùm Abbas electus, & confirmatus in Episcopum, possit ante consecrationem subditis illius, Episcopatus minores Ordines conferre.

SVMMARIVM.

1 *Abbas electus, & confirmatus in Episcopum ante consecrationem potest Tonsuram, & minores Ordines subditis illius Episcopatus conferre.*
2 *Abbas datus administrator Ecclesiæ Cathedrali vacanti, potest subditis illius Ecclesiæ Tonsuram, & minores Ordines conferre.*

Respondeo, quòd Abbas electus, & confirmatus in Episcopum, etiam ante consecratio-
1 nem, potest Tonsuram, & minores Ordines subditis illius Episcopatus conferre; quia hanc potestatem habet ex sua propria virtute, vt Abbas; nequiret autem antea illos ordinare, non ex defectu quo ad habitum potestatis, sed ex defectu iurisdictionis; ita *Felin. in cap. cum te, nu. 8. col. 6. vers. quarto restringuntur, de rescript.* ad quod allegat *Dominic. de S. Gemin. in cap. is cui, num. 7. vers. vidi dubitari, de elect. in 6.* vbi dicit quòd Abbas datus
2 administrator Ecclesiæ Cathedralis vacanti, potest conferre subditis illius Ecclesiæ illos Ordines; quos Abbates conferre possunt suis subditis; idem affirmat, & commendat *Selua, de benefic. part. 2. qu. 6. post num. 1* dicens, quòd Abbas hoc poterit eodem modo, quo potest inuitatus in claustris aliorum exemptorum iure suo conferre Tonsuram & minores Ordines, pro vt ex plurimorū auctoritatibus idem affirmatur à *prædicto Gemin. in cap. Abbates, num. 6. de priuil. in 6. Maiol. de irregular. lib. 3. cap. 25. num. 12. Sayr. de censur. lib. 4. cap. 13. post num. 15.* Quæ omnia puto, habere locum etiam hodie post Concil. Trid. & moueor hac ratione; quia et si *d. Concil. sess. 23. de reformat. cap. 10.* statuit, non licere in posterum Abbatibus cuiquā, qui Regularis sibi subditus non sit, Tonsuram, & minores Ordines conferre, verbum illud Concilij, *non liceat*, intelligendum videtur, vt contineat prohibitionem, non autem vt auferat facultatem Abbatibus ordinandi laicos; si enim potestatem abstulisset, nequirent, seculares Episcopi iurisdictioni subiectos ordinare cum specialibus dimissorijs suorum Ordinariorum, & assensu Episcopi Diœcesani, pro vt declaratum fuisse à Sacra Congregatione Illustrissimorum Cardinalium eiusdem Concilij Interpretum, referunt *Azor. instit. moral.*

par. 1.

Digitized by Google

par.1. lib.12. cap.2. quæ. 7. & alij, quos citauimus ſupra in *quæſit.7.* per dimiſſoriales enim literas nō adipiſcuntur illi huiuſmodi facultatem: ſed licentiam tantummodo, vel ius vtendi ſua poteſtate circa tales perſonas. Cùm ergo per electionem, & confirmationem acquirant in ſubditos illius Epiſcopatus iuriſdictionem, vt per *cap. tranſmiſſam, cap. noſti, cap. qualiter, & cap. nihil eſt, de elect. & cap. inter corporalia, de translat. Epiſcop.* probat *Azor. par.2. inſtit. moral. lib.3. cap. 29. q. 5.* reperitur in eis vtraquè poteſtas, Ordinis ſcilicet, & iuriſdictionis, quæ eſt neceſſaria ad Ordinum collationem; quod idem puto dicendum de Abbate, qui datus ſit adminiſtrator alicuius Cathedralis Eccleſiæ, vt etiam poſſit ordinare ſubditos illius Epiſcopatus. vt dicit *Gemin. d. cap. is cui*, quia per dationem adminiſtrationis tribuitur ei iuriſdictio, qua ad id indigebat.

QVÆSITVM XII.

Vtrùm Abbas excommunicatus, hæreticus, ſuſpenſus, aut interdictus, poſſit validè Ordines conferre.

SVMMARIVM.

1 *Abbatem excommunicatum &c. validè ordinare non poſſe, arguitur.*

2 *Abbas excommunicatus &c. validè Ordines cōfert, & validè characterem imprimit; ab eo tamen ſic ordinati Ordinum ſuſceptorum executione carent; limita niſi eſſet occultus, vt nu.4.*

3 *Sacramenti efficacia non pendet à fide, vel bonitate Miniſtri, ſed ex ſola inſtitutione, & meritis Chriſti.*

5 *Reſponſio ad obiecta.*

1 Videtur, quòd non poſſit Abbas excommunicatus hæreticus, ſuſpenſus, vel interdictus validè Ordines conferre; quia *can.1.9. quæ.1. Diu. Gregorius* ait. *Nos conſecrationem dicere nullo modo poſſumus, quæ ab excommunicatis hominibus eſt illicitè celebrata.* Et Damaſus Papa, quem refert *Palea d. can.9. q.1. can.3.* ait, per illicitam manus impoſitionem caput ſuſcipientis vulnerari, ſubdens. *Iterari neceſſè eſt, quòd legitimè actum, aut collatum minimè probatur*: qui textus loquentes de Epiſcopis, à fortiori habent locum in Abbatibus.

2 Contrarium tamen eſt verius, quòd Abbas excommunicatus, hæreticus, ſuſpenſus, vel interdictus validè characterem imprimit, & validè Ordines confert; licet ab eo ordinati Ordinum ſuſceptorum executione careant; Ita *tex. in can. ſecundum 19. diſtin.* & in *can. Dominus. §.memento. 1. q.1. & can. qui perfectionem, & can. quod quidam, ead. cau. & q. can. quomodo, & can. ſicut in Sacramentis, & can. non in vobis, de conſecrat. diſtinct. 4. cum ſuis gloſſ. Sot. in 4. diſtin. 25. q. 1. art. 1. Henriq. in ſum. lib.10. cap.21. in princ. ConincK. de Sacram. diſp.8. q. vnic. pun.4. num.2. & alij*, quos refert, & ſequitur *D. Auguſt. Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſc. par.2. alleg.3. num.3. & num.17.* quibus addo *Reginald. in praxi lib. 30. tractat. 1. num. 23.* quia hæretici, excommunicati, &c. validè omnia Sacramenta adminiſtrant; dummodo habeant Ordinem ad id requiſitum, & vtantur legitima materia, & forma:

3 Sacramenti enim efficacia non pendet à Fide, vel bonitate miniſtri, ſed à ſola inſtitutione, & meritis Chriſti, vt probat *D. Auguſt. 7. libris contra Donatiſtas cōſcriptis*: tū quia in Sacramentis non eſt attēdendū, qualis, vel quis cōferat, ſed quid cōferat; quia incremētū ſolus Deus præbet, & neq; qui plantat, neq; qui rigat eſt aliquid, ſed qui incrementum dat Deus, vt dicit *Apoſt. 1. Chorint.3.* atquè ita docent *D.Th. in 4 diſtinct. 25. q.1. art.2. in corpore. Scotus ibid. qu. 1. §. de ſecundo articulo*, & cum eis communiter *Theologi*. Abbas tamen, qui in excommunicatione aliquem Ordinis actum exerceret, vtique irregularitatem contraheret, per *tex. in cap. 1. §. caueant, de ſent. excom. in 6.* vbi ſic dicitur. *Caueant Eccleſiarum Prælati, & Iudices vniuerſi, ne prædictam pœnam ſuſpenſionis incurrant; quoniam ſi contingeret, eos ſic ſuſpenſos diuina officia exequi, ſicut prius, irregularitatem non effugient.* Appellatione autem Prælatorum veniunt etiam Abbates, vt latius probauimus in *1. tom. diſp.1. q. 3.* Ita *Mar. Alter. de cenſur. to.1. lib. 2. cap. 1. diſp. 1.* ſubdit *verſ ſecundùm dubium Dominum Anton. Ricciull. Epiſcopus Bellicaſtren. ad præſens Vicesgerens in tract. de iur. perſon. extr. &c. lib.4. cap.2. num.9. & ſequen.* Quod ampliatur, vt Abbas excommunicatus fiat irregularis non ſolùm dum ipſe Sacramenta miniſtrat, vel alium actum Ordinis exercet, verùm etiam ſi faciat alios coram ſe ipſo miniſtrare, *gloſſ. in clemc. 2. verb. celebrari, de priuileg. Nauar. in man. cap. 27. num. 244. in fine, Mar. Alter. dict. lib.2. cap.4. & alij* apud *Dominum meum Dominum Anton. Ricciull. dict. cap. 2. num. 11.*

Si autem Abbas hæreticus, excommunicatus,
4 ſuſpenſus, vel interdictus, vel qualibet alia cenſura Eccleſiaſtica innodatus exiſtit, occultus tamen, validè Ordines confert, veramq. executionem Ordinis tradit: adeo vt ordinatus non ſolùm ſuſcipiat Sacramentum, ſed etiam eius executionem abſquè vlla ſuſpenſione; ita tenet *Innoc. in cap. 1. num.3 de ſchiſmat. Panormit. in cap. veritatis, nu. 46. de dolo, & contumac. & cap. ad probandum, nu. 7. de ſent & re iud. Felin. ibidem num. etiam 7. Couar. in cap alma mater. par. 1. §. 6. nu. 7. Guttierez quæſt. canonic. lib. 1. cap. 1. n. 80. & alij* apud *Sanc. de matrimon. lib. 3. diſp. 22. num. 35. verſ. verius tamen. D. Auguſt Barboſ. d. alleg. 3. à num. 17.* qui etſi loquantur de Epiſcopis, tamen idem etiam procedit in Abbate, ac in omnibus alijs excommunicatis Sacramenta miniſtrantibus; Iura enim, & rationes adductæ vniuerſaliter loquuntur de excōmunicatis occultis Sacramenta miniſtrantibus: pro qua re nullus hodie dubitandi locus remanet poſt *extrauag. ad euitanda ſcandala*; per eam enim nemo tenetur quibuſcūquè cenſuris innodatos vitare, niſi denunciati ſint, aut notorij Clericorum percuſſores. Ideò ordinatus ab Epiſcopo, vel Abbate, licet hæretico ſchiſmatico, ſimoniaco, vel quomodolibet excommunicato, dummodo denunciatus non ſit, vel publicus Clerici percuſſor ve-

Digitized by Google

ram recipit Ordinis executionem, absquè vlla suspensione. Vt docent communiter citati Doctores.

5 Ad primam rationem dubitandi. Respondeo cum *Coninck. d. dub. 9. num. 85.* quòd tam D. Gregorius, quàm alii Patres sepè inquiunt, ordinatos ab hereticis, aut excommunicatis non consecrari; sed fœdari, vel nullam recipere potestatem; quamuis enim ita ordinati verum Sacramentum, & Ornis potestatem recipiant; tamen per illud magis inquinantur, quàm sanctificentur; & quousquè dispensentur, nunquam possunt legitimè sua potestate vti; in Iure autem sepè dicitur quis id facere nô posse, quod licitè facere nequit.

Ad secundam rationem respondeo cum *eod. Coninck. ibid.* Illud, quod dicitur à Damaso Papa nihil ad rem nostram facere; quia Damasus ibi loquitur tantùm de ordinatis à Coepiscopis, quos, ait, non esse veros Episcopos, nec habere potestatem ordinandi. Et de his hactenus.

QVÆSITVM XIII.

In quo loco, & quo tempore possit Abbas minores Ordines conferre.

SVMMARIVM.

1 *Abbas non potest extra suum Monasterium ordinare.*
2 *Monasterij nomine in hoc casu quid intelligatur.*
3 *Ordo quilibet in sex anni temporibus conferri potest, & quibus.*
4 *Minores Ordines etiam Dominicis, & Festiuis diebus conferri possunt. Qui dies Festiui esse debent de pracepto, nu. 5.*
6 *Prima Tonsura in omni tempore conferri potest.*
7 *Tempus non est de substantia Ordinis.*

1 QVo ad primam huius quæsiti partem videtur mihi dicendum, non posse Abbates extra suum Monasterium minores Ordines conferre, quod potest colligi ex *can. quoniam dist. 69* in quo habetur. *Quòd Abbates possint tantum modo in proprio Monasterio Lectores ordinare.* Et ita communiter interpretantur omnes Doctores. Præterea probari potest exemplo Episcoporum, quibus non licet in aliena Diœcesi Ordines conferre, etiam si suos subditos ordinare vellent *arg. can. Episcopum non, & seqq. 9. q. 2. & can. placuit. 7. q. 1. & clem. vnic. de for. compet.* sed Abbatum Quasi diœcesis non extenditur extra proprium Monasterium: ergo non possunt extra illud ordinare: per

2 Monasterium autem intelliguntur omnes Ecclesiæ Monasterio annexæ; quia in hac re idem debet fieri Iudicium quo ad minores Ordines de Episcopo, & Abbate; at Episcopus potest minores Ordines conferre in quacunquè Ecclesia proprii Episcopatus, vt notat *Silu. verb. Ordo, 2. q. 8. & Reginald. prax. for pænit. lib. 30. tract. 3. num. 27.* ergò & Abbas in quacunquè Ecclesia suæ Abbatiæ; & sicut notant prædicti auctores *Silu. & Reginald.* quocunquè in loco conferantur, publicè coram populo conferendi sunt. Vtrùm autem possint extra suum Monasterium, dicemus in quæsito sequenti.

Quo ad secundam partem huius quæsiti; nempe quo tempore Ordines minores ab Abbate sint con-

3 ferendi, dico quemlibet Ordinem in sex anni temporibus conferri posse, nimirum in quatuor temporibus, & in Sabato ante Dominicam de Passione, & in Sabato Sancto ex *cap. 3. de tempor. Ordin.* Quibus temporibus tàm minores, quàm maiores Ordines conferri possunt: minores autem etiam

4 Dominicis, & aliis Festiuis tantùm diebus ab Episcopis conferri possunt, vt dicitur in *dict. cap. 3. & cap. 1. de temp. Ordin.* Idem autem esse dicendum de Abbatibus, affirmat *Ioan. Andr.* allegans *Hostien. in cap. cùm contingat, nu. 8. de ætat. & qualit. & d. Ant. apud Panormit. in d. cap. 3. num. 1. not. 4.* immo secundum *Ioan. Andr. & Hostien.* videtur, quòd potius his diebus, quàm quatuor temporibus ordinare debeant, ne Episcopare videantur, idest generales ordinationes tenere; ita etiam *Silu. verb. Ordo, 2. q. 6. dist. 3.* Hi autem dies Fe-

5 stiui debent esse de præcepto, vt ait *Vbald. in candelabr. aur. par. 1. tit. de Sacram. Ord. num. 35. vers. tertia conditio*, quem refert, & sequitur *D. August. Barbos. de offic. & potestat. Episcop. par. 2. alleg. 11. nu. 18. Azor. instit. moral par. 2. lib. 1. cap. 27. vers. vlt.* Et satis erit si solemnitas diei Festi sit in sua Relig. one, vel Monasterio; licet apud alios non celebretur, vt de Episcopo docet *Henriq. in summ. lib. 9. cap. 28. §. 1. & D. Barbosa loc. cit.*

6 Prima autem Tonsura qualibet die conferri potest; quia Canones de illa certum diem non exprimunt, & quia sic à generali consuetudine obseruatur: ita *Hostien.* quem refert, & sequitur *idem d. Anton. apud Panormit. super cap. penult. num. 9. d. tempor. ordinat.* sequitur *Angel. in verbo, Ordo, 4. §. 1. & Silu. eod. verbo 2. q. 6. d. 2. in fine, Henriq. in sum. lib. 10. cap. 12. §. 1. D. August. Barbos. de offic. & potest. Episcop. par. 2. alleg. 11. nu. 19.* & possunt minores Ordines absquè Missa etiam à non ieiuno confirri, dummodo conferantur in mane, *Angel. d. verb. Ordo 4. num. 5. Armill. eod. verbo, num. 9. D. August. Barbos. d. par. 2. alleg. 14. num 16.*

7 Verùm quocunquè tempore Ordines conferantur character imprimitur, quia tempus non est de substantia Ordinis *cap. penult. de temp. ordin.* tamen quia transgressor est Canonis suscipiens Ordines extra tempus debitum, punitur: interdicitur enim ei executio Ordinis sic suscepti, *cap. quidam extr. eodem tit.* & ordinantes priuantur potestate ordinandi, *cap. sanè, eodem tit. gloss. super d. cap. penult. in princip. Hostien. ibidem nu. 2. D. August. Barbos. d. alleg. 14. num. 15.*

Verùm promotus extra prædicta tempora est ipso Iure à susceptorum Ordinum executione suspensus, ex constitutione Pij Secundi incip. *Cùm ex sacrorum*, & si celebret, vel Ordinis actum exerceat, irregularitatem incurrit, vt resoluunt *Nauar. in manuali cap. 27. num. 241. vers. quintò dico, & cons. 40. num. 7. vers. 11. de tempor. ordinat. in antiq. & cons. 7. sub tit. de Cleric. excommu. ministr. D. Augustin. Barbos. alleg. 17. num. 9. secundùm Lugdunen. impress.*

QVAE-

Digitized by Google

QVÆSITVM XIIII.

Vtrùm Abbas in Ecclesia alterius Abbatis inuitatus, possit Tonsuram, & Ordines minores conferre.

SVMMARIVM.

1 *Arguitur pro parte negatiua.*
2 *Ordines Abbas ab alio Abbate inuitatus, potest in eius Ecclesia conferre.*
3 *Responsio ad argumenta.*

1 Videtur dicendum, quòd non; quia potestas ordinandi non est in Abbatibus Ordinaria, vt diximus, sed tantùm ex priuilegio; ergo extra illius limites non habent potestatem non solùm vt licitè, verùm etiam vt validè Ordines conferāt. At in *can. quoniam 69. distin. & in cap. cùm contingat, de atat. & qualit.* conceditur, vt possint Abbates solummodo in proprio Monasterio Lectores ordinare; ergo non poterunt in alieno Monasterio id efficere, etiam si inuitentur; quia agerent contra tenorem priuilegiorum: & sic ordinatio non teneret ex defectu potestatis.

2 Contrarium tamen sentit *gloss. in d. can. quoniā, verb. Monasterio*, vbi asserit, Abbates si ab alijs Abbatibus inuitentur in eorum claustris, non solùm proprios, verùm etiam illorum Abbatum subditos ordinare posse: quod probat ex *can. Vlt. 9. q. 2.* eamdem *gloss.* secuti sunt *Laur. Hostiens. & Ioan. Andr.* quos refert, & sequitur *Dominic. de S. Gemin. in cap. Abbates, vers. quid si Abbas, de priuileg. in 6. Maiol. de irregularit. lib. 3. cap. 21. num. 12. Iacob. Graff. decis. aur. par. 2. lib. 1. cap. 10. num. 2. Sayr. de censur. lib. 4. cap. 13. nu. 5.*

3 Ad argumentum respondetur, quòd licet in *d. can. quoniam, ac d. c. cùm contingat*, detur Abbatibus potestas, solummodo in proprio Monasterio Lectores ordinandi: tamen per posteriora priuilegia, vel ex consuetudine, ea potestas ampliata fuit; & sic ex vi eorum benedictionis videtur se habere ad modum potestatis collatæ per characterem, quæ de se sufficit ad operandum in quocunq; loco, & circa quamcunquè personam, licet ad rectè agendum sit necessaria iurisdictio, atquè eam, vt talem supponunt citatæ Sacræ Congregationis declarationes, per quas resolutum fuit, posse Abbates Tonsuram, & minores Ordines conferre Regularibus sibi non subditis, ac secularibus habentibus suorum Prælatorum, & Ordinariorum dimissorias ad id speciales, & accedente speciali assensu Episcopi, in cuius Diœcesi Monasterium situm est; quod per *Concil. Triden. sess. 23. de reform. cap. 10.* eis fuerat prohibitum, & quidquid dicitur de Abbate intelligi debet de alio Prælato habenti idem priuilegium Tonsuram, & Ordines conferēdi, si ab alio idem priuilegium habenti, in propria Ecclesia inuitetur.

QVÆSITVM XV.

Vtrùm Abbas possit suos Monachos ante legitimam ætatem in Sacris ordinandos ad Episcopos mittere.

SVMMARIVM.

1 *Aetas requisita ad sacros Ordines, quæ sit.*
2 *Gregorius XIII. & Gregorius XV. omnia viua vocis oracula reuocarunt.*
3 *Anni requisiti ad sacros Ordines suscipiendos, sufficit, quòd sint incohati per vnum diem.*
4 *Clericorum appellatione Religiosi in odiosis non veniūt, & num. 6.*
5 *Odia sunt restringenda fauores ampliandi.*
6 *Clericorum appellatione in fauorabilibus veniunt Religiosi, & Moniales.*
7 *Clericorum appellatione in odiosis veniunt Religiosi in materia æqualiter vtrosque tangente.*

De Iure communi antiquo nemo ad Subdiaconatus Ordinem ante vigesimum ætatis suæ annum, ad Diaconatus ante 25. & ad Presbyteratus Ordinem ante trigesimum, promoueri poterat; qui anni debebant esse completi *can. de his 28. dist. can. Subdiaconum 77. dist. can. 1. & 3. & vlt. 78. dist.* Deinde Clemens V. in Concilio Viennen. corrigendo prædictos Canones, decreuit vt (alio canonico impedimento non obstante) possit quis liberè in decimooctauo ad Subdiaconatus, in vigesimo ad Diaconatus, & in 25. ætatis suæ annis ad Presbyteratus Ordinem promoueri, vt habetur in *clem. generalem, de atat. & qualit.* Præterea vltra prædictum Clem. V. decretum, Innocent. VIII. concessit Fratribus Minoribus, quòd postquam 23. ætatis annum attigerint, dum tamen sufficientes essent, promoueri possent ad Sacerdotium, & Missas celebrare, non obstante Iure, cæterisq. in contrarium facientibus quibuscunque; vt refertur in *compend. priuil. Mendic. verb. dispensatio §. 14.* Idem Pontifex postea concessit, quod Generales, & Prouinciales possent dispensare cum Fratribus suis 22. completo quo ad Sacerdotium, vt refertur in *comp. loc. cit. §. 15.*

1 Verumtamen hodie prædicta Iura ablata fuerunt per *Concilij Tridentini* decretum *sess. 23. de reform. cap. 12.* vbi statutū est, *Vt nullus in posterum ad Subdiaconatus Ordinem ante vigesimum secundum, ad Diaconatus ante vigesimum tertium, ad Presbyteratus ante vigesimum quintum ætatis suæ annum promoueatur.* Vt autem pateret, id non solùm pro Clericis secularibus, verùm etiā pro Regularibus decerni, addidit. *Regulares quoquè neque in minori ætate, nec sine diligenti examine Episcopi ordinentur, priuilegijs quibuscunquè quo ad hoc penitus exclusis.* Ex quibus clarè patet, quòd post prædictum Concilium nullus Regularis ante legitimam ætatem in eo statutam possit sacris Ordinibus initiari, nullo sibi priuilegio ante prædictum Concil. concesso suffragante. Et licet Pius Quintus anno Domini

 1566.

1566. 13. Martij concesserit Fratribus Minoribus quoddam viuæ vocis oraculum, vt possint in foro conscientiæ tantùm vti omnibus gratijs, & priuilegiis per suos prædecessores concessis, etiam quo ad ea, quæ restricta, seu derogata fuerunt per Cōcilium Trident. Tamen huiusmodi viuæ vocis oraculum postea reuocatum fuit per nouam Constitutionem Sixti Quinti contra malè promotos editā, quæ incipit *Sanctum, & salutare*, in qua strictè præcipit, seruandum esse Concilium Trident. prædictum, non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis editis, etiam in Conciliis generalibus, ac cæteris contrariis quibuscunque. Quam Sixti Quinti Constitutionē quo ad hoc postea confirmauit Clemēs VIII. anno Domini 1595. pridie Kal. Martii Pontif. sui anno 5. & si circa alia eam moderauerit, eam enim restrinxit, & ad terminos Iuris communis, ac Concilij Tridentini reduxit, & quo ad ætatem strictè præcepit seruari Concil. Trid. prædictum.

2 Præterea Gregorius XIII. & XV. omnia viuæ vocis oracula reuocarunt; ad hoc autem non constat esse confirmatum, atque ita sentiunt *Roderic. quæst. Reg. tom. 3. q. 23. art 6. Mirand. man. Prel. tom. 1. q. 39 art. 1. Vasq. 3. par. disp. 246. nu. 43. Sayr. de censur. lib. 6. cap. 12. num. 14. & 15. D. August. Barbosa de offic. & potest. Episc. par. 2. alleg. 16 sub num. 1. ad fin. in 2. edit. Ioan. Bapt. Tiber. cap. 8. instruct. pro ordinand. q. 58. vers. petes, an Regulares.*

3 Hi autem anni, satis est, quòd sint inchoati? quare sufficit ad prædictos Ordines per vnum diem præscriptos annos inchoasse, ita *Roderic. quæst. Regul. tom. 3. q. 23. art. 7. Mirand. d. q. 39. art. 2. conclu. vnic. Reginald. in prax. lib. 30. tract. 3. nu. 166. Coninck. de Sacram. tom. 2. disp. 20. num. 102. Bonacciu. eod. tract disp. 8. q. vnic. pun. 5. num. 12.* plures alius refert, & sequitur *D. August. Barbos. de offic. & potest. Episcop. par. 2. d. alleg. 16. num. 1. in vtraquè edit.*

Quòd si aliquis ante ætatem per sacrum Concilium Trident. requisitam ad Ordines promoueretur, de Iure communi ab illorum exercitio vsque ad legitimam ætatem suspensus remaneret, per *tex. in cap. vel non est compos, de tempor. ordinat.* Et per *extrauagan. Pij Secundi incip. cùm ex sacrorum*, quam refert *D. August. Barbos. de offic. & potestat. Episc. par. 2. alleg. 17. num. 10. secundùm Lugdunen. impress.* remanet ipso Iure perpetuò suspensus, donec ab huiusmodi suspensione absolutionis beneficium obtineat, & ita resoluunt *Rebuff. in praxi benefic. par 2. tit. de Cleric. ad sacr. Ord promot. gloss. 4. num. 3. Bonacc. de Sacram. disp 8. qu. vnic. punct. 1. num 13. & alij*, apud eundem *D. August. Barbos. loc. cit. alleg. 16. num. 10.* quod intelligitur de promotis ad sacros, non autem ad minores Ordines; quia pœna prædictæ *extrauag. cùm ex sacrorum*, promotos ad minores Ordines non comprehendit, vt patet ex illis eius verbis. *Quidam ante ætatem legitimam &c. se faciunt ad sacros Ordines promouere.* Et docent *Nauar. cons 31. num. 4. tit. de temp. ordinat. in nouis, Suar. de censur. disp. 31. num. 23. Bonacin. de censur. disp. 3. q. 6. punct. 5. num. 5. vers. quintò, & alij* apud *D. Barbos. d. alleg. 16. num. 14.* quòd si ita suspensus absque absolutione ad alium transiret, vel in suscepto ministraret, vtique irregularitatem incurreret, à qua à Summo Pontifice tantùm absolui posset, *Nauar. in manuali cap. 25. num. 70. & in cap. accepta, opposit. 8. nu. 34. de restitut spoliat. Rota decis. 481. num. 5. par. 2. recent. D. August. Barbos. vbi proximè num. 15. vers. vltra quòd.* Dubium est autem, an supradicta Constitutio Pij Secundi comprehendat etiam Regulares ante legitimam ætatē promotos. Ratio dubitandi est: quia in ea nulla de Monachis, vel Regularibus mentio habetur, sed tantùm de Clericis, vt eam legenti patebit: at no-

4 mine Clericorum in odiosis Religiosi non veniunt;

5 quia odia restringenda sunt, fauores autem ampliandi, *cap. odia, de reg. iur. in 6. cum simili* & ideo interdictis Clericis non censeri interdictos Religiosos, sustinent *Ang. verb interdictum, 1. n. 9. Silu. ver. interdictum. 2. n. 17. Tab. ver interdictū. 1. n. 9. §. Octauo, Maiol. lib 3. de irregul. c. 20. n. 6.* citans *Speculatorē. Henriq. lib. 13. de excom. & interd. cap. 42. §. 3. Vgolin. de censur Eccles tab. 5. § 5. num. 3 Sayr. de censur. lib. 5. cap. 4. num. 29. & alij*, quos infra adducemus in propria materia, *disput. 19. huius tom. 2. q 3. num. 1.* qui omnes huius rei hanc assignant

6 rationem, dantes regulam; quòd in fauoribus nomine Clericorum veniunt etiam Regulares, & Moniales quamuis sint Nouitii; in pœnis autem, & materia odiosa Clericorum appellatio solos seculares Cleriros comprehendit, non autem claustrales, nec Conuersos, nec Nouitios, & quòd in constitutione agente de Clericis non veniant Religiosi præcipuè in materia pœnali, & odiosa, docent *Panormit. in cap. 1. num. 7. ne Clerici, vel Monachi*, & *in cap. 1. num. 9. de iuram. calumn. Bellet. disquisit. Clerical. par. 1. tit. de disciplin. clerical. §. 2. n 9. & alij.* Materia autem, de qua loquimur est odiosa, & pœnalis, vt patet.

7 Nihilominus licet prædicta ita se habeant quātum ad alia, præsertim quantùm ad ea, quæ vel concernunt Clericos tātùm, vel Monachos, & Religiosos tantùm; tamen quando agitur de materia vtrumque æqualiter respiciente, vt in præsenti casu est materia Ordinum recipiendorum, & vt non recipiantur extra tempora ante legitimam ætatē, vel absque dimissorialibus literis; nulla prorsus inter ipsos differentia cognosci potest; & ideò Clerici nomen, quo Summus Pontifex Pius Secundus in prædicta sua constitutione vsus fuit, in hoc sensu vniuocum est, & nomine, ac definitione conuenit, ac comprehendit Clericos tàm seculares, quā Regulares: & ideò concludendum est, Religiosos ante legitimam ætatem ad sacros Ordines se promoueri facientes ipso Iure suspensionem à susceptis Ordinibus incurrere, atquè ita docent *Mirand. in manuali Prelat. tom 1. q. 39. art. 6. Aloys. Rice. in decis. Cur. Archiep. Neapol. decis. 130. par. 4. Portel. in dubys Regular. verb. Ordines sacri, nu. 13. D. August. Barbos. d alleg. 16 num. 24. secundùm Lugdunen. impress.*

QVAE-

QVÆSITVM XVI.

Vtrùm Abbas possit vna, & eadem die, vna, & eidem plures minores Ordines conferre.

SVMMARIVM.

1 *Ordines minores omnes, Abbas potest alicui vna, & eadem die, & si adest consuetudo, etiam primam Tonsuram cum Ordinibus minoribus, conferre.*
2 *Consuetudo vbi adest, possunt eadem die minores Ordines simul cum Subdiaconatu conferri.*
3 *Ordines duo sacri eadem die nemini conferri possunt.*

1 Minores Ordines potest Abbas alicui vna, & eadem die omnes conferre secundùm *gloss. in cap. 3. verb. ad minores, de tempor. ordinat. & in cap. 2. verb. minores, de eo, qui furt. Ordin. suscep.* immo si fit consuetudo, poterit primam Tonsuram simul cum minoribus Ordinibus conferre, vt notant *Silu. verb Ordo 2. qu. 7. Armilla, eod. verb. nu. 6. Reginald. in prax. lib. 30. tract. 1. num. 28. & alij* quos citat *Bonace. de Sacram. disp. 8. q. vnic. pun. 5. nu. 36.* & post eum *D Barbos. de offic. & potest. Episc. par. 2 alleg. 11. num. 15.* Quòd si talis consuetudo non extaret: suscipiens vno, eodemq. die omnes minores Ordines, vel cum eis primam Tõsuram nullam incurreret irregularitatem, in nullo enim Iure reperitur, eum esse irregularem, ita *Bonace. de censur. disp. 7. qu. 3. pun. 5. nu. 3. D. Barbos. d. alleg. 11. nu. 19. & alij* per eos adducti: posse ta-
2 men eodem die minores Ordines simul cum Subdiaconatu conferri, vbi talis vigeat consuetudo, affirmat *Nauar. d. cap. 27.* quia Concilium talem consuetudinem non tollit, vt notat *Hieron. Sorb. in annot ad compend. priuil. verb. Ordo.* Sed notandum est, pro Ordinibus sacris abrogata esse priuilegia, ex quibus Monachi vno, & eodem die poterãt pluribus sacris Ordinibus initiari, iuxta priuilegium ab Eugenio Quarto Congregationi Sancti Benedicti in Hispania concessum, per quod indulserat. *Vt singuli Monachi præsentes, & futuri S. Benedicti ad id idonei, quos Prior sui Monasterij ad hoc elegerit, siue nominauerit, semel dumtaxat anno quolibet omnes etiam sacros Ordines vna, & eadem die, etiam extra tempora à Iure statuta à quibuscunquè Catholicis Antistitibus gratiam, & communionem Sedis Apostolicæ habentibus (cuiusuis super hoc licentia nemine requisita) suscipere, dictiq. Antistites eisdem Monachis Ordines huiusmodi tunc conferre possint.* Vt habetur in *compend. priuil. Mendic. verb. Ordines sacri, 6. 9.* Verùm, vt diximus, hoc priuilegium sublatum est per *Concilium Tridentinum sess. 23. cap. 13* vbi dicitur.
3 *Duo sacri Ordines non eodem die, etiam Regularibus, conferantur, priuilegijs, & indultis quibusuis concessis non obstantibus quibuscunquè.* Quod etiam præter decretum Concilij Tridentini habetur in *cap. literas, & cap. cùm dilectus, de temp. ordinat. & ibi gloss. Innoc. & Hostien. can. qui in aliquo dist. 51 can. qui Ecclesiasticis, dist. 36. can. si qui Episcopi 1. qu. 1.* Iarè firmant *Henriq. in sum. lib. 6. cap. 10. §. 3. lit. Q. & lib. 13. cap. 38. in fine, Roderic. d. q. 23. art 4. Mirand. q. 38. art. 5. concl. 1. Reginald. in praxi dict. lib. 30. tract. 2. num. 189. Suar. de censur. tom. 1. disp. 31. sect. 1. nu. 41. D. Barbos. d. alleg. 14. nu. 10.*

QVÆSITVM XVII.

Vtrùm Abbas possit mittere suos Monachos, vt extra tempora statuta ad sacros Ordines promoueantur.

SVMMARIVM.

1 *Ordines sacri quibus diebus conferri possint.*
2 *Abbates possunt mittere suos Monachos, vt extra tempora statuta tribus diebus Festiuis ad sacros Ordines promoueantur.*
3 *Reuocatio est stricti Iuris, & sic non subintelligenda, vbi non declaratur expressè.*
4 *Clausula Motu proprio, & ex certa scientia, quid operetur in priuilegijs.*

1 De Iure communi statutum est, sacros Ordines non nisi in sex anni Sabatis conferri posse; nempe in Sabatis Quatuor temporum, nec non in Sabato ante Dominicam Passionis, & in Sabato Sancto *cum. quod die, & can. fin. 75. dist cap. 3. de tempor. ordinat* Quorum Canonum statuta *Concil. Trid.* seruari iubet, *sess. 23. de reform. cap. 8.* & comprobat *Bonacc. de Sacrament. disp. 8. q. vnic. pun. 6. n. 1. vers. 1. cũ alijs* ab ipso citatis. Nec ex consuetudine aliquid in contrarium induci potest, *cap. fanè, de tempor. ordinat. Rebuff. in praxi benef. tit. de Cleric. ad sacros Ordines malè promot. gloss. 1. num. 14. & 15. Quarant. in sum. bullar. verb. Ordo, vers. decimo ad secundum, Henriq. in summ. lib. 10. cap. 12. §. 2.* Verù ex speciali Sedis Apostolicæ priuilegio possunt, extra prædicta tempora à Iure statuta conferri: quia Sũmus Pontifex dispensare potest, vt quis extra tempora statuta possit ab aliquo Episcopo ad sacros Ordines promoueri *cap. 1. de tempor. ordinat.* Vnde ex priuilegio Eugenij Quarti Ordini Sancti Benedicti in Hispania, & ex alio priuilegio Alexandri Sexti Ordini Sancti Hieronymi conces-
2 so, dicendum est, licere Abbatibus, suos Monachos Episcopis extra tempora statuta ad sacros Ordines promouendos mittere. Nam dictus Eugenius Quartus concessit prædictæ Congregationi Sancti Benedicti: *Vt singuli Monachi eiusdem Congregationis præsentes, & futuri ad id idonei, quos Prior sui Monasterij ad hoc elegerit, siue nominauerit, semel dumtaxat anno quolibet sacros Ordines, etiam extra tempora à Iure statuta, à quibusuis Antistitibus gratiam, & communionem Sedis Apostolicæ habentibus suscipere, dictiq. Antistites eisdem Monachis Ordines huiusmodi tunc conferre possint.* Ita habetur *in compend. priuil. Mendic. verb. Ordines sacri, 6. 8.* & Alexander Sextus concessit prædictæ Congregationi Sancti Hieronymi. *Quòd Prior Generalis, & singuli Priores eiusdem Congregationis, præsentes, & futuri possint eligere quemcunque Episcopum Catholicum communionem Sedis Apostolicæ habentem, qui personas singulorum Monasteriorum huiusmodi idoneas ad omnes etiam sacros, & Presbyteratus Ordines, etiam extra tempora à Iure statuta, tribus diebus Dominicis, siue Festiuis*

ſtiuis duplicibus ſucceſſiuè promouere poſſit, Diæceſanorum licentia ſuper hoc acquiſita. Vt refertur in eodem *compend. loc. cit.* §. 11. Ex quibus apparet, quòd Prælati ſupradictorum Ordinum Sancti Benedicti, & Sancti Hieronymi, & cæterorum Ordinum, qui illorum priuilegijs per communicationem fruuntur, poſſunt ſuos Monachos Epiſcopis extra tempora ſtatuta in ſacris ordinandos mittere. Neque hæc priuilegia cenſentur reuocata per *Concilium Tridentinum*, quatenus *d. ſeſſ.* 23. *de reformat. cap.* 8. præcipit. *Ordinationes ſacrorum Ordinum ſtatutis à Iure temporibus celebrari*. Quia ſupradictum Concilium quoad hoc non reuocat Regularium priuilegia, vt patet *ex contextu eiuſdem cap.* vbi inferius ſtatuens, vt vnuſquiſquè à proprio Epiſcopo ordinetur, reuocat priuilegia in contrarium facientia; pro vt idem facit in omnibus capitibus, in quibus aliquid exequendum præcipit, apponens clauſulã, *Non obſtantibus &c.* vel alia huiuſmodi; quod non fecit, præcipiendo, vt ordinationes ſacrorum Ordinum ſtatutis à Iure temporibus celebrentur, vt notauit *Roder. quæſt. Regul. tom.* 3. *qu.* 23. *art.* 5. quidquid dicat *Mirand. man. Prælat. tom.* 1. *q.* 38. *art.* 4. Nec obſtat pariter ſupradictis priuilegiis idem *Concil. ſeſſ.* 25. *de Regul. cap.* 22. vbi videtur reuocare omnia priuilegia concessa Regularibus contraria decretis eiuſdem Concilii: nam (vt inquit idem *Roder.* & benè) in dicto decreto ſolùm reuocantur priuilegia, quæ ſunt contraria decretis *ſeſſ.* 25. *de Regul.* non autẽ decretis definitis in aliis ſeſſionibus, quia ſi voluiſſent Patres Sacri Cõcilii in vno particulari capite omnia priuilegia reuocare, quæ ſunt contra definita in *prædicto Concilio in vlt. cap. ſeſſ.* 25. *de reformat.* id feciſſent; cùm ea ſit vltima ſeſſio, & in ea aliqua, quæ Regulares concernunt definiantur, priuilegiis contrariis reuocatis. Nec obſtat inſuper quòd Gregorius XIII. & Sixtus V Regularium priuilegia confirmauerint, ea conditione adiecta. *Dummodo Concilij Tridentini decretis non aduerſentur.* Ex quo videtur colligi, prædictos Sũmos Pontifices Regularium priuilegia Tridentinæ Synodi decretis aduerſantia, reuocare voluiſſe, ex eo quia confirmare noluerunt. Non valet enim conſequentia confirmant priuilegia, quæ Concilio Tridentino non ſunt contraria; ergo reuocant alia, quæ ſupradicto Concil. aduerſantur; cùm reuoca-
3 tio ſit odioſa, & ſic ſtricti Iuris, & ſic non ſubintelligenda vbi expreſsè non declaratur. Demum, etſi in dubium vertatur, an prædicta priuilegia fuerint reuocata per Conſtitutionem Sixti Quinti, quam edidit contra malè promotos, vbi ſtrictè, & ſub grauibus pœnis præcipit, vt nemo extra tempora à Iure ſtatuta ordinetur: tamen per confirmationem omnium priuilegiorum Fratrum Minorum factam à Clemente Octauo cum clauſula,
4 *Motu proprio, ex certa ſcientia, & de plenitudine poteſtatis*, reualidata, & innouata fuerunt. Confirmatio enim cum clauſula, *ex certa ſcientia*, operatur, vt ſi res confirmata fuerit minus valida, fiat magis valida, per *cap.* 1. *in fine, de tranſact. gloſſ. in cap. quia diuerſitatem, verb. forma communi, de conceſſ. præbend.* Vnde omnes Prælati Religionum, quæ dictorum Fratrum Minorum priuilegiis conceſſis, & concedendis per communicationem fruũtur, poterunt, virtute prædictorum priuilegiorũ, ſuos ſubditos extra tempora Dominicis, vel aliis Feſtiuis diebus ordinandos, ad Epiſcopos mittere: ita tenet *Roderic. d. art.* 5. *Monet. de commut. vltim. volunt. cap.* 10. *num.* 184. *Homobon. de Bon. de examin. Eccleſiaſt. tract.* 2. *c.* 1. *q.* 13. *Portel. in dub. Regular. verb. Ordines ſacri, n.* 4 & ſequitur *D. Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſc. par.* 2. *alleg.* 17. *nu.* 6. *in vtraque edit.*

QVÆSITVM XVIII.

Ad quem Epiſcopum debeat Abbas ſuos Monachos ad ſacros Ordines promouendos mittere.

SVMMARIVM.

1 *Regulares hodie quam maximè fieri poterit, & aliquo legitimo impedimento non interueniente, debent Ordines à proprio Epiſcopo, in cuius Diæceſi commorantur ſuſcipere.*

2 *Religioſi Societatis IESV à quocunquè Catholico Antiſtite promoueri poſſunt.*

3 *Religioſi Epiſcopo Diæceſano abſente, vel ordinationes non habente, vel ſede Epiſcopali vacante, à quocunquè Epiſcopo ordinari poſſunt.*

4 *Quid, quando Diæceſanus abſens alicui Epiſcopo tranſeunti ordinationes celebranti facultatem traderet.*

5 *Item quid quando præſens eamdem facultatem Epiſcopo tranſeunti concederet.*

6 *Quid de Regularibus degentibus in Monaſterijs ſitis in locis nullius Diæceſis.*

VIdetur, quòd Monachi poſſint, à quocunquè Epiſcopo Ordines ſuſcipere; nam per memoratum priuilegium ab Eugenio Quarto Caſſineñ conceſſum, & à Iulio II. noſtræ Congregationi communicatum dicitur, *Quòd Monachi præſentes, & futuri præfatæ Congregationis præſentati à ſuis Superioribus ordinari poſſint à quocunquè Catholico Epiſcopo.* Et Clemens Quartus conceſſit facultatem liberam Fratribus Minoribus, vt poſſint promoueri ad ſacros Ordines per quoſcunquè Catholicos Epiſcopos, communionem, & gratiam Sedis Apoſtolicæ habentes, vt refertur in *compend. priuil. Mend. verb. Ordines ſacri*, §. 1. Et quamuis per *Concilium Tridentinum ſeſſ.* 23. *cap.* 8. ſtatutum fuerit, quòd vnuſquiſquè à proprio Epiſcopo ordinetur; tamen hoc non cenſebatur habere locum in Religioſis; nam ipſi à quocunquè Catholico Epiſcopo Ordines ſuſcipiebant, & intelligebatur, quòd poterant ordinari abſque alia licentia Epiſcopi Ordinarii, vt expreſsè declaratum fuit per Pium Quintum *in bulla*, quæ incipit, *Et ſi Mendicantium*: & teſtatur *Paſſarell. in ſuo comp. priuil. fol.* 109. dũmodo ſuorum Abbatum, vel Prælatorum licentiam obtinuiſſent.

Verùm omnia prædicta obſeruata ſunt vſque
1 ad annum 1596. à quo tempore citra Regulares, quàm maximè fieri poterit, & aliquo legitimo impedimento non interueniente, debent Ordines ſuſcipe-

Digitized by Google

ſcipere à proprio Epiſcopo, in cuius Diœceſi commorantur. Eo enim anno 1596. Sacra Congregatio Illuſtriſſimorum Cardinalium Concilij Tridentini interpretum de mandato Sanctiſſimi Domini Clemen. VIII. Pont. Max. ſequentem fecit declarationem. *De mandato Sanctiſſ. D. Clemen. diuina prouidentia Papa VIII. tenore præſentium mandatur omnibus, & ſingulis quibuſcunque Regularium Superioribus, vt de cætero obſeruent, & obſeruare faciant ea, quæ in decreto Sacræ Congregationis Concilij Triden. continentur, cuius tenor eſt talis. Congregatio Concilij cenſuit, Superiores Regulares poſſe ſuo ſubdito itidē Regulari, qui præditus qualitatibus requiſitis Ordines ſuſcipere voluerit, literas dimiſſorias concedere: ad Epiſcopum tamen Diœceſanum, nempe illius Monaſterij, in cuius familia ab ſe, ad quos pertinet, is Regularis potius fuerit, & ſi Diœceſanus abſuerit, vel non eſſet habiturus ordinationes, vel ſedes Epiſcopalis vacaret, ad quemcunquè alium Epiſcopum, dum tamen ab eo Epiſcopo, qui Ordines contulerit examinetur quo ad doctrinam, & dum ipſi Regulares non diſtulerint de induſtria conceſſionem dimiſſoriarum in id tempus, quo Epiſcopus Diœceſanus, vel abſuturus, vel nullas habiturus eſſet ordinationes. Verùm cùm à Superioribus Regularibus, Epiſcopo Diœceſano abſente, vel ordinationes non habente literæ dimiſſoria dabuntur, in eis vtiquè huiuſmodi cauſam abſentiæ Diœceſani Epiſcopi, vel ordinationum ab eo non habendarum exprimendam eſſe. Quod qui non fecerint, officij, & dignitatis, ſeu adminiſtrationis, ac vocis actiuæ, & paſſiuæ priuationis, ac aliæ arbitrio eiuſdem Sanctiſſ. D. N. Papæ reſeruatas pœnas incurrent. In quorum fidem, &c. Datum Romæ die 15. menſis Martij 1596.* Ita referunt *Stephan. Quaranta in ſumm. Bullarij, verb. Ordo, verſ. de mandato Sanctiſſimi Domini, Miranda in man. Prælat tom. 1. qu. 38. art. 2. Piaſeg. in prax. nou. Epiſcop. par. 1. cap. 1. num. 14. Vgolin. de poteſtat. Epiſcop. cap. 16. §. 2. num. 8. Sorb. in addit. ad compend. priuil. Mendic. verb. Ordines ſacri, §. 4. in fine, D. Auguſt. Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſcop. par. 2. alleg. 7. num. 18. in vtraquè edit. Franciſc. Leo in theſaur. fori Eccleſ. par. 1. cap. 4. num. 36. Aloyſ. Ricc. in praxi deciſ. Cur. Archiep. Neapol. deciſ. 118. num. 3. part. 4. Naldus in ſumma, verb. Ordo, nu. 26. Laurent. de Peirin. in priuileg ſui Ord. Minim. in annot. ad conſtit. 2. Sixti IV. num. 33.*

2 Verùm Religioſi Societatis IESV ex indulto Gregorij XIII. à quocunquè Catholico Antiſtite ordinari poſſunt; quod priuilegium refert *Roderic. quæſt. Reg. tom. 1. q. 18. art. 6.*

3 Igitur Religioſi, Diœceſano Epiſcopo abſente, vel ordinationes non habente, vel ſede Epiſcopali vacante, poſſunt à quocunquè alio Epiſcopo Ordines ſuſcipere. Idem dicendum puto, quando Diœceſanus abſens alicui Epiſcopo per ſuam Diœceſim tranſeunti facultatem ordinationes faciendi

4 tradetet: quia ſupradictum decretum eſt ſtrictè interpretandum, vt minus lædat, cùm ſit contra Regularium priuilegia, & ideò vltra caſus expreſſos ampliandum non eſt; ſecus dicendum videtur, ſi præſens tranſeunti Epiſcopo ordinationes celebrandi poteſtatem concederet; quia decretum iſtud ſolùm indulget Religioſis, vt poſſint à quo quo maluerint Epiſcopo Ordines ſuſcipere, Diœceſano abſente, vel ordinationes non habente; at ſi Epiſcopus Diœceſanus præſens, licet non per ſe, tamen per alium ordinationes haberet, cenſeretur ipſe ordinare; nam qui per alium facit, per ſe ipſum facere videtur *reg. qui per alium, de reg. iur. in 6.* & ita tenet *Laurent. de Peirin. loco cit. nu. 34.*

6 Prædicta omnia, in præcitato decreto Sacræ Cōgregationis contenta, ſeruanda ſunt non ſolùm à Regularibus, qui in alicuius Diœceſi exiſtunt, verùm etiam à Regularibus degentibus in Monaſterijs ſitis in locis nullius Diœceſis, qui Ordines à viciniori Epiſcopo ſuſcipere tenentur, vt declarauit Sacra Congregatio menſe Decembri anno 1619 apud *Nald. loco cit. & Laurent. de Peirin. loco etiam cit. num. 36.*

QVAESITVM XIX.

Vtrùm Epiſcopus ab Abbate inuitatus poſsit in eius Eccleſia Monachos ordinare, abſquè licentia Epiſcopi Diœceſani.

SVMMARIVM.

1 *Regulares nequeunt, ab Epiſcopis etiam in ſuis Monaſterijs ordinari, abſquè licentia Ordinariorum, in quorum Diœceſi Monaſteria ædificata ſunt.*

Videtur dicendum, quòd ſic; nam Eugenius Quartus anno Domini 1437. 7. Kal. Martij Pontif. ſui Anno Quarto conceſſit Monachis Congregationis Caſſinen. *Quòd ad Congregationem huiuſmodi quemcunquè Catholicum Epiſcopum gratiam, & communionem Sedis Apoſtolicæ habentem in dictæ Congregationis Monaſterijs, & locus dumtaxat aduocare valeant, cui liceat Apoſtolica auctoritate, abſquè alia licentia, & contradictione Diœceſani, nulla (vt præfertur) examinatione præmiſſa, Monachos ordinare, & alia Pontificalia exercere, de quo Diœceſanum loci non oporteat timere, quòd huiuſmodi Ordinis occaſione iuris ſui præiudicium incurrat.* Quod Priuilegium deniquè extenſum fuit ad noſtram Congregationem Valliſumbroſæ à Iulio Secundo anno Domini 1507. Idibus Iulij Pontif. ſui anno Quarto.

Simile priuilegium fuiſſe conceſſum Fratribus Ordinis Minorum à Sixto Quarto, & confirmatū, ac ampliatum à Leone Decimo, refertur in *compend. priuil. Mend. verb. Ordines ſacri, §. 3. & §. 6. & verb. benedicere, §. 15.* Ex quibus clarè conſtat, potuiſſe olim Abbates, ac alios Prælatos Regulares aduocare quemlibet Epiſcopum ad ſuos Monachos ordinandum, nulla Epiſcopi Diœceſani licentia requiſita.

1 Verùm, prædictis priuilegijs non obſtantibus, dicendum eſt, quòd hodie poſt Concilium Tridentinum nequeunt Religioſi ab Epiſcopis, etiam in ſuis Monaſterijs Ordines ſuſcipere, abſquè licentia Ordinariorum, in quorum Diœceſi Monaſteria prædicta ædificata ſunt, vt habetur expreſsè in *d. Concil. Trid. ſeſſ. 6 de reformat. cap. 5.* vbi dicitur, quòd *Nulli Epiſcopo liceat, cuiuſuis priuilegij* præ-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

prætextu, Pontificalia in alterius Diœcesi exercere, nisi de Ordinarij loci expressa licentia, & in personas eidem Ordinario subiectas tantùm. Si secus factum fuerit, Episcopus ab exercitio Pontificalium, & sic ordinati ab executione Ordinum, sint ipso Iure suspensi. Atque ita tenent *Roder. quæst. Regul. tom. 3 quæst. 24. art. 2. Miranda in man. Prel. tom. 1. q. 38. art. 3.* & decisum fuisse à Sacra Congregatione referunt *Aloys. Ricc. in prax. for. Eccles. post decis. 576. in no tab. de materia Episcoporum, Gallett. in margarit. cas. conscient. verb. Episcopus, pag. 100. col. 2. & Armend. apud D. August. Barbos. de offic. & potest. Episcop. par. 2. alleg. 6. nu. 12.*

QVÆSITVM XX.

Vtrùm Monachi ordinandi, sint ab Abbate, vel Episcopo ordinante examinandi.

SVMMARIVM.

1 *Examinare Monachos ad Ordines minores, spectat ad Abbatem, etiam si impeditus illos ordinare non posset, sed ad Episcopum mitteret.*
2 *Examinare spectat ad eum, ad quem pertinet ordinare.*
3 *Regulares in sacris ordinari petentes, ab Episcopis ordinaturis examinandi sunt.*

1 Respondeo, quòd si Abbas ex causa infirmitatis, vel alterius legitimæ occupationis, suos Monachos ordinare non posset, ad eum spectabit illos examinare, ac examinatos Episcopis in minoribus ordinandos mittere; quia regulariter ad
2 eum spectat examinare, ad quem spectat ordinare. Nec obstat *Concilium Tridentinum sess. 23. de reformat. cap. 12.* statuens, quòd Regulares non ordinentur sine diligenti Episcopi examine: est enim intelligendum de Regularibus, quorum Prælati non habent potestatè Ordines conferendi, ita docet *Nauar. lib. 5. consil. tit. de priuil. cons. 13. in antiq. aliàs 14. in nouis nu. 1. D. August. Barbos. de offic. & potest. Episcop. par 2. alleg. 3 nu. 7. secundùm Lugdunen. impress. P. Ioan Baptist. Tiber. cap. 8. instruct. pro ordinand. q 58. vers. petes primò, an Regulares.*
3 Quo verò ad sacros Ordines, diximus, quòd Episcopi, si velint, examinare possunt Regulares ab eis ordinari petentes, etiam si habeant literas cõmendatitias suorum Prælatorum. Aduertant tamen prudentes Abbates, vt eos, antequam Episcoporum examini subiiciant in Monasterio per proprios examinatores probent, ac idoneos repertos ad Episcopos deniquè remittant, vt passim in vnaquaquè Religione, & Cógregatione per speciales constitutiones, siue laudabilem consuetudinem fieri consueuit.

Dixi, quòd Episcopi, si velint, examinare possunt; quia licet *Concilium Tridentinum sess. 23. cap. 12.* dicat. *Regulares quoquè, nec in minori ætate, nec sine diligenti Episcopi examine ordinentur.* Tamen huiusmodi examen remittere possunt notoriè dignis, ac iis, de quibus constat, aut prudẽter præsumitur, esse sufficienter doctos, iuxta *can. 2. dist. 24. & clem. 1. de iureiur.* vt benè aduertit *Silu. verbo, Ordo 1. quæ. 2. Rebuff. in prax. tit de Cler. ad sacr. Ord. malè promot. gloss. 4. num. 11. D. Barbos. par. 2. alleg. 72. nu. 119. Felin. tom. 1. moral. quæst. tract. 9. cap 4. 6. quæsito:* ideò dicitur si velint: quia hoc de necessitate eis non præcipitur, maximè cum notoriè idoneis.

QVÆSITVM XXI.

Quæ idoneitas scientiæ requiratur in Monachis ab Abbate, vel ab Episcopo ordinandis.

SVMMARIVM.

1 *Prima Tonsura initiandus debet scire bene legere, & scribere.*
2 *Promouendi ad minores Ordines debent saltim latinam linguam intelligere.*
3 *Scientia ad sacros Ordines requisita.*
4 *Illiterati omnino ab Ordinibus repellendi sunt, quia sunt irregulares.*
5 *Ordinari tuta conscientia possunt Monachi bene legere & cantare scientes, licet non rectè latina lingua polleant.*
6 *Monacho sufficit, vt sit bonus, licet illiteratus.*

Pro huius quæsiti intelligentia notandum, quòd *Concil. Trident. sess. 23. cap. 4.* statuit,
1 *Vt prima Tonsura non initientur, qui Fidei rudimenta edocti non fuerunt; quiquè legere, & scribere nesciant, & cap. 11.* Vt qui ad minores Ordines sunt promouendi, saltem latinam linguam intelligant,
2 ibi. *Minores Ordines iis, qui saltem latinam linguam intelligant, conferantur.* Per quæ verba, vt aduertit *Nauar. in man. cap. 27. nu. 205. & in relectione, cap. si quando, de rescrip. except. 13.* dictum Concilium videtur facere irregularẽ promotum ad primam Tonsuram nescientem legere, & scribere, & ad quatuor minores Ordines illum, qui saltem latinam linguam non intelligit.
3 Demum qui ad Subdiaconatus, & Diaconatus Ordines promoueri petunt, literis præditi, & iis, quæ ad tales Ordines pertinent, instructi esse debent, vt habetur in *d. sess. cap. 13.* Ad Presbyteratum autem requiritur, vt sint idonei, tum ad populum docendum ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, tum ad Sacramenta administranda; vt decernitur in *cap. 14.* Sed quidquid sit de Clericis, qui illiterati omnino ab Ordinibus
4 sunt repellendi; quia sunt irregulares, *can. illiteratus, dist. 36. can. præcipimus 34. dist. can. 1. 55. dist.* tamen in Monachis non requiritur tanta scientia, quanta in ipsis Clericis secularibus: Monachi e-
5 nim bene legentes, & cantantes, etsi non bene latina lingua polleant, tuta conscientia possunt à suis Prælatis Regularibus præsentari, vt ordinentur, & ab Episcopis ordinari. Ipsi enim regulariter non ordinantur ad curam animarum habendam; sed solummodo ad assistendum Choro, ac Diuinis Officiis, & ad inseruiendum Altari, & Sacrũ faciendum, remanetquè in illis spes comparandi talem scientiam, & cognitionem necessariam ad suo muneri satisfaciendum, ob continuam instru-

ctio-

ſtionem, quæ de his rebus in Religione habetur; ita ſentire videtur *gloſſ. in cap. legi, verb. inſtructio*
6 *16. q. 1.* dicens, ſufficere Monacho, vt tantùm ſit bonus, licet ſit illiteratus. Et hanc ſententiam amplectuntur *Siluest. verb. Clericus 2. num. 1. Angel. verb. Clericus 2. nu. 2. Sot. in 4. diſt. 25. q. 1. art. 4. concl. 3. Henriq. tom. 2. de Sacramen. Ord. lib. 10. cap. 16. nu. 2. Maiol. de irregular. lib. 1. cap. 32. à nu. 5. Mirand. in man. Prælat. tom. 2. q. 8. art 7. concl. 1. P. Ioan. Bapt. Tiber. cap. 8. instruct. pro ordinand. q. 518. verſ. hoc tamen non obſtat.*

Nec his obſtare videtur *Concil. Trident. locis citatis*: nam locum habent eius decreta maximè in Clericis ſecularibus, qui ſemel ordinati nil amplius pœnitus addiſcunt, nec ſtudere amplius procurant; Religioſi autem non ſic; nam in his ſemper remanet ſpes de acquirenda ſcientia, & cognitione neceſſaria ad ſuum munus peragendum.

Præterea cùm per dictum Concilium non ſit cōſtitutum, vt Epiſcopi per ſe ipſos ordinandos examinnent, ſed quòd id aliis committere poſſint; non eſt maior ratio, cur examinatoribus Clericis de Religioſorum ſufficiētia teſtimonium reddentibus magis, quàm literis patentibus Regularium Prælatorum de ea re teſtificantium credant; vt ait *Miranda d. concl. 1. in fine.* Non debent igitur Epiſcopi nimis rigoroſè in Religioſorum ordinandorum examine procedere, & de his hactenus.

QVAESITVM XXII.

Vtrùm Abbas diſpenſare poſſit cum ſuis Monachis ſuper interſtitijs quo ad Ordines minores; & quæ cauſa in huiuſmodi diſpenſatione requiratur.

SVMMARIVM.

1 *Diſpenſare cum ordinandis in interſtitijs, regulariter ſpectat ad Epiſcopum ordinantem, etiam quo ad Religioſos.*

2 *Diſpenſare Abbates Regulares, habentes poteſtatē conferendi minores Ordines ſuis Monachis, poſſunt cum ipſis in interſtitijs, quo ad eoſdem minores Ordines.*

3 *Diſpenſari quòd poſſit ſuper interſtitijs quo ad Ordines minores, ſufficit quæuis cauſa, etiam leuis, dummodo Abbas eam approbet.*

1 Regulariter diſpenſatio cum ordinandis in interſtitijs pertinet ad Epiſcopum, etiam quo ad Regulares promouendos, cum quibus diſpenſare poteſt ex cauſa, ſibi per ſuorum Superiorum atteſtationem manifeſtata: ita vt non liceat ipſis Prælatis in hoc caſu diſpenſare; quod expreſsè colligitur ex *Concilio Tridentino*, quod in *cap. 11. ſeſſ. 23. de reform.* ait. *Minores Ordines per temporum interſtitia, niſi aliud Epiſcopo expedire magis videretur, conferantur.* Atquè ita deciſum fuiſſe à Sacra Congregatione eiuſdem Concilii, referunt *additio ad Quarant. in ſum. Bull. verb. Ordo, in fine, Piaſeg. par. 1. cap. 1. num. 50. Ricc. in prax. for. Eccleſ. deciſ. 561. nu. 5. Henriq. in ſum. lib. 10. cap 23. §. 4. in com. lit. L. & alij*, quos citat *D. Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſcop. par. 2. alleg. 18. nu. 10.*

2 Verùm hæc quo ad Ordines minores non obſtant Abbatibus Regularibus, habentibus poteſtatem, illos ſuis Monachis conferendi; ad ipſos enim, non autem ad alium ſpectat, in interſtitiis cum eiſdem diſpenſare. Nec obſtant verba Concilii Tridentini; habent enim locum in aliis Prælatis Regularibus, non habentibus poteſtatem Ordines conferendi, de quibus etiam intelligenda eſt Sacræ Congregationis declaratio, necnon & de Abbatibus quo ad diſpenſationem interſtitiorum circa Ordines ſacros. Probatur ratione: nam acceſſorium ſequitur naturam principalis; ergo ſi Abbatibus competit ſuis Monachis minores Ordines conferre poſſe, conſequenter ipſis etiam cōueniet, cum eiſdem ſuper interſtitijs diſpenſare: abſurdum enim eſſet, Abbates illos ordinare, & ab alijs diſpenſationem in interſtitijs petere, atquè ita ſentiunt *Henriq. loco cit.* qui licet contrarium ſenſerit reſpectu Prælatorum inferiorum, qui Ordines conferendi poteſtatem non habent, aliter tamen dicendum putat in præſenti caſu, *Hieron. à Sorb. in annot. ad comp. priuil. Mendic. verb. Ordines ſacri, verſ. quando verò Abbates, Roderic. quæſt. Reg tom. 3. q 24. art. 4. Miranda man. Prælat. tom. 1. q. 38. art. 7. concl. 3. Campanil. in diuerſ. Iur. Canon. rub 12. cap. 13. nu. 24. D. Auguſt. Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſc. alleg. 3. num. 6. & d. alleg. 18. num. 3. & vlt. Suar. de Religio. tom. 4. tract. 8. lib. 2. cap. 12. num. 21.*

3 Ad huiuſmodi autem diſpenſationem ſufficit quæuis cauſa etiam leuis, dummodo Abbas eam approbet; quod probatur ex *prædicto Concilio Trid. ſeſſ. 23. cap. 11.* vbi dicitur, quòd, *Nemo ad minores Ordines, niſi per temporum interſtitia, promoueatur*, Et denique poſtea nullam faciens mentionem de cauſa, ſubdit. *Niſi aliud Epiſcopo magis expedire videatur.* & poſtea ſtatim, ait. *Hi verò non niſi poſt annum à ſuſceptione poſtremi gradus minorum Ordinum, ad ſacros Ordines promoueantur, niſi neceſſitas, aut Eccleſiæ vtilitas iudicio Epiſcopi aliud expoſcat.* Quæ verba ſignificant, maiorem cauſam interuenire debere, vt diſpenſetur ſuper interſtitio vnius anni, quod requiritur ab Acolythatu, qui eſt minorum Ordinum poſtremus, ad Subdiaconatum; quàm in diſpenſatione interſtitij minorum Ordinum; ſed ad diſpenſationem ſuper interſtitio Subdiaconatus ſufficit tantùm neceſſitas, vel vtilitas Eccleſiæ; ergo pro diſpenſatione ad recipiendos minores Ordines ſatis erit quæcunquè cauſa etiā leuis, & non neceſſaria; cùm Concilium ad huiuſmodi diſpenſationem nec vtilitatem, nec neceſſitatem Eccleſiæ requirat, ſed tantùm iudicio Epiſcopi remittat: & idem intelligendum erit procedere de Abbatibus cum ſuis Monachis (in minoribus Ordinibus loquendo) quod de Epiſcopis, cum ſuis ſubditis, vt ſupra probatum eſt.

QVAE.

Digitized by Google

QVÆSITVM XXIII.

Vtrum quando, stante aliquo impedimento, Abbates suis Monachis Ordines minores conferre nequeunt, sed ad Episcopum ordinandos mittunt, ad ipsos spectet, in interstitijs cum eis dispensare: an verò competat Episcopo ordinaturo.

SVMMARIVM.

1 *Dispensare cum Monachis super interstitijs minorum Ordinum, spectat ad Abbates, etiam si impediti illos ad Episcopum ordinandos mitterent.*

2 *Ordinare ad quem spectat, ad illum spectat in interstitijs dispensare.*

HAnc quæstionem mouet *Miranda in man. Prælat. tom. 1. q. 38. art. 7. concl. vlt. in fine*, & eam indecisam aliorum iudicio terminandam

1 relinquit. Mihi autem dicendum videtur, dispensationem super interstitijs minorum Ordinum cū suis subditis Regularibus spectare ad Abbates, nō solùm quando eos per se ordinauerint, vt resoluimus in antecedenti quæsito, & asserunt communiter omnes; verùm etiam quando ad Episcopos ordinandos dimittunt; eadem enim omnino ratio videtur, & habet locum Generalis regula, *Ad quem*

2 *spectat ordinatio ad illum spectat dispensatio super interstitijs*, atque ita tenet *P. Ioan. Bapt. Tiber. cap. 8. instruction. pro ordinand. quæst. 58. vers. petes secundò an possint dispensare*.

QVAESITVM XXIV.

Vtrùm Abbates possint dispensare cum suis Monachis super interstitijs quo ad Ordines maiores, & quæ causa ad huiusmodi dispensationem requiratur.

SVMMARIVM.

1 *Dispensare cum Regularibus super interstitijs sacrorum Ordinum, spectat ad Episcopum ordinantem.*

2 *Causæ quæ requirantur ad dispensandum super interstitijs sacrorum Ordinum.*

EX his, quæ hactenus in anterioribus quæsitis dicta sunt, satis constare videtur, absque eo, quòd sit in controuersiā ponendum, ad Episco-

1 pum ordinantem, non autem ad Abbatem dispensationem cum Regularibus super interstitijs sacrorum Ordinum pertinere; quia *Concilium Tridentinum sess. 23. de reform. cap. 11.* loquendo de promotione ab Ordinibus minoribus ad Subdiaconatum, postquam præcepit, id non fieri nisi post annum à susceptione Acolytatus, qui est postremus minorum Ordinum, subdit: *Nisi necessitas, aut vtilitas iudicio Episcopi aliud exposcat*. Et *cap. 13.* loquēs de promotione à Subdiaconatu ad Diaconatum, ait. *Promoti ad sacrum Subdiaconatus Ordinem, si per annum saltem in eo non sint versati, ad altiorem gradum, nisi aliud Episcopo videatur, ascendere non permittantur*; idem statuit in *cap. 14.* loquens de interstitio à Diaconatu ad Presbyteratum. Ex his locis apparet, ipsum Concilium huiusmodi dispensationem Episcopo reseruare. Et hoc voluit responsum Sacræ Congregationis declarans, non licere Prælatis Regularibus super interstitijs Regularium ordinandorum dispensare: sed id ad Episcopum ordinantem spectare: habet enim locum in Abbatibus, quo ad sacros Ordines tantùm, in quorum interstitijs non possunt dispensare sicut in interstitijs minorum Ordinum; ea enim potestas non illis competit ex mera iurisdictione, quam habent, vt Prælati; sed ex speciali concessione, quæ ad eos extenditur, quatenus ordinandi auctoritatem habent; ergo habent potestatem dispensādi in interstitijs illorum Ordinum, quos conferre possunt. Atque ita sentire videntur communiter Doctores.

Ex quibus licet inferre, quòd in illis Abbatijs, in quibus adhuc viget priuilegium Innocentii Octaui, quo possunt Abbates Cistercieñ. Subdiaconatus, & Diaconatus Ordines conferre, possunt etiam super interstitijs eorundem Ordinum dispensare, eadem enim ratio omnino militat. Quādo autem Abbates per se dispensare non possunt, si in suis literis petant ab Episcopo ordinaturo dispensationem, testificantes subsistere dispensandi causam, tenetur Episcopus, absquè alia inquisitione, eam concedere; ita *Roderic. in explicat. Bull. Sixti V. & 2. par. sum. cap. 16. nu. 6. & tom. 3. quæst. Regul. q. 24. art. 3. ad tertiū Quarant. in summ. Bullar. verb. Ordo. in fine Ricc. in prax. for. Eccles. decis. 561. num. 5. D. Barbos. de offic. & potest. Episc. par. 2. alleg. 18. nu. 10. & alij*, quos citat, & sequitur *Ioan. Bapt. Tiber. cap. 8. instruct. pro ordinand. q. 58. vers. quo ad Ordines sacros*.

2 Vt autem Abbates sciant, quænam causa in interstitijs huiusmodi sacrorum Ordinum dispensandi Episcopo exprimenda, requiratur; aduertendum, quòd in remittendis temporum interstitijs quo ad Ordinem Diaconatus suscipiendum, non est opus, vtilitatem, vel necessitatem Ecclesiæ interuenire, sed solùm Episcopi iudicio relinquitur, per *Concilium Tridentinum d. sess. 23. cap. 13.* Quo verò ad Ordinem Subdiaconatus, & Presbyteratus suscipiendum necessitas, & vtilitas Ecclesiæ tanquam causæ sufficientes ad dispensandum, adesse debent: non tamen eodem modo, in Subdiaconatus enim susceptione sufficit necessitas, vel vtilitas disiunctiuè, in decreto enim *prædicta sess. 23. cap. 11. Concily*, disiunctiuè ponuntur, dum inquit: *Hi verò nonnisi post annum à susceptione postremi gradus minorum Ordinū ad sacros Ordines promoueantur, nisi necessitas, aut Ecclesiæ vtilitas iudicio Episcopi aliud exposcat.* Ad suscipiendum verò Ordinē Presbyteratus coniunctim requiruntur, adeo quòd necessitas, & vtilitas Ecclesiæ simul, & eodē tempore interuenire debent, vt patet ex verbis eiusdem *Concil. cap. 14. ibi: Ad Presbyteratus Ordinem assumantur qui in Diaconatu ad minus annum integrum, nisi ob Ecclesiæ vtilitatem, ac necessitatem aliud Episcopo videretur*.

QVAE-

QVAESITVM XXV.

Vtrùm ad Abbatem spectet suis Monachis litteras dimissorias concedere.

SVMMARIVM.

1 *Dimissorias literas Monachis ordinandis concedere spectat ad Abbatem, non ad Episcopum.*

PRima sententia est *Filliucc. tom. 1. mor. quæst. tract. 9. cap. 4 q. 4.* dicentis, dimissorias ad maiores Ordines non cōcedere Abbatem, sed Episcopum; & pro sua sententia citat *Henriq. & alios*: excipit tamen Societatem suam Iesu, in qua ex priuilegio dantur ordinandis dimissoriæ à proprijs Superioribus, idem fatetur *Regin. in praxi for. pœnit. lib. 30. tract. 3. num. 14.* quam sententiam probant non alia ratione, nisi auctoritate *Concilij Tridentini sess. 23. cap. 8. de reform.*

2 Verior tamen, & probabilior sententia est, ad Abbates, non autem ad Episcopos Diœcesanos spectare, litteras dimissorias suis Monachis ordinandis concedere, hoc probatur ex *Concilio Trid. d. sess. 23. cap. 10.* vbi prohibetur Abbatibus, quantumuis exemptis, literas dimissorias aliquibus Clericis secularibus, vt ab alijs ordinentur, concedere; ergo intelligendum est, quòd cum suis subditis Regularibus possunt id facere. Huius sententiæ est *Nauar. lib. 2 consil. de temp. ordinat. cons. 22. & 23. Henriq. lib. 7. de indulg. cap. 26. in princ.* & idem expressè habetur per nonnulla priuilegia, in quibus conceditur, quod Monachi, vel Regulares possunt, & debent cum suorum Prælatorum literis commendatitijs, vel dimissorijs ordines suscipere, non verò sine illis, vt est videre in *Min. Ord.* in multis locis, & in *Comp. Ord. Cisterc. tit. Ordo §. 2.* Ad maiorem autem huius rei claritatem, hoc expressè declaratur per Clem VIII. Pont. Max. in priuilegio concesso ad instantiam Monasterij de Alcobaça Ordinis Cistercien. Regni Portugalliæ, *Vt ea, quæ* sub Datum Romæ apud S. Petrum die 9. Martij anno 1592. Pontif. sui anno primo; vbi inter alia manifeste præcipitur. *Vt litera dimissoria Abbatis prædicti Monasterij à quibuscunque locorum Ordinarijs admittantur, & recipiantur.* Quod priuilegium refert *Roderic. quæst. Reg. tom. 1. q. 18. art. 5. Mirand. in man. Prælat. tom. 1. q. 39. art. 3.* & insuper habetur hoc declaratum fuisse de mandato Clem. VIII. Pont. Max. Superiores Regulares posse suis subditis Regularibus, qui prædicti qualitatibus requisitis Ordines suscipere voluerint, literas dimissoriales concedere; ita *Campanil. in diuers. Iur. canon. rub. 12. cap. 13. nu. 37. Cappuc. in addit. ad comp. priuil. 1 t. Ordines sacri §. 4. Vgol. de potest. Episc. cap. 26. §. 20. num. 8. D. August. Barbos. de offic. & potest. Episcop. par. 2. alleg. 7. nu. 18.* Ex quibus satis constat ad Abbatem spectare literas dimissorias suis Monachis ordinādis concedere. Nec obstat *Conc. Trid. d. cap. 8.* immo potius nostræ sententiæ suffragari videtur in eo enim dicitur. *Quòd si quis ab alio promoueri petat, nullatenus id ei, etiam cuiusuis generalis, aut specialis rescripti, vel priuilegij prætextu, etiam statutis temporibus permittatur, nisi eius probitas ac mores Ordinarij sui testimonio commendentur.* vbi nomine Ordinarij intelliguntur respectu Regularium Abbates, & Prælati Religionum, ad quos spectat suorum subditorum vitā, & morum probitatem plenè cognoscere, & de illis testimonium reddere; non verò ad Episcopum Diœcesanum, qui de illorum vita, & moribus testificari non potest; ità *D. August. Barbos. loc. cit. num. 30.* Episcopi enim, vel forsan nunquam Regulares agnouerunt, vel eorum vitæ, & morum probitatem non plenè norunt. Vnde nullo pacto possent testimonium reddere, quæ ipsis plenè cognita esse non potuit, sicuti proprijs Prælatis, qui per diutinam cōuersationem suorum Monachorum mores plenius obseruarunt, videatur *Marc. Anton. Genuen. in praxi Archiep. Neapol. fol. 415. & seq. & D. August. Barbos. d. num. 31.*

QVAESITVM XXVI.

Vtrùm Abbas possit Clericis secularibus sibi subditis literas dimissorias concedere.

SVMMARIVM.

1 *Dimissorias literas Abbates dare nequeunt Clericis secularibus sibi subditis.*

2 *Prælatus qui est Ordinarius priuatiue ad Episcopum ac habet ius visitandi, & Synodum congregandi, potest Clericis secularibus sibi subditis literas dimissorias concedere.*

OLim Abbates, & alij exempti poterant literas dimissorias subditis secularibus concedere, vt patet ex *cap. cùm nullus, de temp. ordinat. in 6.* & ibi *Ioan. Andr. num. 2. Anchar. num. 3. & Franch. num. 5.* Hodie verò per *Concilium Tridentinum in prædicta sess. 23. cap. 10.* hoc fuit expressè illis prohi-
1 bitum, cum derogatione omnium priuilegiorum, præscriptionum, aut consuetudinum, etiam immemorabilium, vt patet ex verbis *d. cap.* quæ sunt hæc. *Nec ipsi Abbates, & alij exempti literas dimissorias aliquibus Clericis secularibus, vt ab alijs ordinentur, concedant: sed horum omnium ordinatio, seruatis omnibus, quæ in huius Sacrosanctæ Synodi decretis continentur, ad Episcopos, intra quorum Diœcesis fines existunt, pertineat; non obstantibus quibuscunque priuilegijs, præscriptionibus, aut consuetudinibus, etiam immemorabilibus.* Ex quibus affirmat *Henriq. in sum. lib. 10. cap. 22. §. 3.* nullum Prælatum, præter Episcopum, etiam quòd iurisdictionem quasi Episcopalem contentiosam, & voluntariam habeat, posse Clericis secularibus dictas literas impartiri, quod in terminis resoluit *Rota in vna Vrbinaten. Parochialis, 14. Decembris 1592. coram Blanchetto.* Limitatur
2 tamen, nisi huiusmodi Prælatus esset Ordinarius priuatiuè ad Episcopum, ac haberet ius visitandi, & Synodum congregandi, contra quem non intrare dispositionem Concilij Trid. defendit *Gratian. discept. forens. tom. 2. cap. 212.* relatus à *Campanil. in diuers. Iur. canon. rub. 9. cap. 8. num. 4.* quos refert, & sequitur *D. Augustin. Barbos. de officio, & potestate Episcop. par. 2. alleg. 7. num. 8.* & decisum fuit in vna *Salamantina iurisdictionis die 9. Maij 1594. coram Cardinali Seraphino.*

QVAESITVM XXVII.

Vtrùm Abbas possit Nouitijs literas dimissorias dare.

SVMMARIVM.

1 *Dimissorias literas Abbates Nouitijs concedere non possunt.*

2 *Dimissorias Nouitijs concedere possunt Abbates, habentes speciale priuilegiū concedēdi illas suis Monachis vt à quocunq; Episcopo Ordines suscipiant.*

1 RESpondeo non posse Abbatem literas dimissorias Nouitijs concedere; sed eas dare pertinebit ad proprium Episcopum. Ratio est quia Abbas non habet circa illos omnimodam potestatem, sed tantummodò necessariam ad bonum regimen, & finem probationis, & quoad hoc tantùm sunt exempti ab Episcoporum iurisdictione; sed ad finem probationis in Religione non est necessarium, quòd Abbas possit eis concedere literas dimissorias ad suscipiendos Ordines ab Episcopo, maximè cùm expediat Nouitios non ordinari, imò præceptum sit in aliquibus Religionibus; ita docent *Suar. de Relig. tom. 2. lib. 6. de voto cap. 11. num. 9. Henriq. in sum. lib. 10 de Sacram. Ordin. cap. 23. num. 3. in comment. lit. G. & lib. 14. de irregul. cap. 9. num. 2. Vgolin. tractat. de potest. Episcop. cap. 26. §. 20. num 7. Nald. verb. Nouitius num. 8. Sanch. in Decalog. lib 4. cap. 39. num. 21. & lib. 6. cap. 10. in fine, Bartholom. de Vecch. in praxi pro Nouit. recipiend.*
2 *disput. 11. dub. 8. num 3.* Tamen Religionum Prælati habentes speciale priuilegium concedendi suis Monachis dimissorias literas ad quemcunque Episcopum, licet in illo non exprimatur, quòd illud valeat Nouitijs communicare, poterunt tamen etiam Nouitijs illas, vt à quocunq; Episcopo ordinentur, sicuti cæteris Monachis professis, concedere. Probabile est enim Nouitios Religionis priuilegijs gaudere, vt tradunt *Molin. tom. 2. de iust. disput. 138. §. præter hos, Azor. instit. moral. par. 1. lib. 12. cap. 2. quæst. 2.* quare ita sentiunt *Sanch. d. cap. 10. in fine, P. Ioan. Baptista Tiber. cap. 7. instruct. pro ordinand. quæst. 50. Bartholom. de Vecchis loco citato, vers. si verò.* Sed à quo Prælato dependeat seu habere debeat Nouitius facultatem & literas dimissorias quatenus legitime ordinetur tradit nouissimè *D. Aug. Barbos. in collect. ad can. Monasterijs, 19 q. 3.*

QVAESITVM XXVIII.

Vtrùm Abbas excommunicatus, vel suspensus declaratus possit suis Monachis literas dimissorias dare.

SVMMARIVM.

1 *Abbas excommunicatus, vel suspensus declaratus non potest dimissorias suis Monachis concedere.*

2 *Dimissorias concedere est actus iurisdictionis.*

3 *Abbate excommunicato, vel suspenso, potestas concedendi dimissorias deuoluitur ad Priorem Claustralem.*

RESpondeo Abbatem excommunicatum, vel su-
1 spensum declaratum non posse huiusmodi dimissorias literas suis Monachis concedere; quia concedere subditis licentiam recipiendi, & Episcopis conferendi Ordines, est actus iurisdictionis; dans
2 enim huiusmodi licentiam, alteri iurisdictionem suam demandat, qui est actus iurisdictionis, vt notauit *Sanch. de matrimon. lib. 3. disput. 21. num. 9. Suarez de censur. tom. 5. disput. 14. sect. 1. num. 6. & 7.* Sed ita excommunicatus non potest validè actus iurisdictionis exercere, *cap. exceptionem, de except. cap. aduersus, vers. quia verò, de immunit. Eccles. cap. 1. de offic. Vicar. num. 6. iuncta gloss. in verb. vigorem,* quia excommunicatus ab omnibus actibus legitimis repellitur, *cap. licet. de sentent. excommunicat. in 6.* Ergo non potest licitè dimissorias concedere; quòd si id faceret, tales dimissoriæ non valerent, & perconsequens cum illis ordinati inciderent in pœnas contra Ordinatos sine licentia. Ita *Prasec. in prax. noua Episcop. par. 1. cap. 1. num. 13. D. August Barbos. de offic. & potestat. Episcop. par. 2. allegation. 7. num. 5. Homobon. commentar. resolut. tract. 2. cap. 1. quæst. 6. P. Ioan. Baptista Tiber. cap. 7. instruct. pro ordinand. quæst. 52.* Hanc
3 autem potestatem in tali casu puto deuolui ad Priorem Claustralem, vel alium ipsius Abbatis Vicarium, ad quem deuoluitur tota iurisdictio in subditos Conuentus, mortuo vel absente Abbate, vel per eius officij cessationem, quia concedere huiusmodi dimissoriales literas est actus iurisdictionis, vt cum *Sanch. & Suar.* supra probauimus.

QVAESITVM XXIX.

Vtrùm literæ dimissoriæ expirent per mortem, vel cessationem Abbatis, qui eas concessit.

SVMMARIVM.

1 *Dimissoria semel concessa semper valent, nec concedentis morte, vel cessatione ab officio expirant, nisi per successorem reuocentur.*

2 *Gratia, vel fauor non expirat morte concedentis.*

RESpondeo, quod literæ dimissoriæ semel con-
1 cessæ semper valent, nec morte, vel cessatione officij concedentis expirant, nisi per successorem reuocentur, ita Cardinalis *Zabarella* communiter receptus *in Clement. final. post num. 9. quæst. 5. de election. Nauar. in cap. placuit num. 34. & 163. de pœnit. distinct. 6. & cons. 5. tit. de rescript. in noua edition. Rebuff. in praxi de benefic. tit. de forma liter. dimissor. num. 43. Henriq. in summ. lib. 10. cap. 22. §. fin. Homobon. in comment. resolut. tractat. 2. cap. 1. quæst. 7.* & alij, quos citant, & sequuntur *D. August. Barbos. de offic. & potestat. Episcop. par. 2. alleg. 7. num. 23. & P. Ioannes Baptista Tiber.*
2 *cap. 7. instruct. pro ordinand. quæst. 53.* Horum ratio est, quia gratia, vel fauor non cessat ob mortem conce-

Digitized by Google

concedentis, per text. in cap. si cui nulla, de præbend. in 6. & cap. si super gratia, de offic. Iudic. deleg. eodem lib.

QVAESITVM XXX.

Sub quo titulo debeat Abbas suos Monachos ad sacros Ordines promoueri facere.

SVMMARIVM.

1 Titulus nullus ad minores Ordines, neque Regularibus, neque sæcularibus Clericis est necessarius.
2 Titulus ad maiores Ordines necessario requiritur.
[illegible]
4 Regulares ordinantur ad titulum paupertatis.
5 Monasterium tenetur alere suos Monachos.
6 Nouitij non possunt absque titulo patrimonij, vel beneficij sacris Ordinibus insigniri. Quid [illegible] in non professis, quam in nulliter professis.

1 Quo dicimus, ad sacros Ordines, ad minores enim Ordines nullus titulus, nec Regularibus, nec sæcularibus Clericis est necessarius, quamuis enim antiqui canones etiam in promouendis ad minores Ordines titulum exigant, cap. 1. dist. 70. & cap. 2. de præbend. cum suis glossis, tamen consuetudo obtinuit, ut nullus in his titulus exigatur, vt testatur Vgolin. de irregularit. cap. 61. num. 1. Petrus de Ledesma in summ. part. 1. de Sacrament. Ordin. cap. 9. ad fin. Nauarr. cons. 14. in cap. quæsitum est num. 1. tit. de tempor. Ordinationi. Nicol. Garc. de benefic. part. 2. cap. 5. num. 4. cum seq. Campanil. in diuers. iur. canon. rub. 8. cap. 2. num. 5. Homobon. comment. ex resoluti tractat. cap. 2. quæst. 20. & alij, quos citat, & sequitur D. Augustin. Barbos. de officio, & potestate Episcop. par. 2. allegat. 19. num. 3. & hanc consuetudinē approbasse videtur Concilium Tridentinum sess. 21. de reformat. cap. 2. dum in sacris tantum Ordinibus titulum exigit.

2 Ad maiores autem Ordines necessario requiritur titulus, ne, cum Ordinis dedecore mendicet infelix in plateis Clericus, & seruili operi mancipatus publicè à quolibet poscat eleemosynam, vt legitur in cap. Diaconi sunt 93. dist.

3 Hic autem titulus est triplex. Primus est beneficij. Secundus est patrimonij, ad quem titulum Ordinandi sunt Clerici sæculares. Tertius est titu-
4 lus Paupertatis, & sub hoc ordinantur Regulares
5 personæ. Quia cum Monasterium teneatur alere suos Monachos, Panormitan. in cap. super Ordinatis num. 10. de præbend. professio loco beneficij vel patrimonij succedit, ita Concilium Calcedonens. relatum in cap. neminem 70. distinct. & supponit Pius Quintus in Constit. incip. Romanus Pontifex, quam edidit anno 1568. pridie Idus Octobris, quæ in ordine est 75. Concilium autem Tridentinum dicto cap. loquens de titulo requisito in ordinandis sacris Ordinibus, de Clericis sæcularibus tantum sermonem habet, atque ita firmant Henriq. in summ. lib. 10. cap. 17. § 15. Bonacin. de Sacrament. disput. 8. quæst. vnic. punct. 5. num. 9. Reginald. in prax. lib. 30. tractat. 1. num. 31. D. Augustin. Barbos. dicta allegat. 19. num. 4. Homobon. dicto cap. 2. quæst. 21. & communiter omnes.

6 Nouitij autem non possunt, absque titulo aliquo patrimonij, vel beneficij sacris Ordinibus insigniri, per supradictam Bullam Pij Quinti, vbi supradictum decretum Concilij loquens de titulo requisito in Clericis sæcularibus, extendit ad omnes, & singulos, etiam cuiuscunque Ordinis Clericos Religiosos, siue sæculares more Religiosorum viuentes in communi, & non professos, & ita secundum eam resoluunt Ricci. in praxi for. Ecclesi. decis. 312. num. 2. Vgolin. de potestat. Episcop. cap. 16. §. 8. num. 1. vers. hac autem Regula, quæ constitutio habet locum tam in non professis, quam in nulliter professis, vt definiuit
7 Rota in vna Vercellen. Canonicatus 3. Martij 1595. coram Blanchetto, quam refert, & sequitur Garc. dicto cap. 5. num. 11. & 12. idemque Ricc. in decis. Curiæ Archiepiscop. Neapolit. part. 2. decis. 283. & in praxi for. Ecclesi. dicta decis. 312. num. 3. in 1. edit. & resolut. 270. num. 2. in 2. edition. vbi num. 3. cum Mayol. de irregul. lib. 4. cap. 35. num. 1. resoluit Regulares non professos, ita ordinatos sine titulo in illo Ordine ministrantes fieri irregulares; Idem sequitur prædictus D. August. Barbos. dicta alleg. 19. num. 5. & 6.

DISPVTATIO III.

De potestate Abbatis quoad Sacramentum Confirmationis.

Quæst. 1. Vtrùm Abbas possit Confirmationis Sacramentum administrare.
Quæst. 2. Vtrùm Abbas possit Chrisma conficere.

QVAESITVM I.

Vtrùm Abbas possit Confirmationis Sacramentum administrare.

SVMMARIVM.

1 Confirmationis Sacramentum an possit Abbas ex [illegible] fide administrare, ostenditur.
2 Confirmationis Ordinarius minister est Episcopus.
3 Episcopi Apostolorum successores dicuntur.
4 Abbas confirmare non potest.
5 Responsio ad argumenta.
6 Abbas ex commissione Summi Pontificis de consensu Ordinarij Confirmare potest.

1 VIdetur dicendum, quòd Abbas possit validè Confirmationis Sacramentum administrare; primò, quia Eucharistia est complementum omnium Sacramentorum; sed Abbas, qui est Sacerdos (illum enim vt talem supponimus) potest ex officio illam conficere; ergò etiam Confirmationem.

Præterea secundò, Abbas potest cum Oleo Chrismatis vngere verticē, quę est nobilior corporis pars, in qua vigent intellectus operationes; cur ergò non potest vngere frontem, quod est confirmare.

Tertiò, *Hieronymus in lib. aduersus Luciferianos* dicit, quod solus Episcopus impositione manuum tradat Spiritum sanctum, est potius propter honorem Sacerdotij, quàm ex necessitate legis; ergo Abbas hoc Sacramentum ministrando peccatum committet, sed tenebit Sacramentum.

Quartò, Gregorius scribens ad Ianuarium Episcopum Calaritanum (vt habetur in *c. peruenit. 95. dist.*) permittit græcis, quod in Episcoporum absentia liceat Sacerdotibus confirmare, propter scandalum abortum; ergò etiam Sacerdotes aliquando possunt hoc Sacramentum ministrare.

2 In contrarium tamen est, quod Ordinarius minister Sacramēti Confirmationis est Episcopus; & hoc est de fide; & colligitur ex Actibus Apostolorum, vbi soli Apostoli leguntur imposuisse manus ad dandum Spiritum sanctum; imò *cap. 8.* cum audiuissent Samaritanos fuisse conuersos ad prædicationem Philippi Diaconi, miserunt Petrum, & Ioannem, vt illos confirmarent, quod non fecissent, si alius præter Apostolos, quibus Episcopi succedunt, facere potuisset.

Probatur auctoritate Ecclesiæ in *c. manus. dist. 5.* vbi Eusebius Papa ait; *manus impositionis Sacramentum magna veneratione tenendum est, quod ab alijs perfici non potest, quam à Summis Sacerdotibus*; & Damasus Papa in Epistola ad Leonem Ricardum; *solis Apostolis, & eorum successoribus proprij esse officij tradere Spiritum sanctum, liber Actuum Apostolorum docet, vbi nullus septuaginta Discipulorum, quorum isti speciem gerunt, legatur, Spiritum sanctum per impositionem manuum dedisse*; & Innocentius III. in *can. quanto ext. de consuetud. Sacramentum. Confirmationis soli debent Episcopi per manus impositionem conferre*; & clarius idem Innocentius III. in *can. vnic. §. per frontis, de sacra Vnctione*, ait; *per frontis Chrismationem manus impositio designatur, quæ alio nomine dicitur Confirmatio; quia per eam Spiritus sanctus ad augmentum datur, & robur; vnde cum cæteras vnctiones simplex Sacerdos, vel Presbyter valeat exhibere, hanc non nisi Summus Sacerdos, idest Episco-*
3 *pus debet conferre; quia de solis Apostolis legitur, quorum Vicarij sunt Episcopi, qui per manus impositionem Spiritum sanctum dabant, quemadmodum Actuum Apostolorum lectio manifestat*; & in vtroque loco addit, quòd si Presbyter, siue Sacerdos confirmat, inaniter facit, & sine veritate in effectu. Idem habetur in *can. Presbyteris de consecration. distinct. 4. & can. de his, de consecratione dist. 5. & in Concilio Constantiensi in condemnatione art. 28. Ioan. Vuicleff*, qui asserebat, quod Confirmatio iuuenum, & Clericorum ordinatio, ac locorum consecratio reseruantur Papæ, & Episcopis propter cupiditatem lucri temporalis, & honoris: Concilium determinat, ex Iure Diuino id haberi. Tandem *in Concil. Triden. sess. 7. can. 3. de Confirmat.* ait, *Si quis dixerit sanctæ Confirmationis Ordinarium Ministrum non esse solum Episcopum, sed quemuis simplicem Sacerdotem, anathema sit.* Ex his ergo clarè patet esse de fide tenendum, quod Ordinarius Sacramenti Confirmationis Minister sit Episcopus; Atque his, & multis alijs id comprobant *Couar. variar. resolut. lib. 1. cap. 10. num. 4. & 6. Nauar. in manu. cap. 22. nu. 8. vers. dixi, Episcopus, Enriq. in sum. lib. 3. de Confirmat. cap. 6. §. 3. Miran. in manua. Prælat. tom. 1. q. 44. art. 1. Castellanus in fine tract. ponit decis. aur. lib. 3. cap. 5. num. 153. Bonacin. de Sacram. disput. 3.*
4 *q. vni. punct. 2. num. 3.* Ergo ex Iure ordinario nullo modo id Abbatibus competit.

Ad argumenta in contrarium adducta sic respon-
5 detur. Ad primum, quod quia Eucharistia est magis necessaria, licet non dignius Sacramentum, tamen permittitur simplici Sacerdoti; Vel respōdetur, quod cū Eucharistia non solùm sit Sacramentum, sed etiā sit sacrificium: est de intriseca ratione Sacerdotis, vt sacrificet, & propterea non potuit ab ipso auferri.

Ad secundum respondetur; quod vnctio in vertice non est nobilior vnctione in fronte; nam non attenditur nobilitas ex parte, siue membro vncto, sed ex effectu, ad quem ordinatur; in Confirmatione autem effectus est Spiritus Sancti plenitudo.

Ad tertium respondetur, quod cum Christus determinauerit de necessitate, quod minister huius Sacramenti sit Sacerdos, quod autem sit summus, vel simplex reliquit Ecclesiæ arbitrio; idcirco Hieronymus dixit, id non haberi ex diuina lege determinatum, vt sit reseruatum Episcopo, quia hoc solum determinauit Ecclesia, quæ habet hoc in arbitrio.

Ad quartum respondetur per illum tex. probari
6 quod ex cōmissione Summi Pontificis possit simplex Sacerdos hoc Sacramentum Confirmationis ministrare, id, quod nos probare intendimus, quod Abbati non ex officio, sed ex cōmissione, seu indulto Sedis Apostolicæ liceat cōfirmare; quod quamuis aliqui negent, vt *D. Bonau. in 4. dist. 7. q. 1. Scot. ibid. q. 1. Duran. q. 3. & 4. Adria. q. vni. de Confirmat. art. 3. Maior. & Gabr.* & alij in 4. *Castro de hæresi, ver. Confirmatio, cap. 10. nu. 6.* Contrarium tamen est verius, ac vt certum tenendum, quod Summus Pontifex possit talem auctoritatem simplici Sacerdoti committere, Nam præter exēplum D. Gregorij, quod legitur in *d. c. peruenit dist. 95.* Cōcilium etiam Florentinum in instructione Armenorum ait, quod legitur Summum Pontificem id cōmisisse Sacerdoti, Atque hanc sententiam tuentur *D. Tho. 3. par. q. 72. art. 11. ad 1.* & ibi *Nugn. dub. 1. Aegid. de Conink. nu. 99. & 105. Paludan. in 4. dist. 7. q. 1. a. 4. Sot. q. 1. ar. 12. Turrecrem. in d. c. manus 1. de consecr. dist. 5.* qui dicit communem, *Couar. variar. resol. lib. 1. c. 10. n. 6. & seq.* vbi hoc latissimè probat, *Victor de Sacram. nu. 50. Bellar. de Confirmat. cap. 12. Nauar. in manu. cap. 22. nu. 8. & consil. 14. nu. 2. de priuileg. in nouis, Enriq. in sum. lib. 1. cap. 26. § 5. lit. G. & lib. 3. cap 6. §. 4. & lib. 10. cap. 23. §. 1. Graff. decis. aur. par. 1. lib. 3. cap. 5. nu. 153. & par. 2. lib. 1. cap. 5. nu. 23. Ledesma in sum. p. 1. de Sacram. Confirmat. cap. 9. Tolet. in sum. lib. 2. cap. 24. num. 5. Valent. tom. 4. disp. 5.*

Digitized by Google

disp. 5. q. 2. punct. 1. Vasq. 3. par. q. 72. art. 3. disp. 219. cap. 1. num. 3. Vgolin. de potest. Episcop. cap. 25. num. 3. Viuald. in Candelab. aur. tit. de Confirmat. num. 26. Suar. tom. 3. disp. 36. sect. 2. Azor. instit. moral. par. 2. lib. 3. cap. 30. q. 4. Miran. tom. 1. man. Prælat. q. 24. arti. 4. Reginald. in prax. lib. 28. nu. 18. Bonac. de Sacram. disp. 3. q. vnic. punct. 2. num. 3. vers. dixi. Et quod Abbates ex priuilegio Sedis Apostolicæ de consensu Ordinarij Sacramentum Confirmationis conferre possint, decisum fuisse refert *Armend. in addit. ad recop. leg. Nauarra lib. 1. tit. 18. l. 7. de Episcopis num. 77.* relatus ab *August. Barbos. de officio, & potestat. Episcop. par. 2. alleg. 30. num. 5.*

QVAESITVM II.

Vtrùm Abbates possint Chrisma conficere.

SVMMARIVM.

1. *Chrisma necessariò ab Episcopo conficiendum est.*
2. *Chrisma conficere non possunt Abbates.*

1 RESpondeo dicendo, quod Chrisma Confirmationis necessariò benedicendum est ab Episcopo non autem à simplici Sacerdote; Nam ex *Concil. Roman. sub Syluestro can. 5.* prohibetur Presbyteris, nè Chrisma faciant, quia nimirum id ad minus Episcopis pertinet, refert *Card. Bellarm. de Sacram. Confirm. lib. 1. cap. 8. propos. 3. vers. secundò probatur*, & ita docent *D. Thom. 3. par. q. 72. art. 4. Sylu. ver. Confirmatio q. 2. Armil. eod. ver. nu. 2. Viual. in candelab. aur. tit. de Confirmat. num. 16.* alios citans *Valent. tom. 4. disp. 5. q. 2. punct. 2. ad fin. Nugn. in 3. par. D. Thom. q. 72. art. 3. diffic. 4. & ibi Aegid. de Coninch. nu. 43. Suar. tom. 3. disp. 33. sect. 2. D. Barbos. de offic. & potest. Episc. par. 2. alleg. 31. nu. 4. Graff. par. 1. decis. aur. lib. 3. c. 5. n. 154.* licet enim legatur huius Sacramenti collationem aliquando à Papa fuisse simplici Sacerdoti commissam, vt *c. peruenit dist. 95.* tamen, quod vtatur Chrismate per Episcopum consecrato; nunquam enim legitur Summum Pontificem hanc facul-
2 tatem simplici Sacerdoti demandasse. Vnde constat, non esse verum id, quod asseritur à *Io. de la Cruz. de stat. Relig. lib. 2. cap. 5. dub. 9. cöcl. 2.* vbi dicit Prælatos Regularium posse in suis terris Chrisma conficere, allegans ad hoc priuilegium Vrbani II. Bulla 1. ipse quidem hallucinatus est ex mendosa impressione d. priuilegij, quod est apud nouam *collect. Bullar. Apostol. pro Regular. factam à Roderic. in princ.* quandoquidem in originali, quod habetur in Monasterio Cauensi Congreg. Montis Casini, non adest illa particula (Chrisma conficere) sed dicitur (sacrorum Ordinum collatione, Basilicarum, & aliarum consecratione, ac Chrismatis confectione dumtaxat exceptis) Ita etiam habetur in eodem priuilegio correctè impresso in *tomo 1. Bullar. noui Laert. Cherub.*

DISPVTATIO IV.

De potestate Abbatis quoad Sacramentum Baptismatis.

Quæst. 1. Vtrùm Abbas Baptismatis Sacramentum ministrare possit.
Quæst. 2. Vtrùm Abbas, vel alius Prælatus Regulari possit suscipere infantem in Baptismate, & esse Patrinus.

QVAESITVM I.

Vtrùm Abbas Baptismatis Sacramentum ministrare possit.

SVMMARIVM.

1. *Baptizare potest in causa necessitatis qualibet creatura rationalis.*
2. *Abbati, nec cuiuis Religioso baptizare licet extra casum necessitatis.*
3. *Nisi habeant commissionem à Parocho:*
4. *Vel habeant populum sibi commissum.*

1 NOn est sermo in præsenti de Baptismo in casu necessitatis, tunc enim certum est, quod quælibet creatura rationalis baptizare potest per *tex. in c. in necessitate, c. Romanus, c. Sanctum, c. à quodam, cum simil. de consecr. dist. 4. c. ad limina 30. q. 1. c. super quibus 30. q. 3. D. Thom. 3. par. q. 67. art. 3.* sed lo-quimur de Baptismo extra casum necessitatis. Vbi
2 dico nullo modo licere Abbati, nec cuius Regulari, Baptismi Sacramentum ministrare: quia extra casum necessitatis non est ministrandum Baptismi Sacramentum, nisi solemniter, vt pluribus probat *Suar. tom. 3. in 3. par. D. Tho. disp. 31. sect. 5. in fine*, sed Monachis specialiter interdictum est à Iure hoc Sacramentum ministrare *c. placuit il 2. 16. q. 1.* vbi Eugenius Papa prohibet Monacho baptizare, ergò, &c. Preterea Baptismi Sacramentum extra necessitatem ministrare, est proprium Episcoporum, & Parochorum munus. Quia per Baptismum recipiuntur homines in Ecclesiam, & fiunt eius membra; decet autem, vt vis, & potestas admittendi homines ad Ecclesiam sit penès Pastores illius, ita *Sot. in 4. dist. 4. q. vnic. art. 3. concl. 2. Suar. d. tom. 3. disp. 23. sect. 2.* Nam licet Sacerdos respectu Sacramenti Baptismi habeat sufficientem potestatem, vt illud validè, & dignè ministret; tamen respectu personæ, cui ministrandum est, vt ipsum eì licitè ministret, requiritur potestas iurisdictionis, quæ est propria eorum, qui anima-
3 rum curam gerunt. Potest quidem à Parocho exercitium Baptismatis committi Abbati, etiam extra casum necessitatis, necnon, & simplici Sacerdoti; & Diacono, vt etiam cum solemnitate baptizent, ita in *can. Diaconus distinct. 39.* nec obstat, quod in *dicto can. placuit il 2. 16. quæst. 1.* prohibeatur Monachis baptizare; quia respondetur, esse intelligendum, si absq; Ordinarij licentia baptizent, ita *Io. Cruz de stat. Relig. lib. 2. cap. 5. dub. 1. concl. 3.* C 3 *Miran.*

Miran. in man. Prælat. tom. 1. q. 43. art. 1. ante conclusionem. Excipiuntur tamen Abbates, ac Monachi, quibus populi aliqui commissi sunt, qui tunc baptizare poterunt, etiam cum solemnitate, per *cap. doctos 16. q. 1.* quia ratione officij illis commissi necessariò talis potestas conuenit.

QVAESITVM II.

Vtrùm Abbas, vel alius Prælatus Regularis, possit suscipere infantem in Baptismate, & esse Patrinus.

SVMMARIVM.

1 *Abbates, & alij Regulares Prælati patrini esse nequeunt.*

2 *Patrini veri erunt Regulares si infantes in Baptismo, vel Confirmatione de facto suscipiant.*

1 RESpondeo negatiuè. Nam in *Concilio Antissiodoren. cap. 25.* relato in *cap. non licet Abbati, & cap. Monachi de consecr. dist. 4.* prohibetur Abbatibus, & Monachis, de Baptismo infantes suscipere, aut compatres, vel commatres habere: & hoc nè aliquod scandalum inter Monachos oriatur: nam antiquitus consuetum erat, quod huiusmodi patrini commatres suas deosculabantur, quod Monachorum statum dedecebat; vnde in *d. Conc.* statutum fuit, nè Monachi sint compatres, & sibi commatres faciant, aut fœminas deosculêtur; idem habetur in *cap. placuit communi 16. q. 1.* Verumtamen si in Baptismo, aut Confirmatione aliquem susciperent, essent veri patrini,
2 & veram cognationem spiritualem contraherent; quia citata iura non statuunt factum contrarium irritum esse, licet ipsi susceptores mortaliter peccent; ita *Sanch. de matrim lib. 7. disp. 70. num. 21.* vbi plures refert, & post eum *Reginald. in praxi lib. 31. num. 137. vers. quarta est, D. August. Barbos. de offic. & potest. Episcop. par. 2. alleg. 30. num. 36.*

DISPVTATIO V.

De potestate Abbatum, & Prælatorum inferiorum circa Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum, & Missæ sacrificium.

QVAESITVM I.

Vtrùm ad Abbatem spectet suis Monachis Eucharistię Sacramentum ministrare.

SVMMARIVM.

1 *Eucharistia ad Sacramentum licitè ministrandum, præter potestatem Ordinis, requiritur etiam potestas iurisdictionis.*

2 *Eucharistiæ Sacramentum ministrare suis Monachis primò, & principaliter spectat ad Abbates.*

1 CErtum est, quod ad Eucharistiæ Sacramentum licitè ministrandum, præter Ordinis potestatem, potestas etiam iurisdictionis requiritur; ideo cuilibet Sacerdoti non est liberum, tale Sacramentum administrare, & alijs conferre, sed solùm habenti iurisdictionem in eos, quibus ministrat. Cum autem Abbates sint Ordinarij Pastores animarum suorum subditorum, & in eos translata sit cura, quam Episcopi, vel Parochi circa suos subditos sæ-
2 culares habent: nemo dubitat, quin ad eos spectet primò, & principaliter Eucharistiæ Sacramentum suis subditis administrare. Denique certum est, quod cum hanc iurisdictionem habeant virtute sui officij, quod est habere illam tanquam ordinariam, poterunt eam alijs demandare ex illo generali principio; quod quicunque habet potestatem ordinariam potest illam alijs delegare: quæ omnia ex se clara sunt, nec indigent maiori explicatione, ideo in Congregationibus Monachorum, solent Abbates hanc iurisdictionem Prioribus claustralibus, vel Decanis committere; possent etiam illam demandare alijs Sacerdotibus

dotibus sui Monasterij, quibus, sine tali commissione licitum non esset id facere: vt patet ex rationibus supradictis.

QVAESITVM II.

Vtrùm Abbas possit committere Diacono, vt Eucharistiæ Sacramentum administret.

SVMMARIVM.

1 *Eucharistia Sacramenti minister regulariter debet esse Sacerdos.*

2 *Diaconus in casu necessitatis, absente Parocho, vel eo præsente, de eius licentia, potest Eucharistia Sacramentum ministrare.*

3 *Diacono sine causa legitima Eucharistia Sacramenti dispensatio an committi possit.*

1 Licet regulariter minister Sacramenti Eucharistiæ debeat esse Sacerdos, vt habetur in *cap peruenit, & cap. presbyter de consecr. dist. 2.* & constat ex illo *D. Pauli 1. ad Corinth. 2.* sic nos (idest Sacerdotes) existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores, &c. & ex illo *Luca cap. 22.* vbi Dominus Sacerdotibus dixit, *hoc facite in meam*
2 *commemorationem*. Nihilominus potest Diaconus, tempore necessitatis, vt in mortis articulo, de licentia Parochi, si adsit, & eo absente, absque licentia, illud ministrare; vt habetur, ex *Concilijs generalibus Nicano, Arelaten. & Carthaginen. quarto*, quæ referuntur *94. dist. cap Diaconus, & cap præsente*; & ità expressè tenet *D. Thom. 3. par. q. 82. art. 3. & in 4. dist. 13. q. 1. art. 3. Roder. quæst Reg. tom. 1. q. 56. art 8. Molf. tract. 2. cap 9. Suar. tom. 3. disp 72. sect 1. Enriq de Eucharist. cap. 54. & de ordine cap. 13. Vasq. in 3 par. disp. 219. num. 11. Gratian. discept. forens. cap. 412. Bonacin. de Sacram. disp. 4. q. 5. punct. 2. Miran. in man. Prælat. tom. 1. q. 42. art. vlt.* Ratio est; quia non repugnat, vt Diaconus tale Sacramentum ministret; nam in Sacramento Eucharistiæ vsus distinguitur à Sacramento ipso; adeo vt conficere, & conferre Sacramentum sint distincta, & possint separari. Quapropter non est necesse, vt qui non habet potestatem illud conficiendi, iure diuino excludatur ab eius dispensatione; vnde Ecclesia, cui Christus, quæ ad dispensationem Sacramentorum pertinet, salua eorum substantia, commisit, iuxtà *Concilium Trident. sess 21. cap. 2.* eandem dispensationem, ex
3 causa rationabili, non Sacerdoti committere potest. Verum iam ex vsu, & consuetudine ipsius Ecclesiæ factum est, vt Diaconi nullo modo possint hoc efficere: nisi ex grauissima causa, & necessitate, vt in mortis articulo, vt latè *Suar. dicta sect. 1. vers. dico tertio, Regin. in prax. for. pœnit. lib. 29. num. 89.* vnde non est verum id, quod ait *Syluest. verbo, Diaconus, num. 3.* videlicet Diaconum posse oblationes offerre ex præcepto Episcopi, vel Presbyteri, etiamsi nulla adsit causa; quià iura id concedentia expressè requirunt rationabilem causam; ergò si nulla adsit causa, iniquum, & contra ius esset huiusmodi præceptum, vel facultas concessa: & neque obligaret, nec exequi posset, quando certò constaret nullam adesse causam legitimam, & rationabilem, vt aiunt Doctores citati. Ex quo patet non posse etiam Abbatem Monacho Diacono idem committere, nulla existente necessitate.

QVAESITVM III.

Vtrùm alijs, quam suis Monachis possit Abbas Eucharistiæ Sacramentum administrare.

SVMMARIVM.

1 *Eucharistia Sacramentum ministrare ad proprios Pastores spectat, nec potest sine peccato ab aliquo propria auctoritate vsurpari.*

2 *Religiosi possunt absque Parochorum licentia, fideles communicare.*

3 *Paschatis, siue Resurrectionis Domini diei appellatione qui veniat, ostenditur.*

4 *Religiosi de licentia Parochi, possunt etiam tempore Paschatis fideles communicare.*

5 *Vtrùm hoc possint, deficiente Parocho, & vrgente necessitate ostenditur.*

6 *Religiosi possunt virtute priuilegiorum in die Paschatis vagis, aduenis, & peregrinis Eucharistia Sacramentum administrare.*

7 *Eucharistia Sacramentum alienis Religiosis absque Prælatorum illorum licentia possunt alij Religiosi in die Paschatis administrare.*

8 *Mercenarijs ad breue tempus operas suas locantibus possunt Religiosi in die Paschatis Eucharistia Sacramentum administrare.*

Ex dictis in antecedenti quæsito patet, quid in præsenti dicendum sit de iure communi, secundum quod nemo potest licitè Sacramentum Eucharistiæ fidelibus ministrare, nisi ad hoc habeat iurisdictionem ordinariam, vel delegatam, siue licentiam ab Ordinario Pastore, quia hoc Sacramentum fide-
1 libus ministrare, est vnus ex præcipuis actibus illos pascendi; & propterea per se ad proprios Pastores, spectat, nec potest sine peccato ab aliquo propria auctoritate vsurpari; esset enim vsurpare iurisdictionem alterius in re graui, & cum animarum periculo, & contra pacem, & debitam gubernationem, vt latè probat *Suar. tom. 3. in 3. par. D. Thom. disp. 72. sect. 2.* Cum autem Abbates, & Regulares, ac cæteri Religiosi iurisdictionem ordinariam in fideles seculares non habeant, nec etiam possunt, de iure ordinario, ac per se loquendo, illis, absque Pastorum licentia, hoc Sacramentum ministrare, quòd expressè constat ex dispositione *Clem. Religiosi de priuileg.* vbi sub censura prohibetur omnibus Religiosis, sine speciali Parochorum licentia, Eucharistiæ Sacramentum ministrare, nullo super hoc eis exemptionis, vel alio priuilegio suffragante; Verum non obstat quin ex specialibus Sedis Apostolicæ priuilegijs, post dictam *Clement.* potuerit hæc facultas Religiosis concedi; quia posteriores Summi Pontifices derogare possunt Constitutionibus prædecessorum, sicut de facto illam
2 concesserunt; *Nam Nicolaus Quintus concessit Generalibus, & Prouincialibus Ministris, & omnibus Confessoribus Ordinis Minorum deputatis ad audiendas*

das confessiones secularium, vt possint omnibus quarumcunque diœcesum, quorum confessiones audierint, Sacratissimi Corporis Dominici communionem dare omni tempore, præterquam in die Resurrectionis Dominicæ; ita refertur in *Compendio verbo, communicare*, §. 4. idem concessit Sixtus I V. vt habetur in eodem Compendio, *loco cit.* quæ priuilegia locum habebant solum in Confessarijs legitimè deputatis ad audiendas secularium confessiones, vt possent omnes eos, quorum confessiones audierint, communicare. At Leo X. concessit, & declarauit, *quòd licet audire confessiones secularium non possint, nisi ad id deputati; Eucharistia tamen Sacramentum quilibet Religionis Sacerdos ministrare possit, omni tempore, præterquam in die festo Resurrectionis Dominicæ dumtaxat, sine Rectoris Parochialis, aut Diœcesani licentia*; ita habetur in *suppl. fol. 58. concess. 160.* & refertur in *Compend. dicto verbo communicare §. 9.* Iulius II. etiam postea idem concessit, vt habetur in *suppl. fol. 11. conc. 43. pro Ordine Minorum*, & refertur in *Compend. dicto verbo communicare, §. 13.* quæ priuilegia extenduntur ad omnes alios Religiosos communicantes priuilegia dictorum Ordinum. Per diem autem Paschatis, siue Resurrectionis,

3 (quod tempus in dictis concessionibus excipitur) intelligenda est Communio Paschalis, per quam satisfit Ecclesiæ præcepto, quo mandatur, vt semel in Paschate Christi fideles Eucharistiæ Sacramentum suscipiant; quia, licet nomine Paschatis accipiendus sit numerus ille dierum quindecim à Dominica Palmarum, vsque ad Dominicam in Albis inclusiuè: quo tempore per statutum Eugenij I V. satisfit præcepto, quod habetur in *c omnis vtriusque sexus, de pœn. & remiss.* Tamen omnis Communio, qua impletur præceptum illud Ecclesiasticum communicandi in Paschate, siue fiat primo die, siue quolibet alio sequenti intra illos quindecim, dicitur Paschalis, seu in Paschate facta, & ea sola in dictis priuilegijs excipitur. Vnde possent Religiosi admittere ad Communionem in suis Ecclesijs fideles, qui postquam in proprijs Parochijs præceptum adimpleuerint, vellent iterum intra illos quindecim dies communicare; sicut idem facere possunt ipso die Paschatis, si antea præcepto satisfecerant, vel essent postea satisfacturi. Nec obstat, quod in dictis priuilegijs dicitur, scilicet, *præterquam in festo Pascha Resurrectionis Dominicæ*, vel *præterquam in die Resurrectionis Domini*; non debet enim attendi materialis verborum sonus, sed sensus, & intentio Summi Pontificis, qui Communionem, qua præceptum impletur, appellat communionem in die Paschæ, siue Resurrectionis; ita doctè more suo *P. Suar. tom. 3. in 3. par. D. Thom. disput. 72. sect. 2. & tom. 4. de Relig. tract. 10. lib. 9. cap. 3. num. 7.* quem sequuntur *Roderic. quæst. Reg. tom. 1. q. 56. art. 3. Miran. tom. 1. man. Prælat. q. 42. art. 2. concl. 2. Ioan. de la Cruz de statu Relig. lib. 3. cap. 5. dub. 4. concl. 2.* contra *Nauar. in man. cap. 21. num. 52. Azor. instit. moral. par. 1. lib. 7. cap. 41. q 7. & alios.* Si autem Parochus liberam tribuat facultatem suis subditis, vt prædicto tem-

4 pore Paschatis vbicunque voluerint Eucharistiæ Sacramentum recipiant, possunt de manibus Abbatis, vel alterius Religiosi illud suscipere, non obstante *dicta Clem. 1. de priuil.* quia in ea Religiosi prohibentur, sine speciali Parochi licentia; ergò, illa accedente, nulla erit talis prohibitio. Similiter deficien-

5 te Parocho, & vrgente necessitate, possunt fideles accipere Eucharistiam à simplici Sacerdote, siue Religioso, siue seculari, ita *Enriq. lib. 8. de Euchar. cap. 55. §. 1. lit. A. Suar. d. sect. 2. in fine, Reginal in praxi fori pœn. lib. 29. num. 93.* contra *Sylue. & Nau.* Probatur, quia in articulo mortis, sicut Ecclesia concedit simplici Sacerdoti potestatem Pœnitentiæ Sacramentum administrandi, ita & administrandi Eucharistiam, iuxtà *c. quod in te, de pœnit. & remiss.* Confirmatur, nam pietas Matris Ecclesiæ exigit, vt suis filijs subueniat non tantum in necessitate extrema spirituali, sed etiam in graui, qualis est Eucharistia in mortis articulo.

6 Licet autem Regulariter in Paschate non possint Religiosi per prædicta eorum priuilegia Eucharistiæ Sacramentum ministrare, eo quia in dictis priuilegijs illa dies excipitur, eis tamen integrum est, eorumdem virtute ministrare vagis, aduenis, & peregrinis, qui in eo oppido habitationis Parochiam non contraxerunt. Quia in dictis eorum priuilegijs limitatio illa diei Paschatis posita fuit in Parochorum fauorem, & ne eis iniuria fieret, necnon omnes ea die ad propriam Parochiam accederent, sed in hoc casu nulla iniuria Parochis infertur; quia vagi Parochiam præscriptam non habent; & peregrini à propria distant, nec illa, in qua per modicum temporis spatium hospitantur, est propria: ergo limitatio illa diei Paschatis non comprehendit hunc casum, sed horum respectu manebit priuilegium generale, Eucharistiam ministrandi. Atque hoc pluribus probat *Sanch. de matrimon. lib. 3. disput. 23. num. 17. per totam.*

7 Possunt præterea Religiosi absque metu incurrendi excommunicationem latam in *Clem. 1. de priuileg.* Eucharistiæ Sacramentum alieno Religioso, absque licentia Prælati illius ministrare; quia prohibitio illius *Clement.* est in Parochi fauorem. At ministrando Eucharistiæ Sacramentum Religioso nulla iniuria Parocho fit, cum non sit eius subditus, nec Prelatus Religionis, cui ille subditur, venit Parochi appellatione. Atque ità tenent *Rosella verb. absolutio 1. num. 36. Angel. verb. excommunicatio 5. casu 12. num. 4. Caiet. in summa, verb. excommunicatio, cap. 64. Nauar. in manual. cap. 26. num. 102. Roderic. question. Regularium tom. 1. quæst. 56. art. 8. Henriq. in summ. lib. 3. de Euchar. cap. 55. num. 1. in comment. lit. B. Suarez tom. 4. in 3. part. disput. 72. sect. 2.* & alij, quos refert, & sequitur *Sanch. d. num. 17. vers. tertio quia*, qui bene *num. seq.* adit

8 idem dicendum esse quoad mercenarios ad breue tempus operas suas locantes, vt ad fodiendum, &c. & vel non habeant Parochiam, vel si in sua patria habeant, distant ab ea, quia eadem est ratio de his, & de alijs aduenis, nec dicitur aliquis habitare, vbi modico tempore habitat. Ita etiam *Henriq. lib. 6. de pœnit. cap. 8. num. 5. in comment. lit. K.* vbi dicit hanc sententiam esse probabilem, prout illum refert *Sanch. vbi proxime.*

QVAE-

QVAESITVM IV.

Vtrùm Abbas possit concedere licentiam externis Sacerdotibus, vt in sua Ecclesia fidelibus Eucharistiæ Sacramentum ministrent.

SVMMARIVM.

1 *Eucharistiam vt fidelibus ministrent in eorum Ecclesijs Abbates possunt indulgere externis Sacerdotibus.*

1 SVpposito ex antecedenti quæsito, quod Abbas, cæteri Monachi, & Religiosi possint sæculares, præterquam tempore Paschatis communicare; vt per supradicta priuilegia patuit; videndum restat, vtrum possint sæcularibus Sacerdotibus in suis Ecclesijs celebrantibus hanc licentiam impartiri. Pro cuius solutione, afferam priuilegium Iulij II. *vbi concessis Fratribus Ordinis Minimorum, vt in Ecclesijs suis, quoties opus fuerit possint ministrare, & ministrari facere Sacramentum Eucharistiæ Curialibus, Mercatoribus, Peregrinis, & transeuntibus, ac alijs quibuscunque personis*; ita refertur in *Compend. priuileg. Mendic. verbo communicare §. 13.* vbi per ea verba, *ministrare, aut ministrari facere*, clarè colligitur, quod possunt id etiam committere alijs Sacerdotibus sæcularibus in suis Ecclesijs ministrantibus, ita tenet *Medi. in instruct. confess. lib. 1. cap. 11. §. 13. Enriq. tom. 2. de Euchar. lib. 7. cap. 55. num. 1. lit. C. & Cordub. in addit. ad prædictum compend. d. verbo communicare, Mirand. in man. Prælat. tom. 1. q. 43. art. 4. concl. vnica, Ioan. de la Cruz de stat. Relig. lib. 2. cap. 5. dub. 3. concl. 3.*

QVAESITVM V.

Vtrùm, & quando obligetur Abbas ad Sacrosanctum Missæ sacrificium peragendum.

SVMMARIVM.

1 *Sacerdos simplex quoties in anno celebrare teneatur, ostenditur.*

2 *Parochi quoties in anno celebrare teneantur, ostenditur.*

3 *Religiosi quoties in anno teneantur celebrare.*

4 *Abbates sæculares curam animarum non habentes quandò celebrare teneantur.*

5 *Abbates Regulares an quotidie sacrum facere debeant.*

1 AD clariorem huius quæsiti explicationem supponendum est, quod simplex Sacerdos mortaliter peccat, omninò, idest per totam vitam à celebratione Missæ abstinendo; etiamsi nulla ei Parochialis Ecclesia, aut alterius obligationis cura incumbat; vt docet *D. Thom. 3. par. q. 82. art. 10. Sylu. verbo Missa, 1. q. 7. Nauar. in man. cap. 25. nu. 88. in fine*, & alij communiter. Vndè tenentur celebrare saltem ter, aut quater in anno, quandò cæteri fideles communicare consueuerunt, vt aiunt Doct. cit.

2 Secundò supponendum est, Parochos, qui curam animarum habent, tam crebrò celebrare debere, vt muneri suo satisfaciant; cum enim teneantur, populo Sacramenta ministrare: debent saltem diebus festiuis, cessante legitimo impedimento, Sacramentum conficere; nisi per alium populo satisfaciant; *arg. tex. in cap. 1. de celebrat. Miss. Sot. in 4. dist. 13. q. 2. art. 3.*

3 Tertiò Religiosi, nullam animarum curam habentes, seclusis Religionum Constitutionibus, ac Superiorum præceptis, & ordinationibus, obligantur eo modo, quo Sacerdotes sæculares, & sicut Sacerdotes sæculares tenentur celebrare saltem semel in anno, quando cæteri fideles communicare consueuerunt; ita Regulares tenentur sub mortali singulis mensibus celebrare, iuxta *tex. in Clem. ne in agro §. sanè, de stat. Monach.*

4 Ex his igitur dico primò, quòd Abbates, & Prælati sæculares inferiores, quibus animarũ cura commissa non est, tenentur, si sunt Sacerdotes, ter, aut quater in anno saltem celebrare; sicut de simplicibus Sacerdotibus diximus in primo fundamento. Si vero animarum cura eis commissa est, tenentur eo modo, quo supra diximus adstrictos esse Parochos. Si autem

5 erit sermo de Abbati, prout Prælati personam gerit, dico præcepto diuino teneri sacrificium offerre pro ouibus suis, quia, vt ait *S. Paulus ad Hebr. 5. omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis*, ex quo sequitur, cum præcepta affirmatiua obligent, data opportunitate ex *S. Thom. 2. 2. q. 33. art. 2.* teneri Abbatem celebrare pro ouibus suis, iuxta opportunitatem; quibus autem diebus, & an quotidie teneantur, celebrare, nullam inuenio determinationem; hoc vnum scio, quod Abbas tenetur de leuissima culpa, & tenetur adhibere exactissimam diligentiam, tanquam quilibet diligentissimus paterfamilias, vt sui subditi tanto Sacramento, & sacrificio sæpe adiuuentur, & recreentur; imò debet præcauere, ne alijs suspicionem malæ vitę præbeat, quod equidem sequeretur si rarò celebraret, qua in re, multis in Abbate aggrauantibus conditionibus, Sacerdotali, Parochiali, & Pastorali ipsius animæ, & subditorum saluti consentaneum esse affirmarem, illum, & præcipuè Regularem, qui Prælati personam in Monasterio gerit, debere, vel quotidiè, vel saltem sæpissimè sacrificio hoc præstãtissimo vacare.

QVAESITVM VI.

Vtrùm Abbas possit in quocunque loco, & in Altari portatili Missam celebrare.

SVMMARIVM.

1 *Altare est necessarium ad Missæ celebrationem.*

2 *Altare debet esse consecratum.*

3 *Abbates possint nè in Altari portatili Missam celebrare, ostenditur, & num. seq.*

1 QVod ad Missæ celebrationem Altare sit necessarium ostendit multorum Patrum doctrina *Suar. tom. 3. disp. 81. sect. 5.* & hoc Altare duplex esse

potest,

potest, vnum, quod dicitur fixum, eò quòd à loco in locum non mouetur. Alterum, quod appellatur portatile, eo quod de loco ad locum transferri potest. vt habetur *in cap fin. de priuil. in 6.* Vtrumq; autem con-
2 secratum esse debet, vt habetur *in c. sicut non alia, et c. altaria, et cap. Missarum solemnia, de consecrat. dist. 1.* Nam peccatum mortale esset, Missam in Altari non consecrato celebrare; vt communem esse testatur *Suar. loco cit. vol. 5.* His sic stantibus, difficultas
3 erit videre, vtrum Abbas, & cæteri Prælati Religionum, omnesque in vniuersum Regulares possint in Altari portatili Missam celebrare. Indubium vero inde oritur, quia Fratribus Minoribus, & Prædicatoribus nonnulla priuilegia à diuersis Summis Pontificibus concessa fuerunt, vt possint in Altari portatili sacrificium Missæ peragere, quæ legi poterunt in *Compen. priuileg. Mendican. verbo Altare per plures §§. & in Comp. Societatis tit. Oratoria, & cap. in his, de priuil.* His autem non obstantibus dicendum est, nec eos, nec alios Regulares eorum priuilegia communicantes, siue alia propria, quæ sint eis ante *Concil. Trident.* concessa, obtinentes, posse super viatico Altare celebrare; hoc enim fuit expresse prohibitum per idem *Concil. sess. 22. in decreto de obseruand. & euitand. in celebrat. Miss.* dum præcipit Episcopis *ne permittant in priuatis domibus, atque omnino extra Ecclesiam, aut Oratoria, ad diuinum cultum dedicata ab ipsis Ordinarijs, sacrosanctum Missæ sacrificium à secularibus, aut Regularibus quibuscunque peragi,* & in fine dicti decreti sequens apponitur clausula, *non obstantibus priuilegijs, exemptionibus, appellationibus, atque consuetudinibus quibuscunq;* per quam videntur reuocata omnia priuilegia, quæ ante prædictum Concilium concessa fuerant, quibus nõ licebit amplius Religiosis vti, nisi sint renouata. Ita aiunt *Nauar. in man. cap. 25. num. 82. Suar. d. sect. 3. in fine*, & alij. Quod si denuo aliud priuilegium super hoc eis concederetur, considerandum est, vtrum sit directum ad personas tantum, an vero ad loca Religiosorum, nam primo modo non extenditur ad alias personas, secundo modo extenditur.

4 Excipiendus tamen est casus necessitatis, licet enim itinerantibus, si Ecclesia defuerit, subdio, siue in tentorio (si tabula Altaris consecrata, ac reliqua sacra instrumenta ad illud ministerium spectantia adfuerint) Missæ sacrificium offerre, per *cap. concedimus, de consecrat. dist. 1. D. Thom. 3. par. q. 83. art. 3. ad 6.* Quo casu licet, cum necessitas præuidetur, non sit omittenda petitio licentiæ ab Episcopo, dum commode fieri poterit; tamen cum non potest, necessitas excusabit. Videatur idem *Suar. d. sect. 3. § tertia exceptio*; vbi alios citat.

QVÆSITVM VII.

Vtrùm Abbas possit noctu, & ante Matutinum, & post meridiem Missam celebrare, vel celebrari facere.

SVMMARIVM.

1 *Missa non potest, de nocte, & ante Auroræ initium de Iure communi celebrari.*
2 *Auroræ initij appellatione quid veniat ostenditur.*
3 *Missæ an possint ante Auroram celebrari in nocte Natiuitatis Domini.*
4 *Abbates possunt, ex priuilegio Missam celebrare ante Auroram, & tale priuilegium quomodo sit intelligendum, ostenditur.*
5 *Tempus legitimum quid sit, intra quod Missæ absolui, vel incohari debent, ostenditur.*
6 *Abbas, existente causa legitima, potest celebrare, vel celebrari facere infra horam post meridiem.*

1 DE iure cõmuni nemo potest nocte, & ante Auroræ initium (Episcopis exceptis) celebrare, vt specialiter ait *Sylu. verb. Missa 1. q. 6.* & hoc docet communis Ecclesiæ consuetudo, de qua testantur plures Doctores relati per *Suar. tom. 3. in 3. par. D. Thom. disp. 80. sect. 4.* quæ est ita in vsu, quod populus scandalizaretur tanquam de peccato graui, si quis ante id tempus, absque iusta causa, Missæ sacrificium offerre præsumeret; propterea *Concil. Trid. sess. 22. in decreto de obseruand. et euitand. in celebrat. missæ* iniungit Episcopis *vt edicto, et pœnis propositis caueant, ne Sacerdotes alijs, quàm debitis horis celebrent.* Debitæ autem horæ sunt, quæ in Missali Romano indicantur in *cap. de defectibus circa Missam occurrentibus in Ministro*: vbi dicitur *tempus debitum celebrandi esse ab Aurora, vsque ad meridiem communiter.* Ratio autem ea videtur, quia hoc magnum Religionis opus, expediebat publicum esse, quod publicè, & cum debita reuerentia, non autem secretè, & de nocte celebraretur; ne forte ex nocturnis conuentionibus aliquid mali oriretur, aut aliqua superstitio in Missis celebrandis reperiretur. Aduertendum au-
2 tem quod per Auroram non est accipiendus Solis ortus, seu ascensus Solaris corporis supra nostrum Horizontem; Sed initium crepusculi diei, seu prima lucis irradiatio, & licet crepusculum non sit æquale in omni tempore; tamen in omni tempore licet incipere Missam per duas horas ante ortum Solis. Ita *S. Thom. 3. par. q. 83. art. 2. Durand. 4. dist. 13. q. 2. Palud. in 4. dist. 13. q. 2. art. 2. Richar. 4. dist. 13. art. 2. q. 3. Sylu. verb. Missa 1. q. 6. Soto in 4. dist. 13. q. 2. art. 2. Azor. instit. moral. par. 1. lib. 10. cap. 25. q. 1. Ledesma cap. 19. de Euchar. Victor. in sum. num. 97. Reginald. prax. for. pœnit. lib. 29. num. 173. Suar. d. sect. 4. vtrum inquiri potest,* dicens ita esse in praxi seruandum.
3 Excipitur tamen ab hac consuetudine dies Natalis Domini *per c. nocte, de consecrat. dist. 1.* vbi habetur, *Nocte Sancta Natiuitatis Domini Saluatoris Missas celebrent Presbyteri,* vbi dubitatur an præter primam Missam possint reliquæ duæ de nocte etiam ante Auroram celebrari. De hac re magna disceptatio est inter Doctores, quã latè prosequitur *Suar. loco cit. §. tertio requiritur,* & tandem concludit priuilegium pro die Natiuitatis Domini in hoc non esse restringendum iuxta conditionem aliorum temporum; Sed quod imò sit largè interpretandum, & extendendum iuxta sui naturam, ad omnes eius diei Missas, saltem priuatas; quod ex eo infert, quia in *d. cap.* paulò inferius statuitur, vt alijs temporibus Missæ non nisi de die celebrentur. Quæ omnia procedunt de iure communi; secus autem, si aliquod priuilegium
4 per Sedem Apostolicam alicui Religioni concessum esset

eſſet, tunc enim illud foret attendendum; vt de pluribus priuilegijs ſuper hoc Fratribus Minoribus conceſſis meminit *Mirand. in man. Prælat. tom. 1. q. 40. art. 10. concl. 2.* Notandum autem, quod talia priuilegia ſemper intelligenda ſunt ſecundum anticipationem totius temporis in priuilegio conceſſi, ad totum illud tempus, in quo ſine priuilegio poteſt Miſſa legitimè dici; Vndè ſi per priuilegium conceditur, vt Miſſa per vnius horæ ſpatium anticipari poſſit, poterit Miſſa inchoari tribus horis ante ortum Solis: cum ſine priuilegio, inchoari poſsit duabus horis ante ortum Solis. Ità *Suar. d. ſect. 4. except. 3.* Et hæc quoad primam quæſiti partem.

5 Quo vero ad alteram partem, nempè an poſſit Abbas poſt meridiem Miſſam celebrare; dico, quod regulariter loquendo omnes Miſſæ inchoari debêt ante expletam meridiem: Et contrarium facere de iure, & conſuetudine eſt prohibitum; & hæc eſt communis Doctorum ſententia, contra quam *Nauar. in man. cap. 25. num. 85. & tract. de orat. diſt. 21. num. 31. & Miſcell. de orat. 76.* aſſerit ſacrificium priuatim iure fieri poſse toto eo tempore, quod inter horam ſextam, & nonam interdicit; dummodo id fiat, abſque aliqua aliorum offenſione, & ex aliqua rationabili cauſa. Verum *Nauar.* in hoc ab omnibus reputatur ſingularis, & eius opinio latiùs confutatur per *Francolin. in tract. de tempor. horar. canonic. cap. 41.* vbi oſtendit eam pugnare cum generali totius Eccleſiæ conſuetudine, & cum communi omnium opinione, à qua dicit non eſſe recedendum; cum eam teneant *Richar.* Durand, Sot. Palud. Maior. *in 4. diſt. 13. Anton. 3. par. tit. 13. cap. 6. §. 4. Angel. Sylu. Roſell. Piſan. Tabien. in verbo Miſſa, Hoſtien. Anton. Ioan. Andr. Card. Abb.* & cæteri omnes Canoniſtæ *in c. 1. de celebrat. Miſſ. idem Sot. de iuſt. lib. 10. q. 5. art. 4. Suar. d. ſect. 4.* & hæc communis ferè omnium opinio videtur iure amplectenda; Verum hoc intelligendum erit, niſi ſpeciali priuilegio aliter aliquibus conceſſum eſset. Sunt enim aliqua priuilegia Religioſis conceſſa, vt poſſint ex cauſa rationabili Miſsam celebrare ante horam & poſt horam ab Eccleſia ſtatutam, vt patet ex nonnullis priuilegijs relatis in *Compend. priuilegi Mend. verbo Miſſa,* & in *Compen. priuil. Ord. Ciſterc. in Hiſpania eodem verbo.* Verum eſt aduertendum cum *Hieron. a Sorb. in addit. ad d. Comp. Mend. loco cit.* quod omnia prædicta priuilegia, dicendi Miſsam, quo ad modum, & locum, & tempus iam fuerunt per *Concil. Trid.* ſublata; attendenda ſunt autem priuilegia poſt prædictum Concilium conceſsa, vt eſt illud conceſſum à Gregorio XIII. Congregationi S. Iuſtinæ *vt dum in itinere fuerint cõſtituti, poſſint Miſsam celebrare ante auroram, & poſt mediam noctem,* vt refertur *in Compen. priuil. S. Hieronymi fol. 50.* Item idem Gregorius XIII. conceſsit Religioſis Societatis Ieſu, vt poſſint Miſsas celebrare de licentia ſui Generalis, vel alteriùs ab eo deputati; ante auroram circa lucem, & intra horam poſt meridiem exiſtente cauſa legitima itineris, aut alterius legitimi impedimenti, vt refert *Ioan. de la Cruz de ſtat. relig. lib. 2. cap. 5. dub. 6. concl. 2. in fine,* & refertur *in Compend. priuil. eiuſd. Societ. verbo* Miſſa §. 3. quibus gaudent omnes Religiones communicantes priuilegia ipſarum Religionum: Quæ priuilegia nihil aliud operantur, niſi vt Abbates faciliùs, & ex minori cauſa, ac certius, magiſque ſine ſcrupulo hanc licentiam concedere valeant, quàm ſine priuilegijs poſsent. Epiſcopi vero ſuper hoc diſpenſare poſsunt, vt notat *gloſ. in cap. vlt. verbo indulgemus, de priuil. in 6.* dicens quod Epiſcopus dum eſt in itinere, poteſt Miſsam ante auroram dicere, vel alteri concedere, vt eam ſibi dicat; quam *gloſ.* dixit communiter receptam *Suar. d. ſect. 4. except. 3.* Sed ſicut diſpenſare poteſt ſuper temporis anticipatione, ita etiam poterit ſuper poſtpoſitione, nõ eſt enim maior ratio de vna, quàm de alia; vt aduertunt *Suar. d. ſect. 4. verſ. ſed quares 1. Roderic. quaſt. reg. tom. 1. q. 43. art. 3.* addentes, hoc eis licere non tam ex priuilegio, quàm ex ordinaria poteſtate. Poterunt igitur Abbates, qui habent iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem, iure ſuo, & ſine priuilegio hoc ſuis Monachis concedere, vt ex rationabili cauſa poſſint ante auroram, & poſt meridiem Miſsam ſibi celebrare; *Ita Roder. d. art. 3. & Suar. de Relig. tom. 4. tract. 10. lib. 8. c. 3. nu. 7.*

QVAESITVM VIII.

Vtrùm Abbas poſsit præcipere ſuo Monacho, vt ad intentionem ſuam Miſſæ ſacrificium applicet.

SVMMARIVM.

1 *Abbas poteſt ſuis Monachis præcipere, vt Miſſæ valorem applicent ad eius intentionem.*

2 *Miſſæ valorem ſi Monachus non ad Abbatis, ſed ſui intentionem applicare intendit, cui nam proderit eius ſacrificium, oſtenditur.*

1 DE hac re aliquid attigimus in diſput. de iuriſd. Abb. circa Votum obedientiæ, cum tractauimus, vtrum Abbas poſsit ſuis Monachis actus internos præcipere; iuxta quorum reſolutionem dicimus, quod cum Abbas poſſit præcipere ſuis ſubditis actus internos, quatenus ad actus exteriores pertinere poſsunt, & ſunt neceſſarij ad hoc vt actus externi, in quibus quis Superiori ſubditur rectè exerceantur, (vt latiùs ibi probauimus.) non dubitatur illum poſſe ſuis ſubditis præcipere, vt Miſsam celebrantes dabeant intentionem applicandi eius valorem ad ipſius Abbatis intentionem; quia id non eſſet diſponere de actu interno ſubditi, qui eſt applicatio medij valoris Miſſæ, ſed eſt diſponere de illo actu, quatenus connexus eſt cum exteriori actu celebrationis eiuſdem Miſſæ, qui rectè perfici nequaquam poteſt ſine applicatione actus interni; ideirco per neceſſariam connexionem bene poteſt Abbas, illum præcipere; & Monachus non obediens peccabit lethaliter contra Obedientiæ votum in re graui; Ità *Roder. quaſt. reg. tom. 3. q. 19. art. 1. Mirand. in man. Prælat. tom. 1. q. 26. art. 3. Sanch. in Decalog. lib. 6. c. 2.*
2 *num. 6.* & alij, quos ibi adduximus. Attamen ſi ſubditus nolit Miſſam ad Abbatis intẽtionem, ſed ſuam celebrare, ſacrificium non proderit illi, cui ſubditus ſecundum propriam intentionem applicauit, Ità videtur ſentire *Suarez 3. tom. in 3. part. D. Thom. diſput. 79. ſect. quaſt. 9. verſ. alij nihilominus, Laur. de Peirin. tom. 1. de ſubd. q. 1. cap. 6. §. vnic.*

Quia

Digitized by Google

Quia sicut in Sacramētorum administratione Sacerdos operatur, vt Christi minister: ita & in oblatione sacrificij Missæ; ergò sicut in Sacramenti administratione debet esse intentio propria, & personalis: ita in applicatione Missæ, in qua Sacerdos ità se gerit, vt habens a Christo potestatem immediatam, adeò vt intentio eius, & Christi vna esse censeatur; ergo Sacerdotis intentio quoad hoc; neque Ecclesiæ neque Abbati subditur, ita vt per illum irritari possit: licet subdatur quoad obligationem faciendi, vel non faciendi: Indè est, quod sacrificium valebit pro eo, cui aplicat Sacerdos, non autem pro eo, cui applicat Abbas. Peccabit tamen Monachus mortaliter: quia in re graui suo superiori nō obedit, maximè cum Abbati onus satisfaciendi pro receptis Missarum eleemosynis incumbat, & tenebitur altera die, si sine obligatione celebrabit, ad Abbatis intentionem celebrare; nisi ei constatet omninò talis præcepti occasionem cessasse. Poterit ergò Abbas præcipere subdito, vt Missam applicet ad suam intentionem: non tamen irritare voluntatem eius; quia vt Christi Minister operatur; & sacrificium Missæ ex opere operato suum sortitur effectum. Ità *Laurent. de Peirin. d. §. vnico vers. peccabit tamen*.

QVAESITVM IX.

Quod stipendium possint Abbates iustè pro Missis in suis Ecclesijs celebrandis recipere.

SVMMARIVM.

1 *Stipendium iustum, pro Missarum celebratione, est illud, quod est taxatum ex Superioris constitutione, vel consuetudine.*

2 *Sacerdoti an liceat pauciores Missas sibi præscriptas celebrare, si stipendia sibi oblata exigua, & incongrua sint.*

1 RESpondeo dicendo, quod vel Missarum stipendia per Superiores, ad id auctoritatem habentes, taxata sunt, vel non. Primò modo illa censenda sunt iusta, nec potest maior eleemosyna pro Missæ celebratione recipi, quàm ea, quæ est taxata tali Superioris auctoritate; nisi ille, qui facit taxationem, aliquid amplius spontè offerat, aut donet ex liberalitate. Ita docent *Suar. tom. 3. ad 3. par. D. Thom. disp. 86. sect.* communem dicit *Mirand. in man. Prælat. tom. 1. q. 41. art. 22. concl. 1. Regnald. in prax. for. pœnit. lib. 23. num. 231.* Vel prædicta stipendia non erunt communi Superioris lege taxata, & tunc id iustè exigi poterit, quod communi consuetudine receptum, & approbatum fuerit, siue quod à viris prudentibus, & timoratis communiter exigi, & dari solet. Ratio est, quia hæc est communis via indicandi iusta rerum pretia, quando per Superiores taxata non inueniuntur, & licet Missarum stipendia non sint propriè pretia, tamen quatenus in eis dandis, & recipiendis ratio iustitiæ intercedit, seruant cum eis proportionem quamdam, vt ait *Suar. loc.*
2 *cit. concl. 2.* vbi etiam aduertit, quod si Missas commendantes, vt debent, noluerint pro missis commendatis stipendium Superioris statuto, vel consuetudine taxatum, sed diminutum persoluere, eo casu poterunt Sacerdotes, pauciores Missas celebrare, vel aliquid ampliùs percipere, habita ratione ad quantitatem iusti stipendij, quę debetur secundum legem, aut communem consuetudinem, & debitum iudicium boni viri; maximè quando iustum Missarum stipendium, vt supra, sine litibus, & alijs inconuenientibus exigi non potest: tunc enim stipendium certò sibi debitum percipere poterunt, absque vlla restituendi obligatione, vt aiunt Doct. de alijs debitis liquidis, & certis, quæ commodè exigi non possunt, ita *Suar. loc. cit. Mirand. vbi supra conclus. 3.* Verum contra hoc adest Decretum Sacræ Congregationis Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum Sanctissimi D.N. Vrbani Octaui Pont. Max. iussu editum, vbi disponitur; *quando pluribus etiam ciusd. qualitatis celebrandis plura stipendia quantumcunque incongrua, & exigua, siuè ab vna, siuè à pluribus personis collata fuerunt, aut conferentur in futurum Sacerdotibus, Ecclesijs, Capitulis, Collegijs, Hospitalibus, Societatibus, Monasterijs, Conuentibus, Congregationibus, Domibus, ac locis quibuscunque tam sæcularibus, quàm Regularibus, Sacra Congregatio sub obtestatione diuini Iudicij mandat, ac præcipit, vt absolutè tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributa eleemosyna præscripta fuerint; ità vt alioquin ij, ad quos pertinet, sua obligationi non satisfaciant, quinimò grauiter peccent, & ad restitutionem teneantur.* Ex quo Decreto constat non licere amplius Sacerdotibus pauciores Missas sibi ab offerente præscriptas celebrare; quantumcunque exigua, & incongrua stipendia eis offerantur. Vnde aduertere debent, vt potius ea non accipiant, nam ijs acceptis nequeunt absque graui peccato, Missarum satisfactionem omittere.

QVAESITVM X.

Vtrum Abbates Generales possint Missas Capellarum, & anniuersariorum ad minorem numerum reducere.

SVMMARIVM.

1 *Abbates, & Generales Ordinum olim poterant in Capitulis generalibus Missas Capellarum, & anniuersariorum iusta de causa ad minorem numerum reducere, hodie autem secus vt num. 2.*

2 *Quod procedit tàm de Missis, ac legatis post, quàm antè Concilium Tridentinum relictis.*

4 *Legatum si sit ita tenuè, quod onus lucrum excedat, & pro recursu habendo ad Sedem Apostolicam pro eius moderatione, ferè totum pro expensis necessarijs insumendum sit, quid faciendum ostenditur.*

5 *Legato in ipso si dispositum sit, vt liceat Superioribus iniunctum onus moderari, poterunt tunc Abbates id facere.*

6 *Vltima voluntas defuncti pro lege seruanda est.*

7 *Fundator in limine fundationis quascunque conditiones etiam contra ius apponere potest.*

8 *Eleemosyna si pro Missis multum crescat, adeo vt constituta tenuissima sit, quid faciendū ostenditur.*

Ex

1 EX Concilio Tridẽtino Abbates, & Generales Ordinum poterũt in Capitulis Generalibus Missas Capellaniarũ, & Anniuersariorũ iusta de causa ad minorem numerum reducere. Ita habetur in *d. Conc. sess. 25. de reform. c. 4.* cuius verba sunt quæ sequũtur. *Quia sæpè contingit in quibusdam Ecclesijs, vel tàm magnum Missarum celebrandarum numerum ex varijs defunctorũ relictis impositum esse, vt illis pro singulis diebus, à testatoribus præscriptis, nequeat satisfieri; vel eleemosynam huiusmodi pro illis celebrandis adeò tenuem esse, vt non facilè inueniatur, qui velit, huic se muneri subijcere, vndè pereunt piæ testantium voluntates, et eorum conscientias, ad quos prædicta spectant, onerandi occasio datur, Sancta Synodus cupiens hæc ad pios vsus relicta, quo pleniùs, atq; vtilius potest, impleri, facultatem dat Episcopis, vt in Synodo Diœcesana, itemque Abbatibus, & Generalibus Ordinum, vt in suis Capitulis Generalibus, re diligenter perspecta, possint pro sua conscientia in prædictis Ecclesijs, quas hac prouisione indigere cognouerint, statuere circa hæc, quidquid magis ad Dei honorem, & cultum, atq; Ecclesiasticam vtilitatem viderint expedire, ita tamen, vt eorum semper defunctorum commemoratio fiat, qui pro suarum animarum salute, ea legata ad pios vsus reliquerunt*, ita etiam comprobant *Henriq. lib. 9. cap. 22. nu. 6. Azor. instit. moral. par. 1. lib. 10 cap. 18. q. 61. Roder. in sum. par. 1. cap. 252. nu. 13. idem quæst. Reg. tom. 1. quæst. 43. art. 13. Reginal. in praxi fori pœniten. lib. 23. n. 239. Quarant. in sum. Bullar. verb. Missa, vers. posse,* Miran. *in man. Prælat. tom. 1. q. 41. art. 24. Ricc. in praxi for. Eccl. decis. 404. in 1. edit. & resol. 341. in 2. edit. D. August. Barbos. de offic. & potest.* Episc. *par. 1. alleg. 29. num. 1.*

2 Verum contrarium dicendum; talis enim facultas Abbatibus, & Generalibus à prædicto Concilio tradita, reuocata, & ablata eis fuit per decretum S. Congregationis Cardinalium eiusdem Cõcilij Interpretum Sanctissimi D. N. Papæ Vrbani Octaui edito Romæ *die 21. Iunij 1625. Pontif. eius anno III.* sub his verbis. *Primo districtè prohibet, atq; interdicit, ne Episcopi in Diœcesana Synodo, aut Generales in Capitulis Generalibus, vel aliàs in quocunq; modo reducant onera vlla Missarum celebrandarum, aut post idem Conc. imposita aut in limine fundationis, sed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis ad Apostolicam Sedem recurratur, quæ re diligenter perspecta, id statuet, quod magis in Domino expedire arbitrabitur, alioquin reductiones, moderationes, & commutationes huiusmodi, si quas contra huius prohibitionis formam fieri contigerit, omnino nullas, atque inanes decernit.* Circa quod decretum notandum est, quod per Concilium Tridentinum tradita erat Abbatibus, ac Generalibus Ordinum, & Præpositis auctoritas reducendi ad minorem numerum Missas relictas ante ipsum Concilium Tridentinum tantùm: non autem post ipsum Concilium relictas, vt à Sacra Congregatione Cardinalium eiusdem Sacri Concilij Interpretum sibi responsum fuisse *Romæ die 7. Februarij 1573.* refert *Passarell.*
3 *cap. 60. de remed. Missarum*; sed per hoc decretum prohibentur fieri reductiones ad minorem numerum, tàm de Missis, & legatis post, quàm ante *d.* Concilium relictis, vt patet ex illis verbis, *aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis*. Circa
4 idem decretum quæsitum fuit, quid sit faciendum, si legatum sit ita tenuè, quod onus illi iniunctum excedat lucrum, & nemo sit, qui illud subire velit, & si pro eius moderatione ad Sedem Apostolicam recursus haberi velit, totum vel ferè totum pro expensis ad id necessarijs insumendum sit. Et quid si in fundatione permittatur Episcopo, vt possit huiusmodi onera moderari? Ad quod eadem Sacra Congregatio auctoritate sibi à Sanctissimo Domino Nostro tradita respondit, quod etsi legatum sit adeo tenuè; nihilominus pro reductione oneris, vt suprà impositi ab ijs, ad quos pertinet, Sedem Apostolicam esse adeundam, quæ absque vlla impensa, id statuet, quod magis in Domino è rè esse iudicauerit. Verùm
5 si in ipsa beneficij erectione expressè cautum fuerit, vt liceat Episcopo iniunctum onus reducere, ac moderari: legem hanc fundationis, quam decreta, hac de re edita non sustulerunt, esse validam, & obseruandam; Idem dicendum videtur quoad Abbates quando in legatis huiusmodi, vel conceditur eis talis facultas à testatoribus, vel in fundatione Ecclesiæ,
6 vel Capellæ, ita conceditur; quia vltima voluntas defuncti pro lege seruanda est, *Auth. de nuptijs §. disponat collat. 4. can. vltima voluntas 13. q. 2.* & etiam
7 quia fundator in limine fundationis apponere potest quascunque conditiones, etiamsi sint contra ius: dummodo non sint natura impossibiles, aut alias à iure improbatæ; sic *Lambertin. de iure patron. lib. 1. par. 1. art. 1. q. 9. num. 25. Rota in vna Romana Iurispatronatus 31. Maij 1613. coram Sacrato,* D. *Barbos. de offic. & potest.* Episc. *p. 1. tit. 2. gloss. 17. nu. 26.*
8 Hic aduerto, quod quandò testator relinquit decem aureos pro centum Missis in tali Ecclesia pro anima sua celebrandis; si augeatur eleemosyna Sacerdotibus præstanda, tenetur hæres, data hæreditatis capacitate, mercedem supplere. Nam testator non reliquit illos decem aureos simpliciter pro eleemosyna soluendos, sine onere Missarum; sed pro Missis celebrandis pro anima sua, tempore, quo dabatur Sacerdotibus minor merces; si enim augmentum mercedis prænidisset, non vtique non diminuisset numerum Missarum; cum hæreditas totum reddere posset Ita *Marc. Ant. Gen. in practicab. Eccles. q. 179. D. Barbos. de offic. & potest.* Episc. *p. 2. alleg. 29. num. 7.*

DISPVTATIO VI.

De officio, & potestate Abbatis, & aliorum Prælatorum inferiorum, quoad Sacramentum Pœnitentiæ.

Quæst. 1. Vtrùm Abbas sit proprius suorum Monachorum Sacerdos, & Confessarius

Quæst. 2. Vtrùm Abbas recusans sui Monachi Confessionem audire censeatur tacitè eo ipso illi

D licentiam

QVAESITVM I.

Vtrùm Abbas sit proprius suorum Monachorum Sacerdos, & Confessarius.

SVMMARIVM.

1 *Abbas est proprius suorum Monachorum Sacerdos.*
2 *Abbas non solum extrinsecùs, sed etiam intrinsecùs suos Monachos cognoscere debet.*
3 *Monachi, nec velle, nec nolle habent.*

1 NVlli dubium est, Abbatem esse proprium, & ordinarium Confessorem suorum Monachorum, quorum animæ ei tanquam Pastori commissæ sunt, quando beneficio, & gratia Sedis Apostolicæ Religiones ab Ordinariorum iurisdictione fuerunt exemptæ; nam per exemptionis priuilegium in Abbates, & Prælatos Regulares translata est eadem cura circa suos Monachos, quam Episcopi, vel Parochi habent circa suos subditus seculares, neque Regularis audire potest Confessiones Religiosorum, nisi ab ipsorum Prælatis habeat iurisdictionem; sicuti nemo potest audire Confessiones secularium, nisi à Summo Pontifice, vel illorum Episcopo, aut Parocho iurisdictionem delegatam habuerit; vt docet *Nauar. in Enchir. cap. 4. num.* 3. Vnde Confessarij etiam ab Episcopis approbati non possunt Religiosorum Confessiones audire, cum non habeant iurisdictionem delegatam ab ipsorum Prælatis: proprius ergo Monachorum

2 Confessarius est Abbas, qui ipsos non solum extrinsecus, sed etiam intrinsecus cognoscere debet, *arg. c. ad aures, de tempor. ordinat.* & quem super capita

3 sua loco Dei posuerunt; ita quod nec velle, nec nolle habent, *c. nolo, & c. non dicatis 12. q. 1. c. nerui 13. dist. & c. nullus, de elect. in 6.* qui respectu totius Religionis est Generalis; respectu vero Prouinciæ, vel Nationis est Prouincialis, vel Nationalis, respectu Monasterij est Abbas localis; adeò quod ipsi Monachi non possunt, nisi ipsis, vel ab eis destinatis confiteri: ita *Hostien. in sum. tit. de pœnit. & remiss. §. cui confitendum, vers. cum Monachi nu. 22. Archid. in c. 1. num. 3. 16. q. 1. Roder. quæst. regul. tom. 1. q. 62. art. 4. Anglès in floreb. q. de confes. art. de ministro vers. vniuersi. Henriq. lib. 6. de Sacrament. Pœnitent. cap. 6. num. 4. Laurent. de Pairin. tom. 1. de subdito q. 1. cap. 21. dich. 9. Suar. tom. 4. de Pœnitent. disput. 25. sect. 2. num. 13.*

QVAESITVM II.

Vtrùm Abbas recusans sui Monachi Confessionem audire censeatur tacitè eo ipso illi licentiam alium adeundi elargiri.

DIfficultas huius quæsiti in hoc vertitur, an Monachus, qui patitur repulsam à suo Abbate, possit quemcunque Confessarium eligere, ita vt per illius repulsam potestatem in hoc sibi Confessarium eligendi recipiat; In qua re duas reperio opinio-

opiniones; prima est *Richard. in 4. dist. 18. art. 2. q. 3. Syluest. ver. Confessor. 1. num. 14. Armill ver. absolutio nu. 28.* qui affirmatiuam partem tuentur; secunda opinio est *Sot. in 4. dist. 18. q. 4. art. 2.* qui negatiuam partem tanquam probabiliorem asserit, quam etiam tenet *Regin. prax. for. pœnit. lib. 1. n. 83.* dicens, non licere huiuimodi licentiam facile sibi fingere; quia ad validitatem Confessionis licentia est necessaria; neq; præposita recusatio est illius datæ licentiæ argumentum. Quia licet facilis, & misericors esse debeat animarum Pastor, & peccet se difficilem præbendo, ex *S. Tho. in 4. dist. 17. q. 3. a. 3.* tamen præsumitur velle, vt eam expressè subditus petat, dum ipse sponte ea illi non exhibet, maximè cum faciliter respondere posset, Adeas alium; quod colligitur ex verbis, *cap. omnis vtriusq; sexus, de pœn. et remiss.* scilicet. *Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit iusta de causa confiteri peccata, licentiam prius postulet, & obtineat à proprio Sacerdote, cum aliter ipsum non possit absoluere, vel ligare*; ex quibus verbis *Medin. in C. de Confess. q. 30.* ponderando verbum illud, *voluerit*, infert necessariam esse dictã licentiam. Quod si dicas, hæc omnia procedere de secularibus respectu suorum Parochorum, non vero de Monachis respectu suorum Abbatum, de quibus non loquuntur Auctores citati, vt eos legentibus facilè patebit. Respondeo à fortiori, si hæc verã sunt de secularibus respectu suorum Parochorum, debere multò magis verificari de Monachis respectu suorum Abbatum; maximè cum aliquando Abbates consulti hanc repulsam suis Monachis sibi confiteri petentibus tribuant, vt humilitatis virtutem in eis experiantur.

QVAESITVM III.

Vtrùm Abbates, & Prælati Regulares debeant in suo Monasterio Confessarios deputare.

SVMMARIVM.

1 Prælati Regulares tenentur in suo Monasterio Confessarios instituere.

PRælatus Regularis licet ratione sui officij, & potestatis ad subditorum Confessiones audiendas paratus esse debeat, si ipsi velint ei confiteri; non tamen debet ordinariè ad hoc eos adstringere; & ideo
1 tenetur alios Cõfessores, quibus Monachi liberè confiteãtur, in suo Monasterio instituere. Quamuis enim Parochi seculares, quibus Abbates saltẽ locales quoad hoc æquiparantur, possint velle per se Parochianorum Confessiones audire, nec teneantur suam iurisdictionem alteri delegare; non tamen eodem modo Abbates; inter eos enim, & seculares Parochos magna est differenria; quia Monachi ab Abbatibus reguntur in omnibus rebus, & timere possunt, nè notitia Sacramentalis fori cum alio regimine misceatur; præcipuè cum ab eisdem possint suo modo in foro exteriori puniri, & iudicari; ob quam causam multis periculis exponerentur. Vnde Clemens VIII. in decreto de reseruatione casuum pro Regularibus hoc eis expresè præcepit, dum §. 2. ait. *Non liceat Superioribus Regularium, Confessiones subditorum audire; nisi quando peccatum aliquod reseruatum admiserint, aut ipsimet subditi sponte, aut proprio motu id ab eis petierint.* Ex quibus clarè colligitur, Abbates omnes tàm inferiores, quàm supremos (verba enim decreti indefinitè de Superioribus loquuntur) necessariò teneri ad delegandam suam iurisdictionem alijs Confessoribus, aliàs enim subditi cogerẽtur illis confiteri, & ipsi eos audire. Vnde ad maiorem huius rei confirmationem §. seq. Summus Pontifex subdit. *Superiores in singulis domibus deputent duos, aut tres, aut plures Confessarios pro subditorum numero maiori, vel minori.* Ex quo præcepto magis confirmatur, Abbates teneri ad destinandum Confessores in Conuentu, quibus committat facultatem absoluendi suos Monachos saltim à culpis non reseruatis; ita *Suar. de relig. tom. 4. tract. 8. lib. 2. cap. 15. num. 4. & 5.*

QVAESITVM IV.

Quot, & quales Confessarios teneatur Abbas in Monasterio deputare.

SVMMARIVM.

1 Abbas quot Confessarios in Cõuentu deputare debeat.
2 Confessarij ab Abbate deputandi debent esse docti, & quanta scientia in eis requiratur, num. 3.
4 Scientia quotuplex sit.
5 Prudentia in Confessarij requisita.
6 Charitas in Confessarijs requiritur.

CLemens VIII. in præfato decreto de reseruatione casuum pro Regularibus §. 3. sic statuit. *Su-*
1 *periores in singulis domibus deputent duos, tres, aut plures Confessarios pro subditorum numero maiori, vel minori; qui que sint docti prudentes, charitate prædi-ti, qui à non reseruatis eos absoluãt*; quę verba vtramq; huius quæsiti partem ostendunt. Et quoad primam, nempe de numero Confessariorum ab Abbate in Monasterio deputandorum, censeo cùm *Suar. vbi supra num. 7.* non videri mentem Pontificis, vt bi Confessores debeant ad minimum, ac necessario etiã in paruo Cõuentu, esse duo; nã Pontifex statuit, vt duo, vel tres Cõfessores in Monasterio deputẽtur pro numero subditorum; ergò videtur intellexisse, vt si numerus subditorũ sit adeo exiguus, vt pro illo vnus tantum Confessor sufficiat, non sint duo necessariò constituendi, & hoc vsus, & praxis manifestat; videmus enim in Monialium Monasterijs, quibus d. decreti prouisio non minus necessaria est, quandò ipsarũ numerus est exiguus, vnum tãtum Confessorem ordinariũ ab earum Prælato deputari; Et hæc quoad primã partẽ quæsiti.

Quo verò ad secundam, nempe qualitatem Confessariorum deputandorum; in præfato decreto dicitur,
2 eos debere esse doctos, & prudentes, & charitate præditos. Prima qualitas est sciẽtiæ, & quidẽ cũ ipsi iudices sint spirituales, ideo potestas iudicaria requirit, vt sint docti, ad hoc vt quod debẽt iudicare discernãt *c. 1. §. caueat, de pœn. dist. 6.* & nè fortè peccata cõfundãt, & mortalia incõmuni, iesti, quę ab omnibus sciũtur esse talia, vel ex genere à venialibus nõ discernãt, quod esset magnũ, & notabile vitium; Quanta autem
3 scientia, & doctrina huiusmodi Confessarij deputandi

 callere

callere debent, dicendũ est cum *Nauar. in Enchir. c. 4. nu. 2.* quod sufficiens Confessarius scire debet peccata, in quæ communiter pœnitentes incidere solent, & circumstantias necessariò confitendas, & casus annexam habentes excommunicationem, restitutionem famæ, vel bonorum, & casus reseruatos, vel saltim de his omnibus scire dubitare, & (vt communiter dici solet) discernant inter lepram, & lepram. Vnde cum, vt aiunt *Innoc. & Panor. in c. cum in cunctis de elect.* triplex sit scientia, nempe eminens, mediocris, & sufficiens; dico satis esse Confessario si habeat sufficientem, quæ est, vt sciat distinguere inter peccatum, & non peccatum, mortale, & veniale, vt cum *Nau.* supra diximus: Et cum huiusmodi scientia, teste *Innoc. loc. cit.*, reducenda sit ad arbitrium boni viri, Abbatis deputantis arbitrio relinquitur diiudicanda Prudentia vero Confessarij in multis consistit, sed præcipuè in iniungendis pœnitentijs, in quo debet qualitates peccatorũ, & personarum conditiones respicere, ne Monachis, qui non sunt sui iuris, v.g. peregrinationes imponat, eleemosynas, & cum *Conc. Trid. sess. 14. c. 7.* declaret conuenientes pœnitentias esse à Cõfessarijs iniungendas; caueant ne leues pro grauibus, & è contra pœnitentias imponant, & in primis iuxta D. August. consilium, aduertat, vt perditissimi, & magni peccatores in principio mitius, & blandius tractentur, quoadusq; ad Deum pertrahantur; & cum quantitas, & qualitas iustæ pœnitẽtiæ prudentis Confessarij arbitrio relinquitur *c. mensuram. c. Deus, de pœn. & remiss. & c. tẽpora 26. q. 7.* in huiusmodi quantitate, & qualitate pœnitẽtiæ iniungendæ inspicere debet grauitatem, & leuitatem peccatorum, & qualitatem personæ pœnitentis; an videlicet sit robustus, vel debilis iuuenis, vel senex; an fortè sit magnam recusaturus, vel licet acceptet eam non impleturus, & alia huiusmodi inspicienda est potissimum magnitudo contritionis; tanta enim esse posset, vt ea sola pœnitentiam remitteret iuxta *gloss. singularem in c. mensuram. in verbo, doloris, de pœnit. dist. 1. & in c. si is qui 23. q. 4.*

Quo verò ad Charitatem, qua huiusmodi Confessarij præditi esse debẽt, sufficiet dicere, quod Confessarius debet erga pœnitẽtem patris officiũ exercere, vnde neq; indulgentior, neq; seuerior, quã par est, esse debet. Cum his qualitatibus narratis subintelligitur, quòd sit bonus, quia ad rectè, & sanctè hoc Pœnitentiæ Sacramentum administrandum requiritur bonitas.

QVAESITVM V.

Vtrùm Abbas possit Confessarijs Conuentualibus pœnitentias peccatis suorum Monachorum iniungendas taxare.

SVMMARIVM.

1 *Abbas non solum pro reseruatis, verum etiam pro non reseruatis pœnitentias suis Monachis a Confessarijs imponendas taxare potest.*

1 DE hac re agemus infra in disputatione de casibus reseruatis, dicendum est autem in præsenti Abbatẽ non solum pro culpis reseruatis, verum etiam pro alijs nõ reseruatis pœnitẽtias taxare posse; quod, expressè cõceditur in decreto Clementis VIII. de reseruat. casuum pro Regularibus, vbi §. 5. sic dicitur: *Liceat tamen Superioribus determinare pœnitentias graues quibusdam peccatis etiam nõ reseruatis à Confessarijs imponendas, quæ subditos ab huiusmodi perpetrandis prohibere possint.* Ex quibus clarè cõstat, quod possint Abbates iuxta peccatorum species ponere modum pœnitentiæ imponendæ ab his, quibus delegant iurisdictionem absoluendi, notat *Franc. Coriol. de cas. reser. par. 1. sect. 2. art. 22. per tot.* & alij. In vsu autem huiusmodi potestatis debent Abbates moderatè, & prudenterè se gerere; quamuis enim hoc per modum præcepti imponere possint, nõ tamen id sine magna, & extraordinaria causa facere debent, videntes sæpè subditos facilè in aliquod graue peccatum incidere, & propterea taxẽt pro illo pœnitentiã grauẽ ad retardandũ ipsos Religiosos, ne tale peccatũ committant. In primis autem certũ est, quod non pro grauibus culpis Abbates pœnitentias graues taxare debeant, prout magis expedire sibi visũ fuerit, & ab ijs pœnitentijs sic per Abbatem taxatis eximi non possunt Monachi pœnitentes à suis Confessoribus.

QVAESITVM VI.

Vtrùm liceat Monachis alteri, quam Confessarijs ab Abbate destinatis Confiteri.

SVMMARIVM.

1 *Religiosi in quibus casibus alijs, quàm Confessoribus ab Abbate destinatis absque ipsius Abbatis licentia confiteri possint.*

2 *Religiosi regulariter nequeunt, nisi Confessarijs ab Abbate in Conuentu deputatis confiteri.*

3 *Sacerdotes simplices non habent facultatem eligendi sibi Confessarium, quem maluerint.*

4 *Religiosus peregrinans cui confiteri debeat, & nu. 7.*

5 *Vnũ qui concedit virtute cõcedit aliud, quod moraliter necessarium est ad illud conuenienter exercendũ.*

6 *Religiosus hospes in aliquo Monasterio suæ Religionis cui confiteri debeat.*

8 *Religiosus habens facultatem ab Abbate sibi Confessarium eligendi, confiteri potest cuicunq; Sacerdoti etiam non approbato ab Episcopo, nisi à suo Prælato in facultate sibi concessa aliter expressè præscriptum fuerit. Non autem Regulari non exposito à Superiore, ad Fratrum Confessiones audiendas, num. 9.*

10 *Religiosi, quibus prohibitum est à suis Prælatis confiteri alijs, quàm Confessarijs ab ipsis destinatis, nequeunt confiteri alijs, etiam habentibus à Papa iurisdictionem generalem audiendi omnium fidelium Confessiones.*

11 *Nouitij an absq; Prælatorũ licẽtia possint alijs quàm Confessarijs ab eiusd. Prælatis destinatis, confiteri.*

1 IN quatuor casibus possunt Religiosi indifferenter alijs, quàm Confessoribus à suis Prælatis destinatis confiteri & ab ijs validè absolutionem accipere. Primò cum confitentur venialia; ita *Caiet. in sum. verbo absolutio cap. 2. Sot. in 4. dist. 18. q. 4. art. 2. vers. at vero, Nauar. in manual. cap. 4. num. 5.* & alij communiter. Secundò cum confitentur peccata, de quibus aliàs sunt ritè confessi, & absolutionem receperunt, vt ait *Nauar. vbi supra*. Tertiò, in articulo mortis, in quo

Digitized by Google

inquo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes, à
quibusuis peccatis, & censuris absoluere possunt
iuxta *Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 7. de caſuum reſeruat.*
Et ratio eſt quia ad huiuſmodi Confeſsiones, vt ritè
fiant, non requiritur ſpecialis iuriſdictio, ſed ſuffi-
cit ea, quam omnes ſimplices Sacerdotes in eorum
ordinatione receperunt. Vnde confeſsio taliter à Re-
ligioſis abſque Prælatorum licentia facta, valida erit.
Quarto Religioſi habentes à Superiore facultatem
ſibi Confeſſarium eligendi, poſſunt alijs, quam ab
ipſo Superiore deſtinatis confiteri, quod eſt clarum,
nec indiget probatione.

2 In alijs autem caſibus iure ordinario, & ſeclusis
priuilegijs non poſſunt, niſi Confeſſoribus deputa-
tis confiteri; exceptis tamen Pœnitentiarijs Summi
Pontificis, quibus data eſt plena poteſtas audien-
di confeſsiones omnium ad ſe recurrentium, etiam
Religioſorum cuiuſcunque Ordinis. Ratio eſt, quia
reliqui iuriſdictionem in illos non habent, cum non
fiat de ſuorum Prælatorum licentia. Verum quoad
Sacerdotes eſt opinio *Sot. in 4. diſt. 18. q. 4. art. 2.*
verſ. ſimiliter & omnes; quod vniuerſi ſimplices Sa-
cerdotes gaudent facultate ſibi promiſcuè quem-
cunque Sacerdotem in Confeſſarium eligendi; ergo
non tantum Confeſſarijs ab Abbatibus deſtinatis, ſed
cuicunq; Religioſo Sacerdoti, & ab Epiſcopo non ap-
probato confiteri poterunt; ad quod facit id, quod
dicit *Nauar. in perlect. cap. placuit diſt. 6. num. 28.*
nempe, quod quilibet Sacerdos eligit ſibi quemlibet
Sacerdotem in Confeſſarium, ſi non ex iure, ſaltem
ex conſuetudine: facit etiam, quod dicit *Hieron. à*
Sorbo in addit. ad Compend. priuileg. tit. abſolutio;
ordinaria quoad Fratres, nempe multos Summos
Pontifices conceſsiſſe Fratribus Minoribus, vt de ma
teria peccati mortalis poſsint Fratres confiteri cum
quouis Ordinis Sacerdote, etiam quod à ſuis Præla-
tis licentiam non petant; ſed in rei veritate hoc nul-
3 lo pacto affirmari poteſt; nam per *c. fin. de pœn. & re-*
miſſ. ſolùm Prælatis conceditur facultas ſibi Confeſ-
ſarium eligendi; & quod dicitur, poſſe de conſuetudi-
ne ſimplices Sacerdotes hoc facere interpretandum
eſt, quod cum Prælatus ſciens, Sacerdotes ſuos cõſue-
uiſſe inuicem ſe abſoluere, id permittat, valens impe-
dire ſi velit, cenſeatur tacitam licentiam eis concede-
re, ex qua abſolutio ſit valida, & conſuetudo nil aliud
operetur, niſi quatenus eſt teſtimoniũ eiuſdẽ licentiæ
ab ipſo Superiore cõceſſę, nec reuocatæ, ſed cõtinua-
tæ cũ ipſius tacito conſenſu; nulla enim conſuetudine
introduci poteſt, vt aliquis præter ſui Superioris li-
centiam Confeſſorem ſibi eligere valeat, qui eum poſ-
ſit ſoluere, vel ligare, vt habetur expreſsè in *c. ſi Epi-*
ſcopum in fin. de pœn. & rem. in 6. ita docet *Caiet. in*
ſum. ver. abſolutio à peccatis 2. in fin. Vnde infertur,
eſſe in Superioris poteſtate, huiuſmodi conſuetudinẽ
reuocare; nam iuriſdictio conſuetudine obtenta ſem-
per à Superioris voluntate dependet: adeo vt conſue
tudine non obſtãte, ſemper ſit in eius poteſtate, illam
reuocare, ſi velit; ita *Suar. tom. 4. in 3. p. D. Thom. diſp.*
27. ſect. 3. n. 6. qui n. ſeq. ſubdit eam iuriſdictionem re-
uocari poſſe ab eo Superiore, ex cuius præſumpta vo-
luntate orta eſt cõſuetudo, vel ab alio, qui ſit eius Su-
perior, non autem ab inferiori: ita etiam *Regin. lib. 1.*
n. 74. Atq; hæc procedunt de iure communi, & ſeclusis
priuilegijs; videndum ergo eſt verum in aliquo alio
caſu, & ex aliquo priuilegio Religioſi poſſint ſibi Con-
feſſarium eligere pro quo.

4 Dico primò, quod quandò Religioſus peregrinans
ſecum defert ſocium Sacerdotem, & ſufficientem ad
Confeſsiones audiendas, quãuis nec ab Epiſcopo, nec
ab Abbate ad id expoſitus fuerit, tamen poteſt ei con-
fiteri; quia Abbas dando licentiam peregrinandi, cen-
ſetur etiam conceſsiſſe ea omnia, quæ ad tale iter pe-
ragendum neceſſaria ſunt; nam qui vnum concedit,
5 virtute concedit aliud, quod moraliter neceſſarium
eſt ad illud conueniẽter exercendũ *c. præterea de offic.*
deleg. Ita affirmant *Veg. 1. p. ſum. c. 62. caſu 3. Roder.*
tom. 1. q. 62. art. 5. in fi. Graff. tom 2. conſ. lib. 5. de pœn.
& rem. conſ. 2. diffic. 2. art. 1. Laur. de Peirin. tom. 1. de
ſubd. q. 1. c. 21. dec. 8. Addo, quod talis Religioſus pere-
grinans non debet alteri niſi ſocio ad id idoneo confi-
teri; hæc enim ſolet eſſe volũtas Prælatorũ licentiam
peregrinandi concedentium; quæ etſi aliquando nõ ſit
expreſſa, ſufficit tacita, & incluſiua in ipſa licẽtia iter
agendi, quam recta ratio, & cõmunis cõſuetudo ſatis
indicãt, ita *Suar. de Rel. tom. 4. tract. 8. lib. 2. c. 17. n. 2.*

6 Dico ſecundò. Religioſi itinerantes, quando ſunt
hoſpites in alio Monaſterio eiuſdem Religionis, con-
fiteri debent, vel Prælato ipſius Monaſterij, vel alteri
de eius licentia, vel Confeſſori Conuentuali, qui eſt
quaſi Ordinarius illius loci: non tamen alijs Religio-
ſis eiuſdem Conuentus, ad Fratrum Cõfeſsiones au-
diendas à ſuo Prælato non expoſitis; quia Prȩlatus, vel
ordinarius Confeſſor illius Monaſterij habent iuriſ-
dictionẽ, cui iure hoſpitij ſubdi poteſt Religioſus pe-
regrinus pro eo tempore, quo ibi moratur; alij vero
cũ nullã habeant iuriſdictionem, audiendi Religioſo-
rum Confeſsiones; nec etiam circa ipſum hoſpitem
eam habebunt: Ita *Suar. loc. cit.* Nec obſtat, quod Reli-
gioſi itinerantes habuerint licentiam à Prælato ſuo
eligendi ſibi Confeſſorem, & quod propterea poſsint,
quemcunq; Sacerdotem, etiam nõ approbatum elige-
re: reſpondetur enim, illam facultatem ſolum intelli-
gi eſſe traditam pro caſibus neceſsitatis; quãdo vide-
licet non habent copiam ordinarij Confeſſoris eiuſdẽ
Religionis; at in eo caſu illi Religioſo iure hoſpitij nõ
deeſt ordinarius Confeſſor eiuſdem Religionis; ergo
ceſſat facultas eligendi Confeſſorem. Si autem Abbas
conceſsiſſet expreſſè facultatem eligendi quemcunq;
Sacerdotem etiã in Monaſterijs eiuſdem Religionis,
tunc procul dubio poſſet cuilibet confiteri; niſi aliter
per Religionis Conſtitutiones ordinatum eſſet, adeo
vt huiuſmodi facultas irrita redderetur; quod ſi id
expreſsè non eſt conceſſum, cenſetur non conceſſum,
nec comprehenſum ſub generali facultate itinerandi,
quæ & neceſsitatem, & debitum ordinem Religio-
ſum reſpicit: ita doctè more ſuo *Suar. d. c. 17. n. 3.* vbi
nu. 4. addit, quod ſi Religioſus ſecum deferẽs ſocium
ſuæ Religionis Sacerdotem in aliquo Monaſterio ſuæ
Religionis hoſpitetur, poſsit, vel ſuo ſocio, vel ordina-
rio ipſius Conuentus Confeſſario confiteri, niſi aliud
à Prælato declaratum, vel ordinatum, vel per ſpecia-
le Religionis ſtatutum, vel conſuetudinem definitum
eſſet, illud enim ſemper obſeruari oporteret.

7 Dico tertiò. Religioſi quando itinerauerint, aut
extra Monaſteria ſuæ Religionis, de ſuorum Abba-
tum licentia, degerint; poſſunt tunc cuicunq; Sacer-

doti seculari, vel Regulari, etiàm non approbato confiteri; nisi aliud de voluntate, seu instructione particulari Prælatorum constaret, quod seruãdum est, quando nõ foret planè iniustum. Ratio est, quia tales Religiosi Cõfessionis subsidio priuari nõ debẽt; Ita docẽt *Nau. in man. c. 4. n. 7. Roder. tom. 1. qq. Reg. q. 62. art. 5. Reginal. in prax. lib. 1. nu. 175. & lib. 8. nu. 36.* & alij apud *Laurent. de Peirin. d. cap. 21. dict. 7.* quibus addo *Suar. de relig. tom. 4. tract. 8. lib. 2. cap. 17. num. 5.* affirmantem, sufficere ad hoc facultatem Prælati tacitè inclusam in licentia peregrinandi; quia huiusmodi facultas secundùm rectam rationem debita est, & quasi veritate morali annexa peregrinationi; ergò cõcessa licentia iter agendi, virtualiter est etiã concessa facultas Confessarium eligendi; Ita etiam tenet *Angles in floribus, c. 4. in q. de confess. art. 8. difficul. 2. dub. 4. par. 9.* quem refert, & sequitur *Roder. d. art. 5. in fine.* Præterea adsunt super hoc aliqua priuilegia concessa Regularibus Prælatis, *quod possint concedere Fratribus suis, vt dũ itineraverint, vel fuerint extra Cõuentus suos dumtaxat, valeant confiteri quibuscunq; Sacerdotibus Regularibus, vel secularibus.* Ita concessit Sixtus IV. Fratribus Prædicatoribus, vt refertur in *lib. Monument. Ordinum*, & à *Roder. dicto art. 5.* simile priuilegium concessit Innocentius VIII. Cisterciensibus, vt habetur in eorum Compendio *tit. Confessores, & Confessionalia §. 5.*

9 Dubium est autem, an quando Religiosus peregrinans in locis extra Monasteria suæ Religionis reperitur, debeat tunc secularem vel Regularem Sacerdotem sibi Confessarium eligere, si possit? Ad quod respondetur integrum ei esse, quem maluerit, secularem, vel Regularem eligere, nisi expressa aliqua Prælati limitatio extet: Imò etiam si contingat in eodem loco eiusdem Ordinis Religiosum concurrere, licet rectius agat, illum eligendo, sicque consulendum sit, quia per se est magis ordinatum, magisq; commendat vnitatem, & fidelitatẽ erga Religionem, tamen si neque in Regula, vel Constitutionibus præscriptũ fuerit, vel à Superiori iniunctum necessarium putandum non est; quia omnis hæc limitatio est onerosa, & scrupulosa, & ideò nisi de ea expressè constiterit non est præsumenda. Ità *Suar. dicto cap. 17. num. 8.*

8 Dico quartò, Monachus, cui Abbas tradidit facultatem sibi Confessarium eligendi, confiteri potest cuicunque Sacerdoti, quem sibi idoneum inuenerit: quamuis ab Episcopo approbatus non sit, quia de iure antiquo per generalem facultatem traditam ad eligendum Confessorem, eligi poterat quilibet Sacerdos iure diuino idoneus, absque alia conditione, aut approbatione iure humano requisita; in illo enim iure hoc præscriptum ostendi potest. Et ita asserunt *Caiet. in sum. verb. absolutio, Sylu. verb. Confessor, 1. q. 5. Soto in 4. dist. 18. q. 4. art. 3. circa fin.* & communiter ita receptum esse testatur *Victoria in sum. num. 150. Suar. tom. 4. de pœnit. disp. 28. sect. 3. num. 4.* vbi plures alios citat; *Concilium autem Trident.* licet respectu secularium hoc mutauerit, dum *sess. 23. de reform. cap. 15.* decreuit. *Nullum etiam Regularem posse Confessiones secularium etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur necessarium, aut aliàs idoneus iudicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat: priuilegys, &c.* tamen respectu Regularium nihil in hoc innouauit, vt patet ex supradictis verbis apposita est limitatio quoad seculares, ergo Monachi habentes generalem facultatem eligendi sibi Confessarium, poterunt quemcumque Sacerdotem etiam ab Episcopo non dum approbatum eligere, qui ipsorum Confessiones audiat. *Nauar. in man. cap. 4. num. 7. Suar. d. disput. 28. sect. 4. nu. 5. Roder. quæst. Regul. tom. 1. q. 62. art. 4.* optimè idem *Suar. dicto cap. 17. num. 6 & seq.* nisi tamen ab eorum Prælatis in facultate sibi concessa id fuerit specialiter præscriptum, & ratio huius posterioris partis est; quia Prælatus potest facultatem concedere limitatam ad certum genus personarum: ergò potest etiam limitare, illa conditione apposita; si tamen illam expressè non adijciat, non est præsumendam; quia non est verisimile voluisse Prælatum imponere onus, quod Concilium non posuit; nam si voluisset expressisset: hæc enim regula in oneribus imponendis seruanda est: præsertim respectu Regularium non sit tàm necessaria ista conditio; tùm quia frequentiùs confitentur, tùm etiam quia cautiùs viuunt, & sic facilius possunt idoneum Confessarium eligere, etiamsi ab Ordinario solemniter approbatus non sit. Ità *Suar. dicto num. 7.*

Notandum tamen, quòd Monachus habens ab Abbate licentiam eligendi sibi Confessarium, non potest confiteri Religioso, qui à suo Prælato ad audiendas Fratrum Confessiones expositus non sit: nam sicut ante Concilium Religiosi nõ poterant simplicem Sacerdotem à suis Prælatis non approbatũ sibi Confessarium eligere, ità pariter neque post Concilium, quod licet illis non auferat facultatem, quam habebant eligendi sibi Confessarios Sacerdotes ab Ordinario non approbatos; eis tamen non tribuit potestatem, quam antea non habebant, confitendi Sacerdotibus Regularibus ad Fratrum Confessiones audiendas à suis Prælatis non expositis, ità *Roder. d. art. 4. Vega. 1. par. cap. 26. casu 2 §. nota,* & alij apud *Laurent. de Peirin de subdito q. 1. c. 21. dicto §.*

10 Dico quintò, in illis Religionibus, in quibus prohibitum est Religiosis confiteri alijs, quàm Confessarijs deputatis à suis Superioribus, Monachi absque Abbatis licentia nequeunt confiteri alijs Religiosis, vel Sacerdotibus, etiam his, qui habent iurisdictionem delegatam à Summo Pontifice, vt omnium fidelium Confessiones audire possint. Probatur ex priuilegio Innocentij IV. concesso Ordini Prædicatorum, scilicet. *Vt Fratres habentes facultatem audiendi generaliter Confessiones fidelium, non possint dictorum Religiosorum Confessiones audire, nisi pœnitentes à suis Prælatis licentiam habeant;* quod priuilegium refertur in *lib. Monumenta Ordin. secunda impressionis fol. 158. concess. 563. & in Comp. priuil. Societ. verb. Confessarius §. 5.* & eo gaudent omnes Religiones communicantes priuilegia d. Ordinis. Idem concessum fuisse Fratribus Minoribus, & Carmelitis, ait *Roder. quest. Regul. tom. 1. q. 26. art. 4.* Idem concessum fuit Ordini Eremitarum S. Augustini ab Innocentio VIII. & Iulio II. vt refertur in *Compend. Mendicant. verb. Confessio §. 6. & 7.*

Idem

Idem quoq; fuisse concessum Ordini Cistercienfium, in eius *Compend. verb. Confessor §. 3.* vbi dicitur. *Vnusquisq; Monachus confiteri debet proprio Prælato, siue alijs de ipsius licentia, aut deputato Confessori, qui Conuentualis dicitur, quod ab antiquo ita huic Ordini indultum fuit, vt inciius priuilegijs patet, & concessit Gregorius XI Congregationi Montis Oliueti:* quod intelligendum est, vt non possit alteri confiteri, quamuis Confessor à Summo Pontifice haberet generalem iurisdictionem fidelium Confessiones audiendi: Nam idem Pontifex, qui talem iurisdictionem concessit, potest alia via illam limitare hoc modo, vt videlicet respectu Religiosorum tali iurisdictione vti nequeant, nisi pœnitentis specialem à suo Prælato licentiam obtineant, ita *Suar. de Relig. tom. 4. tract. 8. lib. 2. cap. 16. à num. 11. vsque ad fin.*

11 Dico sexto. Nouitijs integrum non est, absque licentia Prælati Religionis, confiteri alicui Confessario habenti tantùm iurisdictionem ab Ordinario, licet benè possint Confessoribus priuilegiatis à Summo Pontifice iurisdictionem habentibus confiteri, quales sunt communiter Religiosi ad fidelium Confessiones audiendas expositi. Prior pars probatur. Quia Nouitij censentur mutasse domicilium, præsertim quoad ea, quæ spectant ad Sacramenta necessaria; illud enim transferunt, quamuis reuocabiliter, ad Religionem, in qua Nouitij sunt: quia domicilium quis saltem quoad hoc ibi dicitur habere, vbi assiduè conuersatur, etiamsi nihil ibi habeat, vt tradunt Doctores in *cap. omnis vtriusque sexus, de pœn. & remiss. & in cap. fin. de paroch. & in cap. ad Apostolica, de decim.* etiamsi non habeat animum ibi remanendi perpetuò, sed ad tempus percipiendorum Sacramentorum necessariorum, v.g. Confessionis, & Communionis, vt docet *Syluest. verb. Domicilium*, & alij, transferens autem domicilium subditur omnino spirituali iurisdictioni Prælati illius loci, ad quem transit, *d. cap. fin. de paroch. & cap. propofuisti, & cap. fin. de foro compet. & ibi gloss.* Prætereà Nouitij ita mutant domicilium, illud in Religionem transferendo, vt omninò fiant extra iurisdictionem fecularium Pastorum; & ideò ex vi prioris iurisdictionis nequeunt illis confiteri, quod latè probat *Suarez d. lib. 2. cap. 17. nu. 15.* Atque ita docent *Cordub. quæst. Theologal. lib. 1. q. 30. Suar. d. cap. 17. num. 14. & seqq. Bartholom. de Vecch. in prax. pro recipiend. Nouit. disput. 9. dub. 3.* contra *Henriq. in summa lib. 6. cap. 6. §. 3. lit. X. & lib. 7. cap. 22. §. 7. lit. I. & V.* Secunda pars assertionis probatur ex illis rationibus, quas infeq. quæsito adducimus ad probandum Nouitios posse virtute Bullæ Cruciatæ, vel aliarum huiusmodi Indulgentiarum alijs, quàm Confessarijs à Prælatis Religionis destinatis confiteri. Nam sicut Bulla Cruciatæ, & aliæ huiusmodi Indulgentiæ, & priuilegia generaliter conceduntur omnibus fidelibus; ita per priuilegia Confessorum traditur ipsis Confessarijs facultas, & iurisdictio ad audiendas omnium fidelium Confessiones; ergò sicut in Bulla Cruciatæ, & alijs huiusmodi Indulgentijs, & priuilegijs comprehenduntur Nouitij sub fidelibus, & non sub exceptione Religiosorum. Ita etiam in priuilegijs Confessariorum comprehenduntur sub eadem appellatione fidelium; & exceptio, quæ fit de Religiosis, vt si suorum Prælatorum licentiam non habeant, nequeant Confessarij à Papa priuilegium Confessiones audiendi habentibus confiteri, non comprehendit Nouitios quia re vera Religiosi non sunt. Atque ita omnia priuilegia supra num. 10. adducta quæ in hoc casu Religiosorum Confessiones excipiunt, & ratio. nes suadentes, exceptionem illam necessariam extitisse, non extenduntur ad Nouitios, quosd illos etenim est materia odiosa, & sub verborum proprietate non comprehenduntur, neq; habent substantiale fundamentum huius exceptionis. Ita *Suar. d. cap. 17. num. 12.* qui num. seq. concludit, licet generaliter Nouitij confiteri possint huiusmodi Confessarijs à Papa priuilegium habentibus; tamen ab ijs etiam Confessarijs eorumdem Nouitiorum Confessiones nequaquam audiri posse, si Prælati prohibitio expressè intercedat; vt si Prælatus expressè suis subditis prohibeat Nouitiorum suorum Confessiones audire; quia eum facultas absoluendi virtute priuilegiorum non descendat ad Confessarios, nisi mediante voluntate, & concessione suorum Superiorum; vtiq; Nouitij nequibunt eisdem Confessarijs cōfiteri, non quia ipsi Nouitij ex parte sua impediti sunt, sed quia ipsi Confessarij Religiosi iurisdictionem non habent.

QVAESITVM VII.

Vtrùm per Bullam Cruciatæ, siue alias huiusmodi Indulgentias possint Monachi, vel Nouitij alteri, quam Confessarijs ab Abbate destinatis confiteri.

SVMMARIVM.

1 Religiosi non possunt accipere Bullam Cruciatæ, absque suorum Prælatorum licentia, ad effectum sibi Confessarium eligendi, & num. 2. quod verum est etiam de alijs Indulgentijs per modum Iubilei, vt num. 4.

3 Clemens Octauus quid super hoc statuerit, ostenditur.

5 Iubilei solemnis tempore an possint Religiosi, Confessarium, quem maluerint, eligere.

6 Nouitij an possint sibi Confessarium eligere virtute Bullæ Cruciatæ, vel aliarum huiusmodi Indulgentiarum.

1 Videtur dicendum, quod Monachi per Bullam Cruciatæ possint sibi Confessarium approbatum, quem maluerint, etiam non consentiente Abbate, eligere; quia Bulla Cruciatę pro omnibus fidelibus conceditur, & facultatem Confessarium quemcunque eligendi generaliter omnibus fidelibus tribuit; ergò comprehendit etiam Religiosos. Confirmatur, quia Bulla Cruciatę est gratia, & fauor; gratia autem, & fauor est ampliandus; ergò etiam ad ipsos Religiosos extendendus est.

2 Contraria tamen resolutio tenenda est; nempe, non posse Religiosos accipere Bullam Cruciatæ, ad effectum sibi Confessarium eligendi, absque suorum Prælatorum licentia. Ita affirmant *Garc. de benefic. par. 1. cap. 5. à nu. 6. Ledesm. par. 2. q. 20. art. 2. Card. in annot. super Reg. Diui Francisci cap. 7. q. 8. punct. 2. & in annot. ad Compend. priuileg. ver. Cruciata,* vbi

vbi etiam *Collect. eorumdem priuileg. Passarell. de priuileg. Minim. cap. 10. Sorb. in annotat. ad d. Compend. priuileg. d. verb. Cruciata, vers. vnde concludendo dicerem*, Cortolan. *de casib. reseruat. par. 1. sect. 3. art. 14. Suar. de relig. tom. 4. tract. 8. lib. 2. cap. 16. num. 3.* dicens hanc sententiam esse magis tutam, religiosoq; statui valde consonam, eamq; amplecti graues sui temporis Theologos. Hæc sententia probatur nonnullis Summorum Pontificum priuilegijs Religionibus concessis, quibus specialiter prohibuerunt, nè Religiosi possint vti ea facultate Bullæ Cruciatæ, absque suorum Prælatorum licentia *Leo X. prohibuit, & declarauit, quod nullus Fratrum Minorum* Regularis *Obseruantiæ possit accipere Bullas Cruciata, seu alias Indulgētias generales concessas, aut cōcedendas, vt possit vti gratijs ibi contentis (vt pote cōtra* Regularia *statuta Ordinis, confiteri quibuscunq; Sacerdotibus, & absolui à casibus reseruatis) non obstantibus Bullis quibuscunq; etiamsi in eis expresse inhibeatur Prælatis sub censuris, nè suos subditos à talium Bullarum acceptione prohibeant, & subditis libera facultas eas accipiendi tribuatur, cæterisque in contrarium facientibus quibuscumque*, ita refertur in *Compend. priuileg. verb. absolutio ordinaria quoad Fratres §. 21.* quod antea declaratū etiam fuerat ab Innocentio VIII. vt refertur ibidem *§. 16.*

Pius V. in quadam Constitutione, quæ incipit *Romani Pontificis circumspecta &c.* edita anno 1571. die 21. Iulij Pontificatus sui anno 6. prohibuit Fratribus Prædicatoribus, nè possint eligere Confessarium, & absolui à reseruatis, virtute Bullæ Cruciatæ, sine licentia suorum Superiorum, vt refert *Passarell. in Compend. priuileg. Minimorum fol. 127.* Idem concessit Alexander VI. Cistercien. vt refertur in *eorum Compend. verb. Cruciata*; & Gregorius XIII. Societati Iesu in Bulla de vsu facultatū, quam citat *Suar.* vbi proximè: Postremò Clemens VIII. in Bulla ad instantiam Procuratoris Generalis Ordinis Fratrum Carmelitarū edita anno Domini 1599. 23. Nouembris, non solum pro ipsis Fratribus Carmelitis, verum etiam pro omnibus Regularibus, perpetuò declarat concessionem Cruciatæ, & aliorum priuilegiorum, seu Indulgentiarum particularium, quæ ab Apostolica Sede concedi solent, quantum ad articulum eligendi Confessarium, & absoluendi à casibus reseruatis in Fratribus, & Sororibus Monialibus quorumcunque Ordinum locum minimè habere, nec censeri; sed suæ intentionis existere, quod præfati Religiosi, & Moniales, quantum ad Sacramentum Pœnitentiæ, seu Confessionis administrationem, dispositioni suorum Prælatorum subditi sint; hanc Bullam refert *Cortolan. d. art. 14.*

Ex his igitur patet nullo modo posse Regulares accipere Bullam Cruciatæ quoad effectum eligendi sibi Confessarium, quod ad rem nostram facit; nam si hoc eis liceret, daretur proxima occasio dissolutionis, & relaxationis vitæ Religiosæ, & disciplinæ Regularis; eximerentur enim quodammodo ab obedientia suorum Prælatorum, confitendo peccata sua, cui vellent; vt fusius probant *Collect. priuil. & Cordub. d. verb. Cruciata*; & alij supracitati. Ad id, quod diximus in principio quæsiti, Bullam ipsam generaliter pro omnibus fidelibus concessā esse, & quoad facultatem eligendi Confessarium etiam generaliter loqui, tribuendo illam omnibus fidelibus; & quod propterea comprehendat etiam Religiosos, responderi potest, quod etsi in principio cum ea generalitate concessa fuerit; postmodum Summi Pontifices quoad ipsos Religiosos reuocarunt illam concessionem, eisque tanquam Religionis priuilegium concesserunt, ne quis possit, absque Superiorum licentia, ea Bullæ facultate vti; vt patet ex priuilegijs supra relatis; sed hęc responsio non placet *Suar. loc. cit. n. 3.* quia replicari potest, ipsas reuocationes esse perpetuas, nec extendi posse ad futuras Bullas Cruciatæ; quamuis enim illi Pontifices potuissent reuocare priores Bullas, vel restringere alias ab ipsis concessas; non tamen alias subsequentium Pontificum, & ideo posteriores Bullæ Cruciatæ reuocant priuilegia illa, & rursus illam facultatem generaliter omnibus fidelibus tradunt: & quamuis dici possit, quod ex vi vltimæ clausulæ eiusdem Bullæ etiam à posterioribus Pontificibus expeditæ, nempè *exceptis tamen, quæ concessa sunt Ordinum Mendicantium Superioribus quoad eorum Fratres*, non reuocetur priuilegium Religioni, ac Superioribus concessum; licet hoc substineri possit quoad Religiosos Mendicantes, quibus illa concessio facta est; non tamen satisfacit pro omnibus Religiosis absolutè, & præcipuè pro Monachis, & Regularibus non Mendicantibus; & quamuis etiam locum habeat quoad dictam Bullam Cruciatæ factam cum illa limitatione, non tamen quoad alias Bullas, quæ generalius loquuntur. Dicendum ergò est melius cum eodem *Suar.* ibidem *num. 5.* huiusmodi facultatem sibi Confessarium eligendi, nunquam per Bullam Cruciatæ Religiosis concessam fuisse; quod pluribus probatur: primò, quia omnes ferè Summi Pontifices, qui concesserunt, ne Religiosi vti possint dicta Bulla Cruciatæ quoad electionem Cōfessoris, & absolutionem à reseruatis absque Prælatorum licentia, in eorum diplomatibus visi sunt verbis non tam concessiuis, quàm declaratiuis, vt constat ex Bulla Pij V. vbi referens factum, ait *nonnulli his facultatibus vti præsumunt, & illarum prætextu eligunt Confessorem*; vbi notandum est illud verbum *præsumunt*, & dictio illa, *prætextu*, per quæ significatur, id non legitimè fieri; & deinde concludens, illa priuilegia quoad hoc non habere locum in præfatis Fratribus, ait *Apostolica auctoritate, tenore præsentium, perpetuò declaramus*, & Gregorius XIII. clarius in d. Bulla Societatis Iesu de vsu facultatum, & gratiarum Apostolicarum concessa declarat *non esse, nec fore vnquam mentis suæ, aut Sedis Apostolicæ, vt personæ Societatis &c.* & Alexander VI. ad fauorem Cistercien. pariter declarauit, *non esse suæ mentis &c.* Et Clemens VIII. in prænarrata Bulla generaliter pro omnibus Regularibus declarauit, Bullam Cruciatæ, & alia particularia Indulta, quoad articulum eligendi Confessorem, & absoluendi à reseruatis non habere locum, nec censeri cum Religiosis, ac Monialibus quibuscumq; Ordinis, sed esse suæ intentionis, quod ijdem Religiosi, & Moniales &c. vt supra diximus. Ex quibus omnibus colligitur, supradictas concessiones non fuisse limitationes, sed legitimas declarationes præfatæ Bullæ Cruciatæ, & propterea, nunquam per subsequentes reuocari,

sed

Digitized by Google

sed esse perpetuas, & vniuersales.

4 Quod verum est vt non solum Religiosi ad effectum eligendi sibi Confessarium, & consequendi beneficium absolutionis à reseruatis, nequeant vti Bulla Cruciatæ; verum nec etiam alijs Bullis, quæ sunt concessæ alicui altari, vel particulari Ecclesiæ, vel Medalijs, & Imaginibus, quæ aliquando à Summo Pontifice benedicuntur cum concessione Indulgentiæ per modum Iubilæi; vel alicui Confraternitati; vt sunt Indulgentiæ Sanctissimæ Trinitatis, vel aliarum Confraternitatum, & similes concessiones perpetuæ, vel quæ ad longum tempus, atque ad ordinarium vsum confessionis conceduntur, per quas datur hæc facultas permanens, & generalis per similia verba, eædem enim rationes militant, nam Clemens VIII. in prædicta Bulla id manifestè prohibet, dicens. *Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati, talem concessionem Sanctæ Cruciatæ, & alterum indultorum particularium ad præfatum articulum eligendi Confessorem locum minimè habere, neq; etc. seri, &c.* Præterea adest declaratio, & concessio facta Ordini Cisterciensium, vt habetur in eorum Compendio verbo. *Confessionale §. 4.* vbi ità dicitur, *Si quis ergo Monachus, vel Monialis quodcunque Confessionale impetrauerit, aut eo absque Superioris facultate vti præsumpserit, eo ipso impetratis careat, ac pœnis Constitutionum, & definitionum inhabilitatis, & suspensionis subijciatur, prout concessit Clemens VIII.* atq; ità docent *Suar. d. cap. 16. num. 8. & Coriol. d. sect. 3. art. 15. num. 3.*

5 Tempore autem Iubilæi solemnis, quod pro vno actu conceditur, possunt Religiosi eligere sibi Confessarium, quem voluerint; prout declaratum fuit à Summo Pontifice in Consistorio die 19. Decembris 1581. refert idem *Coriol. d. art. 15. num. 1.* sub his verbis *Tempore Iubilei possunt omnes Regulares confiteri peccata sua Sacerdotibus, etiam secularibus approbatis ab Ordinario ad audiendas Cōfessiones.* Quia in Bulla d. Iubilei non fit mentio de Ordinario pœnitentium, sed de Ordinario Confessariorum. Et hoc non solùm sine præiudicio Religionum, verum etiam cum fructu aliquando fieri potest, ad subueniendum fortè alicui, qui ob nimiam verecundiam, aut prauam consuetudinem oneratam habet conscientiam.

6 Quod autem ad Nouitios dicendum videtur, quod ipsi gaudeant priuilegio dictæ Bullæ, siue eam acceperint antequam essent Religionem ingressi, siue post, cum licentia, vel absque licentia suorum Abbatum, & Prælatorum; Quia Nouitij non sunt verè 2 Religiosi, & simpliciter liberi sunt, vt de se, & de actibus suis disponere possint, *cap. Religioso, de sent. excom. in 6. cap. non solum, de regul. eod. lib.* Tùm etiam, quia nullum sequitur detrimentum Religioni, quod; 3 possit cōsiderari, ex eo, quod Nouitij habeant huiusmodi facultatem. Imò etiam postquam prædicti Summi Pontifices declarauerunt Religiosos non posse vti tali facultate, absq; suorum Prælatorum licentia; possunt nihilominùs Nouitij vti prædicta facultate Bullæ; quia in odiosis non veniunt sub appella- 4 tione Religiosorum, vt dicunt communiter Doctores in *d. cap. Religioso,* latè probat *Tiraq. de vtroque retractu par. 1. §. 1. glos. 8. num. 28. & seqq.* & hanc sententiam sustinent *Roderic. quæst. Reg. tom. 1. q. 21. art. 11. in fine Suar. d. cap. 16. num. 10.* qui idem testatur tenere Modernos Doctores, licet contrarium asserentes *Corduba lib. 1. quæst. Theolog. q. 30. Crousers lect. 17. &.* an verò tūc Nouitius, *in c. 7. Reg.* 5 *fol. 649. Bartholom. de Vecch. in praxi habēd. pro Nouit. &c. disput. 9. dub. 3. num. 7.* Et quod dicimus de Bulla Cruciatæ, idem etiam est dicendum de Bullis aliarum Confraternitatum, & similibus, vt supra, quoad Religiosos professos dictum est.

QVAESITVM VIII.

Vtrum Abbas possit suis Monachis concedere facultatem sibi Confessarium eligendi.

SVMMARIVM.

1 *Iurisdictionem ordinariam habentes possunt illam alijs delegare.*
2 *Abbas potest concedere suis Monachis facultatem sibi Confessarium eligendi.*
3 *Confessarium eligendi facultas concedentis potestatem excedere non potest.*
4 *Confessarium eligendi facultas generaliter concessa non extenditur ad reseruata.*
5 *Confessarium eligendi facultas sufficit, quòd concessa sit à Superiore Prælato, nec requiritur licentia Inferioris.*
6 *Confessarium eligendi facultas concessa ab Abbate excommunicato, vel suspenso nullius est momenti.*

Certum est, quòd omnes illi, qui habent iurisdictionem ordinariam in foro pœnitentiali respectu aliquorum fidelium, possunt illis concedere fa- 1 cultatem Confessarium eligendi; omnes enim habentes iurisdictionem ordinariam, possunt illam delegare, vt probatur per tex. in *cap. a quo, de consecr. Eccles. vel altar.* Sed tribuere subdito facultatem sibi Confessarium eligendi nihil aliud est, nisi iurisdictionem propriam illum absoluendi alijs delegare; eamdemque vim habet; sed differt tantummodo: quia per traditionem huius facultatis directè fit gratia ipsi pœnitenti; per alium verò modum fit Sacerdoti; vnde eadem potestas, quæ in Prælato ad delegandam suam iurisdictionem necessaria est, sufficit etiam ad tradendam hanc facultatem; Ità *Suar. tom. 4. disp. 27. sect. 1.* Igitur cū Abbas habeat iurisdictionē ordinariam, in foro pœnitentiali respectu suorum Mona- 2 corū potest vtrique absq; dubio, illis facultatem, sibi Confessarium eligēdi concedere; dummodo in Confessore adsint conditiones requisitæ, vt ipse Abbas possit illi suam iurisdictionem delegare.

Hic autem aduertendum est primo, virtute huius 3 facultatis non posse Religiosum illam obtinentem absolui ab alijs culpis, quàm ab illis à quibus ab ipsomet Abbate absolui poterat; quia Abbas nequit ampliorem iurisdictionem delegare, quam ipse habet, vt aduertit idem *Suar. d. disp. 27 sect. 4. nu. 3.*

Secundò aduertendum est eum eodem *Suar. ibidem* 4 *nu. 4.* talem facultatem simpliciter concessam non se extendere ad peccata quæ ipse Abbas sibi specialiter reseruauit, sed necessarium esse, vt in ea specialiter id exprimatur per *cap. si Episcopus, de pœnit. & remiss.*

& remiß. in 6. Et ratio est, quia in generali concessione non veniunt ea, quæ quis verisimiliter concessurus non esset *reg. in generali de reg. iur. in 6.*

5 Tertiò aduertendum est sufficere hanc facultatem eligendi Confessarium esse traditam à Prælato Superiori v.g. ab Abbate Generali, nec requiri licentiam Abbatis Conuentualis; quia iurisdictio Superioris non pendet ab Inferiori, vndè licet necessarium non sit, vt Abbas Generalis, vel alius Superior Prælatus actu confirmet facultatem ab Inferiori traditam, vel expressè ei consentiat; tamen requiritur, vt saltim non contradicat reuocando, aut impediendo facultatem; quia potestas Inferioris subordinata est Superiori, qui potest, iusta, & rationabili de causa, inferiori prohibere, & omninò impedire, ac suspendere, nè talem facultatem tradat, quod si tunc ab inferiori talis facultas concederetur nullius esset valoris; quia tunc ille non habet iurisdictionem ad illam tradendam: Itá *Suar. d. disp. 27. sect. 1. num. 3.* vbi *num. 5* subdit facultatem hanc
6 traditam à Prelato excommunicato, vel suspenso nullam esse, ac nullius valoris, vel momenti; secutus *Syluest. verb. Confessio 2. Sot. in 4. dist. 18. quæst. 4. art. 3. Victor. in summa nu. 152.* contra *Paludan. D. Antonin. & Nau.* Ratio est, quia per traditionē huius facultatis Sacerdoti electo re vera traditur iurisdictio, quam ex vi ordinationis non habet, sed excommunicatus, & suspensus iurisdictionem dare non potest, *cap. 1. de offic. Vicar. in 6.*

QVAESITVM IX.

Quantum duret facultas Confessarium eligendi, ab Abbate suis Monachis concessa.

SVMMARIVM.

1 *Facultas Confessarium eligendi quantum duret.*

1 Respondeo, quòd si Abbas concessit suo subdito facultatem, eligendi sibi Confessarium indefinitè vel absque vlla limitatione: tunc clarum est, quod non determinatur vno actu, sed per eam plures Confessores eligi poterunt ad peccata audienda, nunc vnus, nunc alter, pro arbitrio eius, cui facultas concessa est, & hæc facultas itá concessa durat quousque reuocata non sit, neque à concedente, neque ab illius successore; quia est iudicanda tanquam gratia; sed gratia non expirat per mortem concedentis, licet res sit integra. Si verò facultas concessa erit cum limitatione, tunc vel erit pro vna vice tantum, & finietur vno actu, vel ad plures actus & tempus determinatum, & illis certis actibus, & statuto tempore terminabitur, vt docent *Sylu. verb. Confessio 1. quæst. 7. Nauar. in cap. placuit, de pœnit. dist. 1. num. 167. Suar. tom. 4. disp. 27. sect. 4. num. 7.* Potest siquidem huiusmodi licentia renouari ab ipso Abbate, & tunc non durabit amplius, vsus enim tantum conceditur, qui semper à delegantis voluntate pendet vt apud *Suar. loco citato disp. 26. sect. 3.*

QVAESITVM X.

Vtrùm Abbas possit sibi Confessarium, quem voluerit eligere.

SVMMARIVM.

1 *Abbates Generales exempti Summo Pontifici immediatè subiecti possunt sibi Confessarium eligere; etiam ab Ordinario non approbatum, vt num. 3. etiamsi longe à Monasterio absint, vt num. 5.*

2 *Abbates Conuentuales similiter exempti tam, qui per electionem, quàm qui aliter instituuntur, possunt sibi Confessarium eligere etiam ab Ordinario non approbatum, limita vt num. 6.*

4 *Iubilæi tempore habentes priuilegium eligendi sibi Confessarium, nequeunt Sacerdotem ab Episcopo non approbatum eligere.*

1 De Abbatibus supremis Religionū exemptarum, qui Summum Pontificem tanquam immediatum Superiorem agnoscunt, illiq; immediatè subijciuntur, nulla est dubitatio; nemo enim negat, quin possint sibi Confessarium quemcunque, etiam non approbatū eligere: hoc patet ex tex. in *c. ne pro dilatione, extra de pœnit. & remiss.* Dubium autem est de alijs Abbatibus inferioribus; In quo duplicem inuenio sententiam. Prima est *Hostien. in sum. de pœnit. & remiss. num. 21.* quem sequuntur *Panorm. in d. cap. fin. num. 2. eod. tit. Angel. in sum. verb. Confessio 3. §. 1. Collect. priuil. tit. accedere ad Monast. monial. Angles. 4. q. de confess. art. 8. difficul. 4. dub. 5. conclus. 1.* affirmantium Abbates, qui habent alium Abbatem, vel Generalem, vel Prouincialem supra se, non posse sibi Cōfessarium eligere, nec posse vti priuilegio concesso Prælatis exemptis in *d. cap. fin.*

2 Secunda sententia est *Palud. dist. 17. q. 3. art. 2. Adrian. de confess. q. 3. dis. 1. Sylu. verb. Confess. 1. §. 5. Gabriel. in 4. dist. 17. q. 2. d. 2. S. Antonin. 3. par. sum. tit. 17. cap. 2. §. 3. Sot. in 4. dist. 18. q. 4. art. 2. vers. similiter & omnes Prælati &c. Armill. verb. absolutio nu. 15. Petr. Ledesma in sum. par. 2. q. 22. c. 1. d. 19. Cordub. in annot. ad Compend. Priuil. tit. accedere ad Monasteria Monial. in fine, Tolet. lib. 3. cap. 13. num. 6. Valent. tom. 4. disput. 7. q. 10. par. 2. vers. secundo habet, Henriq. lib. 7. cap. 28. nu. 1. Roder. q. Reg. tom. 1. q. 20. art. 28. Sigismund. à Bononia de elect. & potest. Prælat. Regul. dub. 21. num. 2. Franc. Coriol. de cas. reser. p. 1. sect. 1. art. 21. per tot. Filliuc. qq. mor. tom. 1. tract. 7. cap. 9. q. 2. num. 231. Reginald. lib. 1. num. 38. Suar. tomo 4. disp. 27. sect. 2. nu. 9.* & aliorum asserentium, quòd liceat etiam Abbati Conuentuali sibi Confessarium eligere, & probatur ex tex. in *d. cap. ne pro dilatione*, vbi sic dicitur, *Ne pro dilatione pœnitentiæ, periculum immineat animarum Episcopis, & alijs Superioribus, nec non minoribus Prælatis exemptis, vt etiam præter sui Superioris licentiam prouidum, & discretū sibi possint eligere Confessarium*, per ea enim verba, *possint eligere Confessorem sine sui Superioris licentia* indicatur, inter Prælatos exemptos, quibus in *d. cap.* conceditur facultas sibi Cōfessarium eligendi, intelligendos esse eos, qui Superiores habent; Atque ideò Abbates inferiores, & locales,

tam

tàm qui per electionem, quàm qui aliter inſtituun-
tur, tali priuilegio gaudent, vt probat *Sigiſmund. à*
3 *Bonon.loc.cit.* Et poſſunt ſibi eligere Confeſſarium,
quem magis voluerint ad eorum libitum, etiam ab
Ordinario non approbatum, dummodò non ſit nomi-
natim excommunicatus, vel ſuſpenſus per cẽſuram;
Ità docent S. *Anton*. *Gabr*. *Adrian*. *Palud*. *Sylu*. *Sot*.
& inſuper *Roſell.ver.Confeſs*. 3.§.37. *Marg*. *Confeſs*.
fol.8. *Coriolan.d.art*.21.*num*.4. & alij dicentes poſſe
ſupradictos Prelatos eligere Confeſſarium non depu-
tatum virtute priuilegij ſupracitati; aliàs tale pri-
uilegium nihil operaretur. Probatur, nam ad abſo-
lutionem requiritur poteſtas Ordinis, & poteſtas Iu-
riſdictionis; priorem habet quilibet Sacerdos, poſte-
riorem verò habet electus ab Abbate cui per prędi-
ctum priuilegium datur ius, vt talem Iuriſdictionem
poſsit Sacerdoti ab eo electo tribuere, & eum ſui Cõ-
feſſarium efficere. Vndè niſi Abbas traderet Con-
feſſario Iuriſdictionem, non diceretur eum eligere,
ſi enim Confeſſarius Iuriſdictionem haberet, quomo-
do poſtea de nouo eligeretur, iam electus, & ab Or-
dinario ſuo approbatus? vel enim Abbas nullo gau-
deret priuilegio: vel nullum diſcrimen eſſet inter il-
lum, & alium Monachum pœnitentem; nam etiam
Religioſis ſubditis, habentibus ad id facultatem à ſuo
Abbate, conceſſum eſt iure, vt poſsint ſibi eligere
Confeſsarium, quem maluerint, etiam quod non ſit
approbatus ab Ordinario; neutrum autem iſtorum
eſt verum, ergò patet quod Abbas poteſt ſibi Confeſ-
ſarium etiam non approbatum eligere; Ità eleganter
Coriolan. loco citato, vbi hoc nonnullis alijs ratio-
nibus probat.

4 Dubium autem eſt vtrum predictum priuilegium
ſuffragetur Abbatibus tempore Iubilei, & ratio du-
bitandi eſt, quia in Bullis Iubilei ſolent Summi Pon-
tifices apponere, vt omnes cuiuſcunq; ſtatus, ac con-
ditionis poſſint ſibi Confeſſarium eligere, qui eos à
peccatis abſoluat, ab Ordinario ſuo tamen approba-
tum; in quo breuiter dico, tempore Iubilei, eiuſ-
modi priuilegium non valere; quia iuxta illa verba,
neceſsarius eſt Confeſsarius approbatus; quod ſic
oſtenditur, forma Iubilei eſt ad vnguem ſeruanda;
ſed per Bullam Iubilei præcipitur, vt Confeſsarium
ſibi quiſque approbatum eligat; ergo, vt Abbates Iu-
bilæum conſequãtur, debent ea vice approbato Con-
feſsario ſua peccata confiteri. Sed operæ pretium
videtur aduertere cum *Reginald. loco cit*. tandiù poſ-
ſe Abbates, alioſque Prælatos hac facultate vti,
quandiù Prælationis officium retinent; quia deſinen-
tes eſſe Prælati, & Abbates non gaudent ea licentia,
& priuilegio Prælatis conceſſo. Petes an gaudeant
tali priuilegio, etiamſi longè abſint à ſuo Monaſte-
5 rio? Reſpondeo affirmatiuè; quia abſentia non ob-
ſtat, quominus maneant Prælati; ideò Prælatorum
facultate vti poſsunt, ità *Sylu. in verb. Confeſſor*. 1. *q*.
8. *dict*. 3 *Franciſc. Coriolan. d. art*. 21. *num*. 3. Ex qui-
bus omnibus conſtat Abbates tam Generales, quàm
locales, ſeculares, & Commendatarios, ac alios qui
Prælationis dignitate potiuntur, & ab Ordinario-
rum iuriſdictione exempti ſunt; habere priuilegium
eligendi ſibi Confeſsarium.

6 Quamuis autem hæc de Abbatibus localibus ità
ſe habeant, tamen limitanda ſunt, dummodò ipſi
Abbates inferiores, ſecundùm priuilegia, vel Con-
ſtitutiones Religionis à Sede Apoſtolica approbatas,
non habuerint Confeſsorem deſignatum à Prælatis
Superioribus; non enim eſt veriſimile Summum
Pontificem iure illo generali voluiſſe derogare ſpe-
ctantibus ad conuenientem Ordinem Religionis:
arg. cap. 2. de pœnit. & remiſs. in 6, ita *Suar. d. ſect*.
2. *num*. 10. *Reginald. d. num*. 38. *Coriolan. d. art*. 21,
num. 8. *in fine Sigiſmund. à Bonòn. d. dub*. 121. *nu*. 4.
Qui autem huiuſmodi priuilegio gaudent, curare
debent; vt in illius vſu ſeruent propria iura, & pri-
uilegia Religionis eligendo Confeſsarium intra, &
non extra eam, vt aduertit *Suar. d. num*. 10. Confeſ-
ſarius autem ità electus abſoluere poterit eligentem
à peccatis, & cenſuris, à quibus ipſe poſset ſuos ſub-
ditos abſoluere; Quia ipſi prouidetur per Confeſ-
ſarium electum eo modo, quo per ipſum prouidetur
ſuis ſubditis; ità *Reginald. d. num*. 38. *in fine*.

QVAESITVM XI.

Vtrum Abbates, & Prælati habentes iuriſdictio- nem Epiſcopalem, poſsint intra ſuos terminos Confeſſarios ad ſecularium Confeſsiones au- diendas approbare.

SVMMARIVM.

1 *Confeſſores approbare poſſunt intra ſuos terminos Abbates habentes Iuriſdictionem Epiſcopalem in populum ſibi ſubiectum exemptum à Iuriſdictione Epiſcoporum*.

2 *Confeſſores approbare eſt actus Iuriſdictionis, non Ordinis*.

RAtio dubitandi eſt, quia Concilium Tridenti-
num dicit Confeſſarios ad ſecularium Con-
feſsiones audiẽdas ab Epiſcopis approbatos eſse de-
bere: Vndè approbatio huiuſmodi ad ſolos Epiſco-
pos pertinere, ac proprium tantum ipſorum munus
eſse videtur.

1 Nihilominus dicendum eſt Abbates, qui habent
populum ſibi ſubiectum, in quem etiam Epiſcopalem
Iuriſdictionem exerceant, ità vt quoad actus Ordina-
riæ Iuriſdictionis ab Epiſcopis exempti ſint, habere
poteſtatem exponendi, & approbandi Confeſsores
intra ſuos terminos; Ratio eſt quia hic actus appro-
2 bandi Confeſsores non eſt actus Ordinis Epiſcopalis
ſed Iuriſdictionis nõ delegatæ illis ſpecialiter à Sum-
mo Pontifice, ſed Ordinariæ, quia Concilium hanc
poteſtatem eis ſimpliciter tribuit ratione ſui mune-
ris; Sed iſti Abbates habent Iuriſdictionem Epiſco-
palem, ità vt eorum ſubditi in hoc foro nullum illis
Superiorem, excepto Summo Pontifice, recogno-
ſcant; Ergò poterunt etiam hunc actũ Iuriſdictionis
exercere. Confirmatur, quia Epiſcoporum generales
Vicarij poſsunt Confeſsarios approbare, eo quia ab
Epiſcopis vice ipſorum conſtituuntur, ſed iſti Ab-
bates pariter à Summo Pontifice quaſi loco Epiſco-
porum, & cùm Iuriſdictione Epiſcopali conſtituti
ſunt; Ergò poterunt eumdem actum Iuriſdictionis
3 exercere. Præterea ratione iuriſdictionis Epiſcopa-
lis,

Digitized by Google

lis, quam habent, possunt huiusmodi Abbates dispensare in votis Episcopis reseruatis, vt notat *Nauar. in man. cap. 12. num. 75.* Ergò ratione eiusdem iurisdictionis Episcopalis poterunt etiam Confessarios in Ecclesijs sibi subiectis approbare, & exponere, ità docet *Suar. tom. 4. in 3. par. disp. 28. sect. 5. nu. 3.* vbi testatur esse in vsu positum, ac se vidisse plures huiusmodi Abbates in suo districtu Confessarios approbantes, & exponentes, quibus nunquam in hoc contradictum fuit; quod indicat illos hunc actum legitimè exercuisse, & exercere posse; eundem *Suar.* sequuntur *Reginald. in praxi fori pœnit. lib. 1. num. 182. Campanil. in diuersor. iur. Canon. rub. 12. cap. 13. num. 26. D. August. Barbos. de offic. & potest. Episc. par. 3. alleg. 25. num. 5.*

QVAESITVM XII.

Vtrum Abbas, & Monachi possint secularium Confessiones audire.

SVMMARIVM.

1 *Confessio quid sit?*

2 *Sacerdos quilibet non est idoneus ad Confessiones audiendas; sed oportet, quòd sit approbatus ab Ordinario, vel Parochiale beneficium habeat.*

3 *Monachi non possunt secularium Confessiones audire, nisi ab Ordinario approbati sint.*

4 *Monachi ad hoc vt approbentur ab Ordinario, ad secularium Confessiones audiendas, à suis Prelatis eisdem Ordinarijs præsentandi sint.*

5 *Monachis an sufficiat approbationem petere etiam quod non obtineatur.*

6 *Quid si manifestè appareret personam, quæ approbari petit, esse idoneam.*
Dictio Nisi quid operetur.

7 *Approbatus semel non potest validè reprobari, nisi ex iusta causa ad Confessiones ipsas pertinēte, quæ adesse in dubio pro suo Superiore præsumendum est.*

8 *Approbatio ad beneplacitum concessa tacitè, & expressè reuocari potest.*
Beneplacitum morte concedentis extinguitur.

9 *Religiosi approbati possunt ex priuilegio aperire literas S. Pœnitētiaria, & exequenda dispēsationes, & absolutiones in eis commissas, licet ad Doctoratus, vel Magisterij gradum promoti non sint.*

1 VT huius quæsiti clarior elucescat explicatio, præmittere libuit Confessionis descriptionem, quæ à Doctoribus sic traditur. Confessio est actus hominis exterior propriorum peccatorum, cum sui accusatione in foro spirituali, ac secreto manifestatiuus, ità *Tolet. instruct. Sacerd. lib. 3. cap. 6. num. 1. Gabriel.* autem *in 4. dist. 17. q. 1.* ait, quod est secreta peccatorum accusatio coram proprio Sacerdote, vt ab illis sacramentaliter confitens absoluatur; Et, quod ad rem nostram facit, dicitur in ea, proprio Sacerdoti; nam qui peccata audit, debet habere iurisdictionem in foro interiori supra illum, qui se accusat; vt habetur in *c. omnis vtriusque sexus, de pœnit. et remiss.* ibi, *fideliter confiteatur proprio Sacerdoti*, quapropter Confessor debet habere iurisdictionem actualem ordinariam, vel saltem delegatam ab Ordinario, præter habitualem, quam recipit in ordinatione. Nam etsi quilibet Presbyter per Sacerdotalem characterem accipiat potestatem, & iurisdictionem habitualem ad absoluendum: tamen actualem, quæ ad id necessaria est, non recipit, nempè ordinariam; vel delegatam à Summo Pontifice, siuè Episcopo, vel à Parocho, vel saltem, vt ratione Bullarum, vel ex alia concessione possit à pœnitente eligi tanquam proprius Sacerdos; aliàs nunquam potest validè absoluere, secundum *Panorm. in cap. omnis vtriusque sexus nu. 6. de pœnit. & remiss.* & alios communiter, præter quam in mortis articulo, in quo quilibet simplex Sacerdos potest Cōfessiones audire, & à quibuscunque casibus absoluere *arg. cap. quod de ijs, de sent. excom. cap. pastoralis 9. præterea de offic. ordin. & cap. si quis suadente 17. q. 4. D. Thom. in 4. dist. 17. q. 3. art. 3. q. 4. Nauar. in man. cap. 4. num. 3. & 4. & in cap. 1. num. 73. de pœnit. distin. 6.* Quibus positis patet, quod Monachi, & Regulares non possunt secularium Confessiones audire, nisi Episcopis præsententur, & ab illis approbatio obtineant; prout clare habetur in *Concil. Trid. sess. 23. cap. 15.*

2 in hæc verba. *Quamuis Presbyteri in sua ordinatione à peccatis absoluendi potestatem accipiant; nullum tamen etiam Regularem posse Confessiones secularium, etiam Sacerdotum audire, neque ad id idoneum reputari; nisi aut Parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur necessarium esse, aut aliàs idoneus iudicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat; priuilegijs, consuetudine quacunque etiam immemorabili non obstantibus.* Ex qui-

3 bus expresse patet non licere Monachis secularium Confessiones audire, nisi obtenta ab Ordinarijs facultate, & nisi coram ipsis præsententur, & ab eisdem approbationem obtineant, quod innouatum fuit à Pio Quinto in sua Bulla edita de anno 1571. octauo Idus Augusti, quæ incipit *Romani Pontificis prouidentia*, quam refert *D. Aug. Barbos. de offic. & potest. Episc. par. 2. alleg. 25. num. 25.* Hæc autem præsenta-

4 tio olim fieri debebat secundum formam Iuris, quæ traditur per *Clem. dudum, de sepultur.* quæ approbatur per *Concil. Lateranen. celebratum sub Leone X. sess. 2.* iuxta quam tenebantur Abbates, & Prælati Regulares Monachos suos coram Episcopis præsentare, & ab ijs petere licentiam, vt sibi placeat, quod ipsi Monachi per eosdem Abbates præsentati, & nominati, possint in suis Diœcesibus, & Ciuitatibus liberè suorum subditorum Confessiones audire, & eos imposita salutari pœnitentia, absoluere. Verum hæc solemnitas hodie non videtur necessaria; Nam *Concilium Trident.* faciens Regulares Confessarios pares secularibus, quoad necessitatem approbationis, est verisimile pares quoque fecisse in sufficientia eiusdem approbationis; adeo vt in Sacerdotibus Regularibus nunc non requiratur plusquam in secularibus ad audiendas Confessiones, Et sicut Sacerdotibus secularibus non est necessarium, vt ab aliquo præsententur; sed per se ipsos Episcoporum examini subijciuntur, ità neque Regularibus; Atque sic docent *Suar. tom. 4. in 3. par. D. Thom. disp. 28. sect. 5. nu. 15. & Reginal. in praxi lib. 1. nu. 19.* Hæc autem

5 Episcopi approbatio Regularibus ad hoc vt secularium

rium Confessiones audire valeant, est adcò necessaria, quod si iustâ de causa denegetur nihil refert, quod petita sit; aliàs enim Concilij decretum nullius esset momenti; quia quilibet siue dignus, siue indignus sit, eam petere potest. Imò nisi clarè constet Episcopum iniustè, & sine causa approbationem negare, nihil refert, quod petita sit; quia in dubio semper præsumitur ipsum Episcopum iustè denegasse, quando contrarium non constat; quod certum est, & à nemine negatur. Dubium autem est, quandò manifestè apparet personam, quæ petit approbari, idoneam esse, absque causa ex mala voluntate repelli: an non obstante reiectione possit Confessionibus audiendis vacare; ad quod respondeo, quod ex dispositione *Clem. dudum, de sepultur.* poterant Regulares, quibus sine iusta causa approbatio petita ab Ordinarijs denegata erat, omnia exercere perinde, acsi admissi, & auctorati essent. Verum hodie post *Concil. Trid.* contrarium videtur dicendum. Moueor, quia idem *Concilium sess. 23. cap. 15.* statuens nullum etiam Regularem secularium Cõfessionibus audiendis idoneum reputari, nisi habentem Parochiale beneficium; aut ab Episcopo approbatũ: indicat ad eam idoneitatem requiri, quòd approbatio sit actu data; Dictio enim conditionalis, *nisi*, operatur, vt si conditio requisita non ponatur actualiter, non sequatur effectus, ita *Suar. ead. disp. 28 sect. 5. à n. 1. vsq; ad n. 11. Regin. d. lib. 1. n. 174. & Coninch. de Sacram. to. 2. disp. 8. n. 58. D. Barbos. de offic. & potest. Episc. p. 2. alleg. 25. nu. 7. & seq.* contra *Nau. d. c. 27. n. 264. Roder. qq. Reg. tom. 1. q. 59. art. 2. Mirand. man. Prel. tom. 1. q. 45. art. 6. Corb. de iurisd. ordin. in exempt. p. 4. q. 77.* qui tamen *p. 1. q. 45. n. 82. cum Flam. Paris. de resign. benef. lib. 3. q. 11. ver. 14.* ait quod Regulares non obstante *Clem. dudum, de sepult.* subijciuntur Episcopo, vt non se exponant Confessionibus audiẽdis, nisi ab ipso Episcopo idonei iudicati sint; Et hãc opinionem communiter teneri ait *Regin. loc. cit. vers. contraria tamen pars &c.* & ita quotidiè vsum edocere testatur *D. Barbos. de offic. et potest. Episc. d. alleg. 25. n. 27.* Grauiter tamen peccarent Episcopi talibus Religiosis sine iusta causa huiusmodi approbationem negantes; cum ita illos impediant vti priuilegio à Sede Apostolica concesso, quod tenentur integrum ipsis seruare iuxta *cap. 4. de priuileg.* ita *Suar. d. sect. 5. num. 15. Reginald. d. lib. 1. num. 195. Coninch. d. disp. 8. num. 59.*

7 Hic autem notandum est, quod semel approbatus nõ potest validè, sine iusta causa, ad Cõfessiones ipsas pertinente, reprobari; quia huiusmodi approbatio non est gratia, vt possit ad concedentis libitum reuocari; sed solum authenticum testimonium sufficiẽtiæ illius, qui approbatur; testimonium autem semel datum non potest amplius reuocari; nisi ex noua causa superueniente, ita *Suar. d. disp. 28. sect. 8. n. 7. Reginal. nu. 202. Coninch. d. nu. 59.* & ita declaratum fuisse à Sacra Cõgregatione Illustriss. Cardinalium negotijs Episcoporum, & Regularium Præpositorum refert *D. Barbos. de offic. & potest. Episc. p. 2. alleg. 25. nu. 30.* per hæc verba: *Cum Sacra Congregationi Cardinalium negotijs Episcoporum, & Regulariũ Præpositorum innotuerit Confessores Regulares grauiter cõqueri, quod ab Archiepiscopis, Episcopis, & locorum Ordinarijs ab audiendis Confessionibus, quauis de causa indiscriminatim suspendantur, & propterea sæpè contingere, vt ab eisdem Archiepiscopis, & locorum Ordinarijs omnibus simul vnius Conuentus Confessarijs Confessiones audiendi facultas adimatur. Illustrissimi eiusdem Sacræ Congregationis Patres, rati vix fieri posse, vt hæc sine scandalo, magnaq; animarum pernicie contingant, re maturè perpensa, ad omnem scandali materiam summouendam, & quò magis spirituali piarum mentium consolationi consulatur, statuunt, ac decernunt Archiepiscopis, Episcopis, alijsq; Ordinarijs locorum, ad quos Confessarios approbandi ius spectat, Confessarios Regulares, aliàs ab ipsis liberè approbatos ab audiẽdis Confessionibus suspendere posthac minimè licere, nisi ex noua causa, eaq; ad Confessiones ipsas pertinẽte, aut ob non seruatum interdictum ab ipsis Ordinarijs positum. Statuunt insuper eosdem Archiepiscopos, Episcopos, locorumq; Ordinarios Confessiones audiẽdi facultatem omnibus simul vnius Conuentus Regularibus Confessarijs, eadem Sacra Congregatione inconsulta, nullo pacto adimere posse. Quod quidem decretum, vt ijdem Illustrissimi Patres opportunum, et necessarium duxerunt, ita inuiolabiliter iubent obseruari. Romæ 20. Nouembris 1615.*

Ant. Mar. Episc. Hostien. Card. Gallus.

V. Theatin. Secr.

Verum quia non posset de facili constare talem reuocationem sine iusta causa factam esse, & in dubio semper est pro Superiore præsumendum, ea non est paruifacienda, sed timenda; nè in præiudicium animæ tàm propriæ, quàm Pœnitentis Confessionem inualidam fieri contingat; quia approbatio est conditio, ex qua Confessionis validitas pendet, vt aduertunt

8 Doct. citati. Hæc autem intelligenda sunt de approbationibus liberè, & indistinctè concessis; quia facultas ab Episcopo ad sui arbitrium, & beneplacitũ tradita reuocari potest nõ solum expressè, sed etiam tacitè, scilicet morte ipsius Episcopi concedentis; beneplacitum enim morte extinguitur, *cap. si gratiosè, de rescript. in 6. D. Barbos. d. alleg. 25. n. 36. & 37.* similiter quando approbatio est concessa pro certo loco tantum, vel ad certum tẽpus, vel pro certis personis, non potest extra terminos talis concessionis extendi, quia cum approbatio sit Episcopo commissa, non valet vltra quod ab eo data est, ita *Reginald. nu. 200.*

9 Hic aduertere libuit, quod Religiosi ad fidelium Confessiones audiendas à locorum Ordinarijs expositi, & à suis Superioribus designati possunt literas, seu Breuia dispensationum, vel absolutionum à Sacra Pœnitentiaria Magistris in Sacra Theologia, aut in Iure Canonico Doctoratis destinata aperire, & auditis ad ipsos recurrentium Confessionibus, imposita illis pœnitentia in literis expressa, vel de iure imponenenda, eos absoluere, ac in foro Conscientiæ quascunq; sibi verbo, vel scripto commissas absolutiones, dispensationes, & pœnitentiarũ iniunctiones excipere, & exequi. Ita concessit Gregorius XIII. Societati Iesu, ac eius Superioribus, vt refertur in *Comp. priuil. eius, tit. Confessarius §. 3.* & referunt *Henriq. in summa lib. 7. de Indulgent. cap. 28. num. 6. Roderic. quæst. Regular. tom. 1. q. 64. art. vlt. Sanch. de matrimon. lib. 8. disput. 34. num. 11.* cuius vigore idem etiam licebit alijs Regularibus priuilegia Societatis participantibus. Circa quod aduertendum, quod ad hanc

E facul-

facultatem huiusmodi literas, seù Breuia aperiendi designantur omnes Superiores aliàs approbati, iuxta hanc concessionem, necnon omnes alij Confessarij, quos ipsi Superiores ad id deputauerint, quæ designatio à *Prælatis Generalibus*, vel ab alijs Superioribus de illorum licentia fieri debet in alijs Religionibus, vt hoc indulto earum Confessarij per communicationem gaudere possint. Nam si ab ijs designati non fuerint, ea gratia vti nequeunt; & quicquid secùs egerint circa hoc, irritum, & inane, tanquam factum à non habentibus potestatem. Ita aduertunt *Collect. priuileg. Societ. loc. cit. Rodericus, & Sanchez locis etiam citatis*, quod est notandum.

QVAESITVM XIII.

Vtrùm Abbas, & Monachi ab Episcopo approbati possint Parochis contradicentibus, secularium Confessiones audire:

SVMMARIVM.

1 *Regulares ab Episcopo approbati possunt, Parocho contradicente, secularium Confessiones audire.*

2 *Et si Episcopus in licentijs ipsis concessis dicat, quod eis, Parocho renuente, non vtantur.*

1 RESpondeo affirmatiuè; vt patet ex priuilegio ab Alexandro IV. Fratribus Minoribus concesso, quod refertur in *Compend. priuil. verb. absolutio quoad seculares* 2. §. 1. vbi eis concedit, vt possint prædicare, & Confessiones audire, assensu Parochorum minimè requisito. Aliud simile priuilegium concessit Clemens IV. & Ioannes XXII. damnauit, & reprobauit Ioannem de Poliaco asserentem, quod Confessi Fratribus habentibus licentiam generalem audiendi Confessiones, tenebantur iterum confiteri eadem peccata proprio Sacerdoti Parochiali; quod id ipsum fecit Calixtus III. & Sixtus IV. auctoritatem datam Ordinarijs à Ioanne XXII. & Eugenio IV. procedendi contra assertores, quod Confessi Fratribus tenebantur iterum eadem peccata confiteri proprio Sacerdoti Parochiali, extendit ad Inquisitores hæreticæ prauitatis. Ita refertur in *Comp. loc. cit. §. 15. et seq.* Ex quibus patet veritas nostræ cõclusionis; præterea probatur ratione. Nam iurisdictio Confessariorum Regularium non dependet à Parocho, imò post *Conc. Trid. sess. 23. c. 15. de refor.* ipsi Parochi non possunt suam iurisdictionem alijs, quàm ab Episcopo approbatis impertiri; quia per *d. Conc.* nemo potest Confessiones audire, nisi vel habeat beneficium Parochiale, vel ab Episcopo sit approbatus; Atq; ita tenent *Sylu. verbo Confessor* 2. *nu. 6. Roder. in explic. Bul. Cruciatæ. §. 9. n. 145. & §. 12. n. 4. et in qq. Reg. tom. 1. q. 60. art. 4. Mirand. in man. Prał. tom. 1. q. 44. art. 14. concl. 2. Io. de la Cruz de stat. Relig. lib. 2. c. 6. dub. 1. concl. 3.*

2 quod adeo verum est, vt etiamsi Episcopi in licentijs Regularibus concessis dicant: quod eis, Parocho renuente, non vtantur; possint tamen, etiam illo cõtradicente, Cõfessiones audire; quia per supradicta Summorum Pontificum priuilegia ei expressè conceditur; quam concessionem non possunt ipsi Ordinarij tollere, aut limitare, ità *Roderic. Mirand. & Ioann. de la Cruz locis citatis.*

QVAESITVM XIV.

Vtrùm Religiosi per approbationem in vno Episcopatu pro omnibus approbati videantur.

SVMMARIVM.

1 *Religiosi approbati in vno Episcopatu, si ad alium Episcopatum domicilium transferant, indigent noua approbatione Ordinary illius loci.*

2 *Si tamen denuo ad eumdem Episcopatum reuertantur, non indigent noua approbatione.*

3 *Religiosi approbati ad Confessiones secularium audiendas, poterunt in eodem Episcopatu omnes ad se confluentes audire.*

4 *Religiosi in aliena Diœcesi possunt absque noua approbatione audire Confessiones subditorum illius Diœcesis, in qua approbati sunt.*

5 *Religiosi semel approbati, dum iter agunt, in locis vbi approbati non sunt, possunt etiam Confessiones audire.*

1 RESpondeo, quod Religiosi approbati ab vno Ordinario ad secularium Confessiones audiẽdas si deinde mutent domicilium, & ad alteram Diœcesim se conferant, non poterũt ibi Cõfessariorum munus exercere: nisi habita denuò approbatione ab Ordinario illius Diœcesis, in qua commorantur; quia in *Conc. Trid. sess. 23. de reform. cap. 15.* habetur quod *Nullus Regularis quoad audiendas secularium, etiam Sacerdotum Confessiones, reputetur idoneus, nisi ab Episcopis, etiam per examen, si illis videbitur esse necessarium, approbationem obtineat priuilegijs, & consuetudine quacunque, etiam immemorabili non obstantibus*; vbi ex illo verbo, *Episcopis*, in plurali posito, significatur non sufficere approbationem vnius, vel alterius Episcopi, sed generaliter requiri approbationem illorum Episcoporum, in quorũ Diœcesibus prædicti Regulares secularium illi subditorum Cõfessiones audire volunt, prout cõmuniter intelligere Doct. ait *Roder. statim citandus*. Præterea, cum ad hoc, vt possint id facere indigeant approbatione sui Ordina-

2 rij, & Ordinarius ipsorum non sit amplius ille, qui antea eos approbauit, sed alter, in cuius Diœcesi domicilium transtulerunt; necessariò requiritur, vt ab eo approbationem habeant.

Præterea rectiùs comprobatur ex priuilegio Ven. Presbyteris Congreg. Oratorij tradito à Sixto V. *per quod eis indulsit, vt cũ fuerint Romæ approbati ad Cõfessiones audiendas, nõ debeant amplius extra Vrbem examinari à locorũ Ordinarijs, sed illis sufficiat præstare eorũ licentias Romæ habitas*; ita refert *Quaranta in sum. Bull. ver. Confessor fol. mihi 199.* Simile huic priuilegium concessit Gregorius XIII. Patribus Societ. Iesu, *vt semel approbati, & à Superioribus expositi, quando iter faciunt per alias Diœceses, possint ibi secularium Confessiones audire*; quod refertur in *Comp. Societatis tit. Confessarius.* Ergò sine priuilegio id eis non licebat, si enim licuisset, non erat necessarium speciale priuilegiũ, quare hanc sententiam amplectuntur *Collect. priu. Mendic. verb. absolutio quoad seculares 1. §. 16. Sylu. ver. Confessor 1. §. 4 Nauar.*

in En-

Digitized by Google

in Enchirid. cap.27. post num. 266. vers. 6. Roderic. quæst. Regul. tom. 1. quæst.60. art.4. Miranda tom. 1. man. Prælat.q.45.art. 8. concl. vnic.D.Barbos. de offic. & potest. Episc. par. 2.alleg. 25. num. 35. citans alios, Reginald. in praxi lib.1. num.203. Suar.tom. 4. disp.28.sect.7. à num. 8. Si tamen ipsi Regulares semel generaliter approbati ad fidelium Confessiones audiendas in vna Diœcesi, indè discedant, atq; iterum reuertantur, eamdemque subiectionem subeant, non tenentur se iterum eidem Episcopo pro noua approbatione præsentare; prout ab Eugenio IV. Fratribus Minoribus concessum fuisse refertur in Compend. priuileg. Mendicant. verb. absolutio quoad seculares 1. §. 4. ex quo ita sentiunt Nauar. in man. cap.27. num.266. Collect. priuileg. ibidem, & §.16. Roder. & Mirand. locis citatis, Ioan de la Cruz de stat. Relig.lib.2. cap.6. dub.4. concl.2.Suar.d.sect.7. num.9.Reginald. num.203. quod procedere, etiam si mutati fuerint Episcopi in illa Diœcesi, quoad vsque successor non reuocet eorum licentias (modò approbatus non habeat beneficium Parochiale,quia hic habet approbationem, & facultatem annexam Curæ,licet aliquando suspendi possit) tenet idem Ioan. de la Cruz loco cit. citãs Sylu.verb.Confessor 1.nu.4. Angel. verb.Confessor 4. num.25.tenent etiam Nugn. in addit.ad 3. par. q.8.art.3. dub.1. concl.2. Beneuent. in prax. de Sacram.Pœn. cap. 16. q. 2. vers. quinto si vero, Henriq. in sum. lib.6. cap.6. §. 7. D. Barbos.de offic. & potest. Episc. alleg. 25. num.22.Suar.& Reginald. locis citatis. Licet autem Religiosi in vno Episcopatu approbati, nequeant in alio absque noua Ordinarij illius approbatione Confessiones audire; tamen poterunt in Episcopatu, in quo approbati sunt fideles alterius Diœcesis, si ad ipsorum loca confitendi causa venerint, audire, vt concessit Sixtus IV. Fratribus Ordinis Minorum,de qua concessione meminit Nau.d.c.27.n.266.vers. sextum,& alij sup.cit.

3

4 Et licet iidem Regulares in vna Diœcesi approbati nequeant absque noua approbatione in alio Episcopatu Confessiones audire, possunt tamen audire Confessiones subditorum Diœcesis, in qua expositi sunt extra illam Diœcesim. Nec obstat, quod in Clement. dudum, de sepultur., dicatur posse Religiosos illius virtute, expositas audire Confessiones intra Diœcesim, in qua expositi sunt; quia id intelligitur, vt non possint extra Diœcesim audire illos, qui non sunt illius Diœcesis, in qua sunt præsentati, ne putarent se, vbi semel præsentati sunt, esse totius Orbis Confessores; sic eam Clem. intelligendam esse probat Sanch. de matr.lib.3.disp.34.sub n.2.vers.eiusdem sententia; Atq;hanc sententiam tenent Ripa de rem.cur. pest.§.sed quia vsu videmus num. 53. et 63. Angl. in flor.1.d.q.3.de Conf.art.8.dub.4.cōcl.2.Cosm.Philiar. de offic. Sacerd.to.1.par.2.lib.2.cap.14.§.nullus alius, Victor.in sum.de Confess. nu.51. & alij, quos refert, & sequitur Sanch.d.disp.34. num.2.

5 Ex his igitur patet, quod Religiosi in vno Episcopatu approbati non consequuntur indè, vt possint in alijs Episcopatibus,absq;noua approbatione Confessiones audire; exceptis illis subditorum Diœcesis, in qua approbati sunt, vt diximus, & nisi ex priuilegio aliquid eis concessum fuerit: quale est illud cōcessum à Gregorio XIII. Patribus Societatis Iesu, vt possint audire Confessiones, dum iter agunt,siue terra, siue mari in locis,vbi non sunt approbati; modò alibi approbationem habuerint; quo gaudent omnes Religiones communicationem habentes; de qua re supra meminimus.

QVAESITVM XV.

Vtrùm Religiosi possint absq; Abbatis licentia secularium Confessiones audire.

SVMMARIVM.

1 Regulares etiam ab Episcopo approbati nequeunt, absque sui Prælati licentia, Confessiones audire; amplia vt num. 2.

3 Monachus licet grauiter peccet, absque Abbatis licentia secularium Confessiones audiendo, tamen si est approbatus ab Episcopo, Confessiones validæ sunt, limita vt num. seq.

1 Respondeo dicendo, quòd Abbates possunt, instante, & rationabili causa intercedente, reprobare, & suspendere Monachos sibi subditos ab audiendis secularium Confessionibus, etiamsi ab Episcopis ad id approbati,& ab ipsis Abbatibus expositi fuerint: ita docent Sot. in 4.dist.18. q.4. art.3. Graff. tom.1.conf.lib.5.tit.de pœn.& remis.conf.4.n.18.Confect.in suo comp.priuil.tit.17.c.5.illat.7.Roder.tom.1. qq.Reg.q.60.art.2.Mirand.tom.1.man.Prælat.q.45. art.13.concl.1.Henriq.in sum.lib.6.c.6.& nu.etiam.6. 2 addens,posse eosd.Prælatos eisdem Confessarijs hanc iurisdictionem limitare,atq;restringere pro certis,& determinatis personis,& casibus;citans ad hoc declarationẽ viuæ vocis oraculo factam à Gregorio XIII, quod idem notanit Graff.loc.cit.& tenent Mirād.loc. etiam cit.& Laur.de Peir.tom.1. de subdito q.1.c.21. dict.3. Ratio est,quia Religiosi non habent velle, neq; nolle c.si Religiosus.de elect.in 6. & consequenter sine Prælatorum suorum consensu, & multò fortius ipsis contradicentibus, nihil validè efficere possunt, vt notant Doctores cit.

3 Verum enim verò si tales Monachi nō fuerint iuridicè,ac notoriè à suo Abbate suspensi,sed tantum extraiudicialiter prohibiti,ac Confessiones audiant ob causam occultam ipsi Abbati notam: licet moraliter peccent,non obedientes,& propterea sint puniēdi;tamen Confessiones ab eis auditę,validæ erunt,nec iterandæ;Ita Sylu.ver.Confessor 1.n.15.q.19.vers. tertio. verò, Roder.loc cit.Mirand.d.art.13.concl.2.Lop.p.1. instruct.c.2ū.col.4 vers.tertio decimus, Laur.de Peir. d.c.21.dict.3. Ratio est,quia gesta per occultè suspensum,vel priuatum, excōmmunicatum, vel interdictum ratione publici officij valent,nec retractantur,l.Barbarius Philippus ff.de offic. præsid.c.ad probandum,& ibi gloss.ver.innodatus,de sent.& re iud.& ibi Panor.& Felin.cum cōmuni idem Panor. in d.c.verita-tis n.33.& seqq.de dolo,& contum.Sylu. loc.cit. Nau. in man.c.9.nu.9.& alij Doctores ferè omnes citati. Si 4 autem quamuis occultè suspensus esset,pœnitens tamen illud sciret, & nihilominus eum induceret ad se audiendum,Confessio esset inualida, quia huiusmodi inductione peccando mortaliter poneret obicem gratiæ

gratiæ Sacramenti, *Medina in Cod. de Confess. quæst. 34. §. si quæras, Reginald. lib. 1. num. 169. Laurent. de Peirin. d. cap. 21. dicto 5. vers. secundo, &c.* Ex his patet quid dicendum sit, quando suspensio, & 3 prohibitio fuerit iudicialis, & notoria: Religiosus enim per sententiam iudicialiter, & notoriè latam priuatus, & suspensus ab officio Confessoris, quamuis aliàs ab Ordinario legitimè approbatus, & à suo Prælato expositus; si nihilominus Confessiones audire intentet, inualidè erunt huiusmodi Confessiones, ita *Nauar. d. cap. 9. num. 8. Sylu. loc. cit. Graff. 1. par. decis. lib. 1. cap. 13. num. 88. Roderic. d. art. 2. vers. secundo dico, Mirand. d. art. 13. concl. 3. Laur. de Peirin. vbi proximè dicto 4. Ioan. de la Cruz de statu Relig. lib. 2. cap. 6. dub. 2. concl. 2.*

QVAESITVM XVI.

Verùm Regulares absque approbatione Ordinariorum possint familiarium Confessiones audire.

SVMMARIVM.

1 *Priuilegia referuntur quibus conceditur Religiosis facultas familiarium Confessiones audiendi.*
2 *Familiares qui dicantur remissiuè.*
3 *Sacerdotes Regulares an possint familiarium Confessiones audire absque approbatione Ordinarij, refertur opinio Suarez negantis.*
4 *Contrarium concluditur.*
5 *Iure ab antiquo recedendum non est, nisi quatenus nouum cogit.*

1 Martinus V. concessit Monachis S. Benedicti Obseruantiæ Hispaniæ, *vt Confessiones quorumcunque familiarium in suis Monasterijs commorantium audire, & pro eorum commissis debitam eis absolutionem impendere liberè, & licitè possint, & valeant*; prout refertur in *Compend. Mendicant. verb. familiares, 9. 10.* Item Clemens IV. concessit Fratribus Minoribus, *vt his, qui in eorum obsequijs commorantur, cuncta liberè ministrare possint Ecclesiastica Sacramenta, & ipsos, eum decesserint, in eorum Monasterijs sepelire.* Item Leo X. per Constitutionem editam anno 1513, 9. Iulij, Pontificatus sui anno 1. quæ incipit. *Is qua pro fidelium*, concessit Fratribus d. Ordinis Minimorum, *quod suarum domorum famulorum pro tempore in habitu seculari eis deseruientium quoties opus fuerit, etiam Paschatis tempore, & in eorum domibus, & Ecclesijs huiusmodi Confessiones audire, ipsisq; & eorum cuilibet Eucharistiæ, & Extremæ Vnctionis Sacramenta ministrare, ac illis, & cuilibet eorum in humationis, & sepulturæ beneficia, cuiusuis licètia super hoc minimè requisita, impendere licitè valeant.* Refertur à *Laurent. de Peirin. in 1. tomo priuileg. Ord. Minim. Constit. 4. Leonis X.* Qui 2 autē dicantur familiares, & quid requiratur ad hoc, vt prædictis priuilegijs frui possint, satis explicatum est in *disp. 10. quæst. 3. huius secundi tomi*, vbi explacauimus quid sit necessarium ad dictum effectum, stante *decreto Concilij Tridentini sess. 24. de reformat. cap. 11.* vbi de familiarium Religiosorum priuilegijs tractans, declarat, illa solum extendi ad eos, qui actu seruiunt Religiosis, & intra eorum septa, ac domos resident, subq; eorum obedientia viuunt. Dubium 3 est modo, an prædicta facultas audiendi Confessiones familiarium, vel secularium in Religiosorum domibus commorantium competat omnibus Sacerdotibus Regularibus, etiam simplicibus, & qui ab Ordinario ad fidelium Confessiones audiendas approbati, & expositi non sunt, vel sit necessaria huiusmodi approbatio; In qua re *Suarez de Relig. tom. 4. tractat. 10. lib. 9. cap. 4. num. 18.* necessariam putat Episcopi approbationem. Ducitur, quia *Concil. Trident. sess. 23. de reformat. cap. 15.* in omnibus Regularibus, ad hoc vt secularium Confessiones audire valeant, Episcopi approbationem requirit; hi autem familiares, seu domestici habitatores seculares sunt; ergo comprehendentur sub dicto decreto; subdens, non esse existimandum, illi decreto derogatum fuisse per viuæ vocis oraculum Pij V. quo confirmauit omnia Mendicantium priuilegia, etiam in his, quæ per Concilium Tridentinum restricta videbantur. Reddens rationem, quod scilicet decretum illud de approbatione Confessorum non est per se ad restringendum hoc priuilegium Regularium circa familiares, sed ad constituendam conditionem necessarium, vt aliquis sit Sacerdos idoneus ad Confessiones audiendas, quàm idoneitatem necessariò, ac veluti ex natura rei illud priuilegium, & quodcunque simile supponit; & ideo vnum decretum alteri non aduersatur, sed priuilegium accommodari debet ad eum, qui secundum Sacros Canones idoneus fuerit Confessionibus audiendis; quod si inde sequatur aliqua restrictio quo ad personas, nihil refert, nam accidentaria est, & materialis.

4 Verùm licet *Suarez* quantum ad hoc vltimum subtiliter more suo discurrat, tamen quantum ad principalem dubij partem dicendum est, vt Sacerdotes Regulares suorum familiarium Confessiones licitè audire, & illos ab eorum criminibus absoluere valeant, nulla Ordinariorum approbatione indigere, sed sufficere tantùm, si à proprijs Prælatis approbati sint; quia *Concilium loc. cit.* intelligendum est de secularibus extraneis, non autem de familiaribus, ipsi enim quoad hoc censentur quasi Religiosi, & eorum loco habentur; facit *Clem. Religiosi §. sanè, de priuileg.* vbi licet prohibeatur Religiosis secularium Confessiones audire, excipiuntur tamen familiares, & Concilium Tridentinum nihil innouasse videtur, sed tantum ius antiquum declarasse, nec est recedendum à iure antiquo, nisi quatenùs cogit nouum *l. fin. C. de appellat.* At nouum in præsenti casu non 5 cogit, si dicamus illud intelligi debere de familiaribus extraneis. Præterea cum d. Concilij decretum sit odiosum, quia Regularium priuilegia derogat, interpretari debet, vt minùs lædat, quàm fieri poterit; facit declaratio Sacræ Congregationis de anno 1568. die 14. Augusti, quam refert *Laur. de Peirin.* loco inferius citando in hæc verba. *Prælati Regulares, seu alij Religiosi Confessores non possunt audire Confessiones secularium, qui sunt de familia, & deseruiunt ipsorum Monasterijs, absque approbatione, vel licentia Episcopi, secus, tamen si illi seculares sunt verè de familia, & continui commensales,*

Quod

Quòd Decretum Sacræ Congregationis intelligendum est, vt nequeant Sacerdotes Regulares non expositi ab Ordinarijs audire Confessiones illorum, qui inseruiunt Monasterijs, sed non viuunt in eis, neque dormiunt, vt tonsores, sutores, & huiusmodi, qui largo modo etiam familiares dicuntur secundum *Roderic. quæstion. Regul. tom. 2. quæst. 67. art. 1. vers. qui autem dicantur.* Secùs tamen quoad eos familiares, qui ordinariè in Monasterijs, & domibus Regularium degunt, comedunt, & bibunt in eis, ac strictè, & propriè familiares dicuntur, vt dicimus *d. q. 3. disput. 10.* atq; ita tenent *Ioan. de la Cruz de statu Relig. lib. 2. cap. 6. dub. 1. conclus. 1. Laurent. de Peirin. tom. 1. priuileg. Ord. Minimor. in annot. ad §. 15. Constit. 8. Iulij II. num. 12.*

QVAESITVM XVII.

Vtrùm Abbas possit secularium Confessiones audire absque eo quòd ab Ordinario per examen approbetur.

S V M M A R I V M.

1 *Confessiones secularium non possunt Abbates audire, nisi admittantur ab ordinarijs.*
2 *Abbates si post Conc. Tridentinum, & Constitution. Pij V. haberent aliquod priuilegium speciale, possent quidem Confessiones secularium audire.*
3 *Conciliaria decreta requirunt specificam, & expressam derogationem.*
4 *Concilij Tridentini Decretis, vbi non reperitur expressè cautum, quod debeat fieri derogatio specifica, intelligitur facta ex clausulis generalibus.*

1 HVius quæsiti resolutio pendet ex *Concil. Trid. sess. 23. de reformat. cap. 15.* vbi dicitur, quod *nullus Regularis ad audiendas Confessiones secularium etiam Sacerdotum idoneus reputetur; nisi aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus iudicetur, & approbationem obtineat; priuilegijs, & consuetudine quacunque etiam immemorabili non obstantibus;* cuius decreti vigore poterunt Episcopi si voluerint, Regulares, cuiuscunque gradus illi sint, sibi præsentatos, ad secularium Confessiones audiendas examinare: etiamsi essent Lectores, vel alio gradu in sacra Thologia insigniti, quia quatenus super hoc aliqua difficultas oriri potuisset, fuit expressè declaratũ per Pium V. in quadam sua Constitutione, quę incipit. *Romani Pontificis prouidentia.* sub Dat. Romæ anno Dom. 1571. 8. Idus Augusti, Pontif. sui anno 6. per quam determinauit *prædictum decretum Concilij Tridentini de approbatione Regularium ab Episcopis facienda pro audiendis Confessionibus secularium, obseruari debere cum omnibus Regularibus quorumuis Ordinum etiam Mendicantium, etiam sub Regulari disciplina, viuentibus, atque etiamsi sint Lectores, aut in Theologia de suorum Superiorum licentia graduati, vel promoti, & à suis Ministris Generalibus, & Prouincialibus pro secularium Confessionibus audiendis expositi.*

2 Verum enim verò si post prædictum Concilij Tridentini decretum, ac Pij V. Constitutionem Abbates aliquod priuilegium in contrarium à Sede Apostolica obtinuissent; vel obtinerent, per quod facultas secularium ad eos accedentium Confessiones absq; Ordinariorum approbatione audiendi illis tribueretur, possent vtiq; id efficere, etiam quod ipsorum Ordinariorum examini se non subiecissent, ac eorum approbationem non habuissent.

3 Sed quid, si daretur huiusmodi priuilegium, & in eo expressè Tridentinæ Synodi decreto non derogaretur. Dubium est, quia cum sit contra d. Constitutionem Concilij Tridentini deberet in eo fieri mentio, & derogari expressè Constitutioni Conciliari, iuxta *text. in cap. ex parte, de capel. Monach. & in cap. nonnulli,* & ibi per omnes scribentes, & *in cap. eam te, de rescript.* Nihilominùs dicendum est expressam reuocationem d. Constitutionis Concilij Tridentini necessariam non fore, si directè alicui contraria facultas concederetur. Quia vbi reuocatio fit in actu exercito, nempè per concessionem contrariæ facultatis, non est necessaria reuocatio in actu signato, vt docet in simili *Suar. de Relig. tom. 4. tract. 10. lib. 9. cap. 3. num. 3.*

4 Prætereà licet Regulariter decreta Conciliaria requirant specificam derogationem; tamen in decretis Concilij Tridentini, vbi non reperitur expressum, quod debeat fieri derogatio specifica, intelligitur facta ex clausula, *Non obstantibus Constitutionibus Apostolicis,* & ex alijs similibus clausulis generalibus, *Rota in causa* S. *Angeli pensionis 16. Decembris 1594. coram Illustrissimo Cardinali Pamphilio,* & in *Bononien. Prioratus 9. Iunij 1616. coram Illustrissimo D. Manzanedo,* refert, & sequitur *D. Antonin. Riciull. de Iure person. lib. 8. cap. 4.* Igitur si in huiusmodi priuilegio clausulæ illæ generales adessent, sicut Regulariter deesse non solent ex communi stylo, & praxi Curiæ illud obtinentes liberè, & licitè eius vigore fideliũ Confessiones audire possent, licet ab Ordinarijs examinati, & approbati non essent.

QVAESITVM XVIII.

Vtrùm expediat Religiosos pluriès generalem peccatorum Confessionem facere.

S. V M M A R I V M.

1 *Confessiones generales ex Ecclesia vsu laudantur, quanto enim pluribus quis cõfitebitur in spè veniæ turpitudinem criminis, tantò faciliùs consequetur misericordiam remissionis.*
2 *Absolutione Sacramentali non solùm augetur gratia, verum etiam minuitur pœna in purgatorio sustinenda.*
3 *Peccata mortalia aliàs ritè confessa sufficiens Pænitentia Sacramenti materia esse possunt.*

EST antiqua consuetudo multarum Religionum, vt in earum ingressu post assumptionem habitus, Nouitijs, & nouiter ad Religionem intrantibus, consuli, & præcipi soleat, vt generalem omnium, quæ in mundo morantes patrarunt, peccatorũ Confessionem faciant ad aliquod scrupulum vitandum,

& conscientias pacandas, ac quietandas (quod & ego expedientissimum esse arbitror) exhortando eos, vt peccata sua omnia maiori cum deuotione, & præparatione confiteantur, & hoc fiat cum viris doctis, & peritis, & in tali officio exercitatis, qui peccatorum omnium species, & circumstantias cognoscere valeant, & ipsorum grauitatem.

1 Hæ autem generales Confessiones ex Ecclesiæ vsu laudantur, & approbantur: quia ex huiusmodi Confessionibus maior quies, & securitas conscientiæ sequitur: maior gratia per nouam Sacramenti receptionem acquiritur: & peccata in futurum faciliùs præcauentur; vnde Benedictus Vndecimus in *extrauaganti*, quæ incipit *Inter cunctas de priuileg. inter communes*, dicit non esse de necessitate iterum eadem peccata confiteri, tamen propter erubescentiam, quæ bona pars est pœnitentiæ, salubre esse, & in *can. quem pœnitet, de pœnit. dist. 1.* dicitur *quod quantò pluribus confitebitur in spe veniæ turpitudinem criminis, tantò faciliùs consequetur misericordiam remissionis*, quod autem acquiratur maior gratia, ex eo patet; nam licèt per primam Confessionem, & contritionem peccata illa remittantur; tamen pœna temporalis, in quam æterna fuit commutata, pro illis subeunda in Purgatorio, tali iteratione minuitur; tum ob verecundiam, quàm confi-
2 tens patitur, tùm etiam propter absolutionem sacramentalem, per quam non solum augetur gratia verum etiam minuitur pœna in purgatorio sustinenda secundum *Nauar. in can. fratres num. 29. de pœnit. dist. 5.* vbi dicit hanc sententiam esse communiter receptam; vndè in *perlect. d. can. quem pœnitet nu. 9.* infert non solum peccata nondum confessa, sed etiam
3 iam legitimè confessa, atque condonata sufficientem Sacramenti pœnitentiæ materiam esse posse; quod etiam affirmant *Caiet. tom. 1. opusc. tract. 5. q. 4. Medina tract. 2. q. de fructu iterandi confess. Suar. tom. 4. in 3. par. disput. 18. sect. 1. nu. 6. & sect. 4. in fine*, Re*ginald. in praxi lib. 6. num. 94. & lib. 8. num. 10.* & alij apud *Bonacin. de Sacrament. disput. 5. q. 4. puncto 4. num. 1.* Ex his igitur patet non solum expedire, verum etiam salubre esse Monachis, vt peccata aliàs remissa iteratò confiteantur.

QVAESITVM XIX.

Vtrum Abbas possit statuere, vt sui Monachi semel in anno sibi confiteantur peccata omnia, etiam aliàs ritè confessa.

SVMMARIVM.

1 *Statutum, vt Monachi teneantur peccata aliàs remissa iterum Abbati confiteri, an sit licitum 1. & num. 4.*

2 *Abbas, secluso statuto, an possit præcipere Monachis, vt peccata aliàs ritè confessa iterum confiteantur.*

3 *Responsio ad argumenta.*

VIdetur primò, quod non; nam peccata ritè, & rectè confessa non tenetur quis iterum confiteri; cum iã peccata confessa præsumãtur dimissa, sed peccatum dimissum vltrà non punitur; vt est *text. in cap. sunt plures §. authoritas, de pœn. distin. 3.* ergo &c.

Secundò, Ideo necessario facienda est confessio, quia adhuc ante confessionẽ per solam cõtritionem culpa non est extincta, vt in *c. reuertar de pœniten. dist. 4.* sed quando quis verè, & ritè confessus est, verè dicitur mundus, vt in *c. lacryma de pœnit. dist. 1. & in c. dixi eadem distinct.* ergò Monachi ritè, & rectè confessi non possunt compelli statuto, vt Abbati iterũ peccata cõfiteantur, & iterum mundentur, &c.

1 Contrarium tamen dicendum est, nempè licitum esse statutum in Religione, vt Monachi teneantur peccata aliàs ritè confessa iterum suo Abbati confiteri; si tale statutum fiat cum expresso consensu ipsorum Monachorum. Quamuis enim præcisè ob integritatem, & perfectionem Sacramenti non possit fieri præceptum obligans pœnitentem ad huiusmodi Confessionem faciendam, secundum *D. Thom. quodlibet. 1. art. 12. Durand. dist. 17. q. 15.* & alios apud *Nauar. in man. cap. 9. in princip.* tamen ex voluntario consensu, & quasi pacto inito, potest hæc obligatio suscipi à peccatore, nam potest quis voto se obligare ad generalem confessionem faciendam, vel totius vitæ, vel vnius anni, etiamsi sæpiùs ritè confessus sit, & deindè ratione voti obligatur, ad confitendum iterum mortalia, aliàs ritè confessa; quia talis vsus Sacramenti est bonus, & potest esse in consilio; huiusmodi autem actus potest esse materia Voti: ità pariter potest Monachus consentire, vt huiusmodi statutum in Religione fiat; igitur tale statutum, cùm expresso Monachorum consensu factum, licitum erit, imò obligabit sub mortali illos, qui profitentur Religionem, in qua hoc statutum esset, Ità *Nauar. in cap. placuit num. 118. de pœnit. dist. 6. Suar. tom. 4. in 3. p. disput. 22. sect. 7. Enriq. lib. 2. de Sacrament. pœnit. cap. 16. & 17. Reginald. in praxi lib. 6. num. 109.* Atque ità de facto statutum reperitur in quibusdam Religionibus, vt de Ordine Cistereiensi refert *Nauar. loco citato*, dicens huiusmodi statutum in ipsorum priuilegijs à duobus Summis Pontificibus confirmatum fuisse. Idem de Carthusiensibus refert *Gerson. 2. tomo tract. 5. de stat. Carthusianorum, & Alphabeto 25. litera F.* et *Ferdinandus de Castillo lib. 3. Chronica Beati Dominici cap. 46.* refert quod Albertùs Magnus, cum esset suæ Religionis Prouincialis, simile in ea fecit statutum, vt in fine anni Religiosi Confessionem repeterent, & suo Prælato omnia peccata mortalia confiterentur; quamuis reseruata non essent, à quibus alias per hebdomadas, aut per menses, à proprijs Confessarijs Religiosis directè fuerant absoluti. Et simile statutum refert *Enriquez* suprà mentionato loco haberi in Religione Fratrum Carmelitarum Discalceatorum, ad quod omnes obligare arbitratur.

2 Ex hic concludendum est, quod ijs Religionibus, in quibus huiusmodi statutũ cũ expresso Religiosorum consensu conditum est, illud seruandum erit. Secluso autem statuto, & non intercedente consensu, & voluntate pœnitentium, Abbas non posset hanc obligationem absoluto præcepto imponere; quia hæc est propria materia Consilij, & ideo non cadit sub præceptum humanum; tùm quia est res valdè difficilis, & nulla esse potest necessitas, quæ suadeat, tale præceptum imponi. Ita *Suar. d. sect. 4. in fine.*

3 Ad argumenta in contrarium adducta respondetur

tur primò, quòd peccata confessa non tenetur quis amplius confiteri, hoc procedit regulariter; at secus est, quando quis obligatur ex statuto Superioris eo modo, quo dictum est supra.

Ad secondum argumentũ ex *d.c. lachryma, & ex d.c. dixi*, respondemus, quod verę lachrymæ lauãt delictum, & confitenti iniustitiam suam Dominus remittit peccata, vndè Augustiuus. *Magna pietas Dei, vt ad solam promissionem peccata dimiserit: nondum pronunciat ore, & tamen Deus iam audit in corde*, sed quando quis renunciat Iuri suæ libertatis, prout in casu nostro, ex propria voluntate obligatur, sed non ex diuino præcepto. Hic tamen aduertendum,
4 quòd hodiè post Decretum Clementis Octaui de reseruatione casuum pro Regularibus non possunt amplius Abbates suos subditos compellere, vt peccata sua confessa ipsis confiteantur; nisi ipsimet spontè, & Motuproprio id ab eis petierint; vel nisi peccata habeant reseruata, vt *d. decreto §. 3.* cuius verba sunt hæc. *Non liceat Superioribus Regularium, confessiones subditorum audire; nisi quando peccatum aliquod reseruatum admiserint, aut ipsimet spontè, aut proprio motu ab ipsis petierint*. Ità etiam *Franc. Coriolan. in tract. de casib. reseruat. part. 1. sect. 1. art. 9. in fine*.

QVAESITVM XX.

An Abbas posit cogere suos Monachos, vt saltem semel in mense confiteantur, & sacra Communione reficiantur.

SVMMARIVM.

1 *Argumenta pro parte negatiua referuntur.*
2 *Abbas potest compellere suos Monachos, vt saltem semel in mense confiteantur, & sacra Communione reficiantur, etiã per pœnas corporales, vt n. 4. & 5.*
3 *Casinenses quid super hoc statuerint, refertur.*

1 Videtur, quòd non; nam ex præcepto Ecclesiæ habetur, quod tantum in Paschate Christianus quisq; tenetur se tali Sacramento reficere, vt in *cap. omnis vtriusque sexus, de pœnitentijs, & remiss.* vel saltem ter in anno Christianus Communionem recipere debet in Paschate videlicet, Pentecoste, & Natali Domini, vt in *cap. & si non frequentius, de consecrat. dist. 2.*

Secundò non est arguendus, qui quandoque abstinet ab Eucharistiæ perceptione, propter Sacramenti reuerentiam, vt dicit tex. *in cap. ad eius distin. 6.* ergo si non est arguendus, qui abstinet aliquando à tali Sacramento, perconsequens non potest Abbas præcipere suo Monacho, vt Eucharistiam sumat.

2 Sed contrarium est verius, quia Abbas potest præcipere suo Monacho, vt saltem semel in mense Confiteatur, & sacra Cõmunione reficiatur; quamuis enim de iure diuino, & communi Ecclesiastico Religiosus nõ teneatur sub præcepto, nisi semel in anno, vt cęteri Christi fideles, Confiteri; tamen ex speciali Constitutione Clementis V. in Concilio Viennen. adstricti fuerunt Monachi ad Confitendum saltem singulis mensibus, tàm in Monasterio, quàm extra, vt habetur in *Clem. ne in agro §. sanè, de statu Monach.* quæ licet ad Monachos nigros directa sit, tamen extenditur etiam ad alios Religiosos. Ità *Card. Zabarell. in d. Clem. q. 2. & in §. sanè q. 3.* & ibi *Imol. & alij, & Azor. instit. moral. par. 1. lib. 7. cap. 40. q. 1.* Ratio est, quia cum Monachi perfectioris vitæ genus profiteantur; arctiori quoq; viuendi norma, & regula alligatos esse decet, facit *c. denique 4. dist. & gloss. in d. §. sanè, verb. mensibus, in fine*, & non solum tenentur Monachi semel in mense confiteri; verum etiam sacra Communione refici, *d. §. sanè, Graff. decis. aur. par. 1. lib. 1. cap. 9. num. 14.* tenentur itaq; Monachi prædicto iure *d. §. sanè*, Confiteri, & sacra Communione refici prima Dominica cuiuslibet mensis; nisi fortè ex causa, quam Abbati, Priori, aut Pœnitentiarijs Monasteriorum exposuerint, eorum iudicio abstineant; & ad id possunt ab Abbatibus cogi, nisi per constitutiones speciales tenerentur frequentius id facere.
3 Vt Monachi nigri suis particularibus statutis tenentur semel in hebdomada confiteri: sicuti habetur in *declaratorio Regula D. Patris Nostri Benedicti cap. 46.* vbi dicitur. *Et quia quasi continuè delinquimus, & septies in die cadit iustus, ne Patres tota die teneantur occupati, statuimus, vt quilibet frater confiteatur saltem, semel in hebdomada, quod tempore Sanctissimi Patris Nostri Benedicti seruabatur, eo quod in Capitulo de hebdomadario lectore dicit, quod lector accipiat mixtum propter Sanctam Communionem, quæ Communio fiebat singulis Dominicis, & consequenter confessio, & contrafaciens dicat suam culpam in Capitulo, & comedat in terra, in Refectorio.*

Ex his igitur constat, quod Monachi omnes, tàm albi, quàm nigri, & cæteri Religiosi arctantur, & perconsequens cogi possunt ab eorum Abbatibus, & Prælatis, vt in prima Dominica cuiuslibet mensis confiteantur, & Sacra Communione reficiantur.

4 Aduerto autem, quod ad id tenentur sub mortali, vt videtur innuere *glos. in eodem §. sanè verb. mensibus*, vbi inquit, *arctatur ergò Monachi singulis mensibus, ad quod fideles arctantur singulis annis, de pœn. & remiss. cap. omnis*. Sed sicuti fideles arctantur sub mortali singulis annis cõfiteri, & Sacra Communione refici, quod tanquam certum supponimus, ità Monachi singulis mensibus: sic docent *Graff. d. cap. 9. & lib. 3. cap. 7. num. 106. Azor. d. cap. 40. q. 1. Maior. in 4. distinct. 17. q. 2. Sot. dist. 18. q. 1. art. 3. Coriolan. in tract. de cas. reseruat. par. 1. sect. 3. art. 1. num. 7. vers. vnde existimo.*

5 Et ad hoc obseruandum possunt Abbates suos Monachos compellere, etiã per pœnas corporales, quia aliàs viuerent præter cõmuniorem Religionis vsum. *Coriolan. d. art. 1. num. 8.* At Monachi nigri quamuis ex speciali constitutione auctoritate Sedis Apostolicæ confirmata obligentur ad Confessionem, & Communionem semel in hebdomada faciendam, non tamen ad id sub læthali culpa adstricti sunt; vndè si illud omittant, non peccabunt mortaliter, vt benè probat idem *Graff. d. lib. 1. cap. 9. num. 17. & seqq.*

Ad argumenta in contrarium adducta respondemus, & primò ad *tex. in cap. omnis*, quòd Ecclesia non præcipit, quòd tantum in Paschate, quis Sacra Communione reficiatur, sed præcipit, vt etsi non

asiduè

assiduè id tamen fiat saltem in Paschate sic loquitur rex. *c. etsi non frequentius, de consecr. dist. 2.* cuius verba sunt videlicet. *Et si non frequentius, saltem in anno ter homines communicent, nisi fortè quis maioribus quibuslibet criminibus impediatur in Paschate videlicet, & Pentecoste, & Natali Domini.*

Ad secundum Argumentum ex *cap. ad eius*, resp. quod ille textus loquitur de illis mulieribus menstruatis, quæ tempore menstruorum non deberent ad Sacramentum Eucharistiæ accedere, propter venerationem Sacramenti; sed si sumpserint, non erunt ideò indicandæ. Sicuti pariter non essent arguendi Monachi, qui ob aliquod impedimentum aliquandò prætermitterent communicare, imò in *d. §. sanè* id aduertitur: dicitur enim, nisi ex causa quam suis, Prælatis, vel Monasterij Pœnitentiarijs præposuerint, eorum iudicio abstineant.

QVAESITVM XXI.

Vtrùm Abbas possit compellere suos Monachos, vt semel in mense confiteantur etiamsi venialibus culpis tantum sint obnoxij.

SVMMARIVM.

1 *Sententia negatiua refertur.*
2 *Sententia affirmans, quam auctor sequitur, probatur.*
3 *Ecclesia an possit præcipere vsum Sacramenti Pœnitentiæ, ità vt obliget omnes fideles ad illud recipiendum etiamsi venialibus tantum sint obnoxij.*
4 *Respondetur ad rationem primæ sententiæ.*

1 DVAE in hac re sunt opiniones. Prima est *Soti in 4. dist. 18. q. 1. art. 3. post 4. conclus. vers. de Monachis autem*, vbi probat Monachos si nulla lethali culpa obnoxij sint, non teneri ad venialium Confessionem; quia Ecclesia venialis culpæ Cōfessionem nemini præcipere potest; cum ea non sit necessariæ Confessionis materia, vt ait *Sot.* vbi supra, *& Suar. tom. 4. in 3. par. disput. 22. sect. 8.* & alij, nec particulare ius *Clem. 1. § sanè, de stat. Monach.* eis particularem aliquam obligationem circa hoc imponit, nam illud decretum nullatenus communem canonem mutat, sed solum abbreuiat tempus, vt sicuti omnes fideles tenentur singulis annis confiteri, si habeant mortalia, ità Monachi tenentur singulis mensibus. Sic Soto, quem etiam secutus est *Graff. decis. aur. par. 1. lib. 1. cap. 10.*

2 Altera opinio asserit Monachos obligari ad confitendum singulis mensibus, etiam venialia, si lethalibus culpis non se sentiant adstrictos; quam tenent *Caiet. in opusc. tom. 1. tract. 5. q. 1. Nauar. in canon. placuit num. 22. de pœnit. dist. 6. Azor. instit. moral. part. 1. lib. 7. cap. 40. q. 1.* quæ opinio tanquam probabilior, & verior, à nobis amplectenda videtur; quia in supradicta *Clement.* simpliciter, & absolutè iniungitur Monachis, vt prima Dominica cuiuslibet mensis confiteantur; at vbi ius non distinguit, nec non distinguere debemus. Nec obstat ratio *Soti* asserentis venialia nō esse necessariam Confessionis materiam; nam licèt iure diuino non sit necessarium peccata

3 venialia confiteri: tamen Ecclesia potest præcipere vsum Sacramenti Pœnitentiæ, ità vt indifferenter omnes fideles obliget ad illud recipiendum, siuè habeant conscientiam peccatorum mortalium, siuè tantum venialium, vt tenet *Diuus Bonauent. in 4. dist. 17. quæst. 1. art. 2.* & ibi etiam *Riccard. Caiet. & Nauar.* locis citatis, *& Suar. tomo 4. in 3. par. disput. 22. sect. 8. Coriolan. tract. de cas. reseruat. part. 1. sect. 3. art. 2. num. 2.*

4 Nec his obstat, quod supradiximus, nempe non posse Ecclesiam obligare ad faciendam Confessionem de peccatis ritè confessis, ergò neque de venialibus; quia respondetur inter peccata venialia secundum se, & mortalia aliàs ritè confessa hanc esse differentiam; quod semper homo habet aliam materiam huius Sacramenti præter illa peccata aliàs ritè confessa, nimirum aliqua venialia; propterea regulariter loquendo, etiamsi vsus huius Sacramenti simpliciter præcipiatur, non est necessaria confessio talium peccatorum, sicut posset esse venialium. Ita *Suar. loc. cit.*

DISPVTATIO VII.

De officio, & potestate Abbatis, & aliorum Prælatorum inferiorum, quoad Sacramentum Extremæ Vnctionis.

Quæs. 1. Vtrùm Abbas possit administrare Sacramentum Extremæ Vnctionis.
Quæs. 2. Vtrùm Abbas, & Monachi possint Extremæ Vnctionis Sacramentum secularibus absque Parochi licentia conferre.
Quæs. 3. Vtrùm Abbas oblatis, Nouitijs, familiaribus, & seruitoribus, & alijs degentibus extra septa sui Monasterij possit Extremæ Vnctionis Sacramentum ministrare.

QVAESITVM I.

Vtrum Abbas possit administrare Sacramentum Extremæ Vnctionis.

SVMMARIVM.

1 *Sacerdos est Minister simpliciter necessarius Sacramenti Extremæ Vnctionis.*
2 *Sacramentum Extremæ Vnctionis non omnis Sacerdos ministrare potest.*
3 *Extremæ Vnctionis Sacramentum ministrare potest Abbas suis subditis.*

1 MInister simpliciter necessarius Sacramenti Extremæ Vnctionis est Presbyter, idest Sacerdos, vt docet *Illustriss. Bellarm.* ex auctoritate nonnullorum

lorum Conciliorum, & Patrum *tom. 2. controuers. Christ. fid. lib. 1. de Extrema Vnct. cap. 9.* quod colligitur ex illo *Iacobi cap. 5. Inducat presbyteros Ecclesiæ*, idest Sacerdotes, & hoc est expresse de fide tenêdum ex *Concil. Trident. sess. 14. de Extrema Vnct. can. 3.* vnde nulla de causa, nec etiam ob defectum Sacerdotis, non modo laicus, sed nec Diaconus quidem validè poterit tale Sacramentum administrare; prout communem esse Theologorum sentētiam testatur *Suar. tom. 4. in 3. p. D. Tho. dis. 43. sect. 1. n. 5. et seq. Regin. in praxi for. pœn. lib. 28. nu. 60.* Aduertendum tamen, quod quamuis quilibet Sacerdos, eo ipso quod
2 Sacerdos est, possit hoc Sacramētū validè ministrare: quia hoc non spectat ad iurisdictionē, sed ad potestatē Ordinis; tamen necessarium est, vt à proprio infirmi Sacerdote, idest eius Parocho, vel ab eo facultatem habente conferatur, vt aduertit idem *Suar. disp. 44. sect. 2. num. 3.* dicens, ità docere communiter
3 Doctores. Quibus sic positis, nō est quin Abbates possint suis subditis licitè, si velint, istud Sacramentum ministrare, cum non modò Ordinis, sed etiam iurisdictionis potestatem habeant; & non solum Parochi, sed Pastores, & Ordinarij suorum subditorum dicantur; Vnde poterunt etiam hoc munus alteri Sacerdoti committere, & hoc à nemine in controuersiam positum est, cum sit clarum; sed difficultas est, an Abbas, & Monachi possint sæcularibus, absquè Parochi licentia, huiusmodi Sacramentum conferre, quæ in sequenti quæsito elucidabitur.

QVAESITVM II.

Vtrum Abbas, & Monachi possint Extremæ Vnctionis Sacramentum secularibus, absq; Parochi licentia conferre.

SVMMARIVM.

1 *Extrema Vnctionis Sacramentum nequeunt Religiosi, absquè Parochorum licentia secularibus ministrare, sub pœna excommunicationis maioris.*
2 *Religiosi quia absente Parocho in casu necessitatis sine ipsius speciali licentia secularibus Sacramētum Extrema Vnctionis administrant an incurrant excomm. Clem. 1. de priuileg. ostenditur & nu. 3.*

1 QVoniam (vt supra dictum est) Extremæ Vnctionis Sacramentum ministrare proprium est Parochi, & Pastoris officium; illud propria auctoritate, & in materia adeo graui vsurpare, graue peccatum esset. Propterea (quod ad rē nostram facit) non licet Abbati, nec alijs Sacerdotibus Regularibus, Sacramentum Extremæ Vnct. laicis, sine proprij ipsorum Presbyteri, siue Parochi licentia, vel speciali Sedis Apostolicæ priuilegio ministrare, & contrarium facientes sunt ipso facto excommunicati; vt habetur in *Clem. 1. de priuileg.* Ab hac tamen excommunica-
2 tione exripiuntur illi Religiosi, qui absente Parocho, in casu necessitatis sine ipsius speciali licentia, sed interpretatiua, & præsumpta, secularibus huiusmodi Sacramentum administrauerint, ita *Sot. in 4. dist. 23. q. 2. art. 1. Sylu. verbo, Vnctio Extrema, q. 4. Reginald. in praxi for. pœnit. lib. 28. num. 61.* dicentes quod ad hoc vt Religiosi excusentur ab ea censura, & peccato, sufficit ratihabitio Parochi, vel quod præsumatur ipsum æquo animo tale factum laturum; Ità etiam *Caiet. in sum. verb. Excommunicatio, cap. 64. Sot. loc. cit. & Suar. tom. 4. in 3. par. dis. 44. sect. 2. nu. 3.* imò addit *Sotus*, quod nec etiā requiratur talis præsumpta ratihabitio ad eos excusandum, si tale Sacramentum laicis imminente iam morte conferrent; quia non est verisimile Ecclesiam velle priuare infirmum hoc Sacramento, & consequenter, nec in extrema necessitate cuiquam prohibere, qui illud possit administrare: vnde fit vt hoc idem procedat, si Parochus nollet expressè nec per se, nec per alium tale Sacramentum ministrare: dummodò scandalum vitetur, & constet Parochum id iniquè agere, atq; infirmum in extrema necessitate positum eodem Sacramento dignum esse; quia eo casu non censetur vsurpatum ius alienum, sed defendi innocentiam; vt ait idem *Suar. loc. cit.* Facit quoad hoc priuilegium quoddam concessum à Sixto IV. Fratribus Minoribus; *vt scilicet possint administrare Sacramenta Eucharistia, & Extrema Vnctionis illis, quorum Confessiones audierint, quandò Rectores, seu Curati eorum malitiosè, aut sine rationabili causa denegauerint, seu distulerint illa ipsis administrare, & voluit, quod super hoc stetur assertioni eorumdem Confessorum, vel pœnitentium*; ita habetur in *Monum. Ord. 1. impress. fol. 60. & 2. fol. 144. conc. 348.* quod priuilegium non fuit ablatum per Leonem X. in Conc. Lateranen. vt probat *Miran. tom. 1. mau. Prælat. q. 49. art. 1.* quia ab eodem Leone viuæ vocis oraculo iam ablatum re-
3 ualidatum est. Aduertendum autem est, quod licet *Sylu. loco cit.* cum Archidiacono sentiat Religiosos ministrantes hoc Sacramentum in prædicto casu extremæ necessitatis, absente Parocho, vel omnino illud ministrare renuente, incurrere in excommunicationem maiorem latæ sententiæ cominatam in *d. Clement. 1. de priuileg.* Tamen meritò eius dictum improbatur; & contrarium est verius, quia non est verisimile Summum Pontificem in Conc. voluisse, vt Religiosi proximis extremè indigentibus non subuenirent, sed tantum, vt iurisdictionem Parochorum non vsurparent, eo autem casu illam non vsurparent, quia Parochi essent irrationabiliter inniti, ita *Sot. & Caiet. loc. cit. Suar. d. sect. 2. num. 4. & de Relig. tom. 4. tract. 10. lib. 9. cap. 4. num. 9.*

QVAESITVM III.

Vtrùm Abbas oblatis, Nouitijs, familiaribus, & seruitoribus, & alijs degentibus intra septa sui Monasterij possit Extremę Vnctionis Sacramentum ministrare.

SVMMARIVM.

1 *Extrema Vnctionis Sacramentum potest Abbas Conuersis, siue Oblatis, & Nouitijs, & familiaribus, vel alijs degentibus intra septa sui Monasterij per se, vel per alium ministrare.*
2 *Concilium Tridentin. quid statuerit super familiaribus Religiosorum, ostenditur.*
3 *Familiarium nomine in iure qui veniant.*

4 *Familia quid significet.*
5 *Familiaris licet agrotet, tamen actu seruire intelligitur.*
6 *Familiaris vt quis dicatur, non est simpliciter necessarium seruire ob stipendium, vel mercedem.*
7 *Domesticus, & familiaris sunt synonima.*
8 *Domesticus propriè quis dicatur.*
9 *Familiarium Religionis priuilegijs vt quis gaudeat, non requiritur vt intra septa Monastery habitet, & Religiosis actu seruiat, sed sufficit alterutra conditio.*

1 QVod spectat ad Oblatos, seu Conuersos, siue
Donatos, & Nouitios dicendum est Abbatem
posse per se, vel per alium Sacerdotem illis Extremę
Vnctionis Sacramentum ministrare, ex priuilegio
Eugenij IV. Fratribus Minoribus concesso, quod habetur in *Mon.Ord. 1.impress. fol.61 & a.fol.64.conc.
85.* quod refert *Miran.in Man.Pralat.t.1.q.49.art.1.*
Quò autem ad sæculares seruitores; familiares, idem
etiam concessum est in eodem priuilegio cuius verba
hæc sunt. *Eugenius IV concessit Fratribus Minoribus
Obseruantibus Prouinciarum Regni Castella, quatenus singuli Pralati dicti Ordinis quocumquè nomine
censeantur, & Confessores per huiusmodi Pralatos
deputati singulorum Conuentuum, locorum, & Eremitoriorum possint omnes, et singulos Fratres professos,
Conuersos, atquè Nouitios habentes animum profitendi, necnon perpetuò Donatos, seù Oblatos præsentes, &
futuros, & quoscumquè pro tempore familiares, Seruitores, Officiales, & continuè Commensales domorum,
Conuentuum, locorum, siue Eremitoriorum supradictorum ab omnibus, & singulis peccatis, criminibus,
excessibus, & delictis (præterquam Sedi Apostolica
reseruatis) casibus, & ab omnibus, & singulis huiusmodi censuris supradictis, quas ex ignorantia, vel inaduertentia incurrerint, absoluere, eisque Eucharistia Sacramentum, & Extrema Vnctionis, & alia
Ecclesiastica Sacramenta ministrare toties quoties necessarium fuerit, vel opportunum; ipsiquè Pralati
omnia, & singula supradicta alijs ipsius Ordinis Presbyteris committere, ac in præmissis omnibus, et singulis cum facultate pramissa Confessores sibi eligere, &
electos mutare auctoritate pradicta valeant, Constitutionibus Apostolicis, atquè ipsius institutis, & ordinationibus, cæterisquè in contrarium facientibus non
obstantibus quibuscumquè, & quòd hac gratia sit perpetua*, Clemens etiàm IV. concessit eidem Fratribus Minoribus; *Vt his, qui in eorum obsequijs commorantur, cuncta liberè ministrare possint Ecclesiastica Sacramenta, & ipsos cum decesserint in eorum
Monasterijs sepelire*, vt in *Mon.Ord.1.impress.fol.56.
& a.fol.140.conc.315.* Item *Martinus IV. concessit
Monachis Sancti Benedicti Obseruantia Hispania,
vt Confessiones quorumcumque familiarium Monasteriorum commorantium audire, & pro eorum commissis debitam eis absolutionem impendere; nec non dictis
familiaribus, tàm intra, quàm extra septa prafata
commorantibus Ecclesiastica Sacramenta, quoties fuerit opportunum, ministrare valeant.*, Ita refertur in
Compen. Mendican. ver. familiares §. 10. Et Leo X.
concessit Fratribus Minimis, vt hoc Sacramentum
suis familiaribus in habitu sæculari seruientibus ministrare possint, vt refertur *in eorum Compen.ver.57.*
2 *et in Compen.Societatis ver familiares.§.2.* Est autem
dubium, qui nam in præsenti familiarium nomine
censeantur Nam *Conc.Trid.sess.24. de reform.cap.
11.* declarat, huiusmodi priuilegia extendi solum ad
eos, *qui actu seruiunt Religiosis, & intra eorum
septa, & domos resident, subquè eorum obedientia
viuunt*, per quæ verba videtur, duas conditiones requirere, & ad hoc vt censeantur familiares Religiosorum, & huiusmodi priuilegijs gaudere possint. Vna
est, vt habitent intra septa, & domos Religionum.
Altera, vt actu seruiant Religiosis, & sub eorum
obedientia viuant, dicuntur autem viuere sub eorum
obedientia, non quòd sit necessarium, vt obedientiam
religiosam promittant, quia sic Conuersi essent, non
familiares; sed quia ratione seruitij præstandi consequenter obedire debent; & hæc vtraque conditio
necessaria est ex decreto Concil vt patet ex eius ver-
3 bis. Vt autem hoc magis elucescat, videndum est qui
Iure familiarium nomine veniant, quod tractant Doctores in *c.vlt. de verb.signif. in 6.* & in *c.in literis ext.
de testib.* vbi *Felin.num.1* ait, quod cum familiares
dicantur à familia: sicut familia multipliciter sumi-
4 tur, ita etiam familiares. Nàm familia, vel significat gentem, vel cognationem, vel seruos, vel filios,
vel plures, qui degunt sub vno conuictu, & vna domo vt *l.iustissimè § familia ff. de adilit. edict.* tamen
frequentiori vsu dicuntur familiares alicuius illi, qui
ei aliquo modo inseruiunt, & commensales sunt, &
cum eo regulariter cohabitant, vt colligitur ex *d.
c.vlt.de verb.signif.in 6.* ex illis verbis, *in tuis expensis continuò domestics commensales* vbi *glos.* aduertit
verbū illud, *continuè* ciuili modo esse intelligendum,
& non tam amarè, vt aliquando abesse nō possint, non
solum pro negotijs domini, vt in eodem textu declaratur; verū etiam pro negotijs proprijs subdit autem
5 *d.glos.* in verbo, *pro tuis*, quod licet familiaris ægroter, tamen actu seruire intelligitur per tex. in *l.cum
6 hares §.Stichus ff.de statuliber.* Nec simpliciter necessarium est seruire ob stipendium, vel mercedem ad
hoc, vt quis familiaris dicatur; quia etiam famulus
gratis seruiens familiaris, & domesticus dicitur; vt
contra *Specul.* resoluit *Felin.* vbi proximè, *arg.l.si libertus ff.de furt.* vbi cliens domesticus appellatur; sed
7 quicumq; familiaris dicitur domesticus, nā familiaris, & domesticus sunt sinonyma, vt tradit idē *Felin.*
8 Domesticus autem propriè ille dicitur, qui in eadem
domo habitat, & est aliquo modo inferior, vel subiectus capiti familiæ tex. in *l.respiciendū §.delinquunt
ff.de pæn.Bald. in l.2.C.de testib.Arebidiac. in c. regula 29.* & alij apud *Felin.loc.cit.* Ergo rectè per Concilium requiritur, vt familiares, qui talibus priuilegijs gaudere debent, actu seruiant, & intrà septa
Monasteriorum cohabitent. Tamen ex vigore priuilegiorum dicendum est, non requiri vtramquè conditionem, sed sufficere alterutram; nam in priuilegio concesso à Clemente IV. Fratribus Minoribus requiritur solum, vt in eorum obsequijs commorentur;
quod fieri potest, etiam si intra septa Monasterij non
cohabitent; & in priuilegio Martini V. Monachis Benedictinis de Obseruantia in Hispania concesso, expressè dicitur, *Vt dictis familiaribus, tàm intrà, quàm
extrà septa Monastery commorantibus Ecclesiastica Sacramenta*

cramenta, quoties fuerit opportunum, ministrare valeant, ergo possunt esse familiares, & eis Sacramenta ministrari, etiam quod non in eadem domo cohabitent; Et sic vel non omnes familiares sunt domestici, vel si sunt, appellatio domestici sumenda est latius, non à domo materialiter sumpta, sed formaliter, vt dicit congregationem domesticam seu familiarem. Quod autem sufficiat altera conditio, scilicet, quod habitent in eadem domo, & Monasterio, non tamen actu seruiant, colligitur ex concessione facta Benedictinis Hispaniæ, *vt possint ijs, qui intra septa Monasteriorum, seu domorum Religionis infirmati fuerint, Extremam Vnctionem Apostolica auctoritate liberè, & licitè, Parochialis Presbyteri, vel alterius cuiuscumque Episcopi licentia, vel assensu nullatenus requisita ministrare*, vt refertur in *Compend. Mendican. verbo, Vnctio Extrema, §. 1. & in Compend. Societ. eod. ver.* In qua concessione solùm requiritur, vt intra septa Monasterij aliquis ægrotet: nec fit aliqua mentio familiaritatis, obsequij, vel seruitutis. Neque obstat supradictum decretum *Conc. Trident.* quia Pius V. viuæ vocis oraculo absolutè, & sine limitatione declarauit, vt gratiæ huiusmodi non censeantur derogatæ, nec restrictæ per *Concil. Trident.* vt refert *Emanuel Roderic. quæst. Regul. tom. 1. q. 56. art. vlt. vers. sed respondetur, & Collect. priuileg. Societ. Iesu, verb. Concilium Tridentinum, §. 3.* vbi in scholio additur hanc confirmationem, seu teualidationem Pij V. intelligendam esse in foro conscientiæ, & quoad casus occultos tantùm; quia pro huiusmodi tantum concessiones viuæ vocis oraculo fieri solent. Vndè cum Pius V. absolutè, & absquè vlla limitatione in præfato viuæ vocis oraculo concedat, vt Mendicantes possint vti gratijs, & indultis ante a sibi concessis, etia quoad illa, quæ per Concilium Tridentinum derogata, aut restricta sunt, vt referunt citati Auctores, dicendum est citata priuilegia valida esse, & ideò posse Religiosos eorum vigore ministrare Extremæ Vnctionis, vel etiam Eucharistiæ Sacramentum suis familiaribus, qui vel intra septa, ac domos Religionum cohabitant, vel actu ipsis Religiosis inseruiunt; nec est necesse vtramquè conditionem adesse; sed diuisim quælibet earum per se sufficiet: Verumquia supradicta Pij V. concessio; cum sit viuæ vocis oraculum, non est absoluta, sed solum in foro conscientiæ, siuè occultò: ideò si Parochi aliquod ius circa huiusmodi personas sibi vendicare vellent, & in externo foro illud postularent, non possent eis virtute priuilegiorũ resisti, nisi quatenùs ea per Concilium Tridentinum restricta non sint; quamdiù autem ipsi non resistunt, integrum est Religiosis tuta conscientia iuxta Pij V. concessionem suis priuilegijs vti. Sic *Suarez de Relig. tom. 4. tract. 10. lib. 9. cap. 4. num. 12.*

DISPVTATIO VIII.

De potestate Abbatum, & aliorum Prælatorum inferiorum quoad Sacramentum Matrimonij.

Quæst. 1. Vtrùm Abbas, vel alius Prælatus Inferior possit Matrimonijs contrahendis interesse.
Quæst. 2. Quæ licentia Parochorum sit necessaria Abbatibus, vel alijs Regularibus Sacerdotibus, vt Matrimonijs contrahendis assistere valeant.
Quæst. 3. In quam pœnam incidant Abbates, vel alij Sacerdotes Regulares absquè Parochorum licentia Matrimonia solemnizantes.
Quæst. 4. Vtrùm Abbates, vel alij Prælati habentes Populum, in quem Iurisdictionem exerceant, possint denunciationes Matrimoniorum remittere.
Quæst. 5. Vtrùm Abbas Commendatarius possit easdem denunciationes remittere.

QVAESITVM I.

Vtrum Abbas vel alius Prælatus inferior possit Matrimonijs contrahendis interesse.

SVMMARIVM.

1 *Matrimonijs contrahendis necessarium est Parochum, vel alium Sacerdotem de eius, vel Ordinarij licentia interesse.*
2 *Matrimonijs contrahendis interesse potest Abbas in Ecclesijs ab alio Ordinario exemptis, & sibi pleno iure subiectis, in quibus iurisdictionem Episcopalem habet, vel in quibus animarum cura annexa est, vt num 3.*
4 *Abbas, & alij Sacerdotes Regulares possunt de licentia Parochi, vel Ordinarij, Matrimonijs contrahendis interesse, & matrimonia solemnizare nu. seq.*
6 *Ordinarij appellatione venit etiam Vicarius Episcopi, ac aliorum Prælatorum inferiorum iurisdictionem Episcopalem habentium.*

CErtum est, quod in Matrimonijs contrahendis, ex communi Ecclesiæ traditione, semper opus fuit aliquem Sacerdotem interesse, præcipuè post *Conc. Trid. sess. 24. de reform. cap. 1.* vbi loquendo de matrimonio ait. *Qui aliter, quàm præsente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, seu Ordinarij licentia, & duobus, vel tribus testibus, matrimonium contrahere attentabunt, eos Sancta Synodus, ad sic contrahẽdum omninò inhabiles reddit, & huiusmodi contractus irritos, & nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit, & annullat:* Videndum est igitur an Abbates, & Sacerdotes Regulares possint

2 sint Matrimonijs contrahendis assistere. Pro quo dico primo Abbatē posse validè Matrimonijs contrahēdis assistere in Ecclesijs nulli Episcopo, sed sibi pleno iure subiectis, in quibus iurisdictionē Episcopalē habet; Ità *Sanch. de Matr. lib. 3. disp. 28. nu. 6. Regin. in praxi lib. 31. num. 178. Petr. Ledes. de matr. q. 45. art. 5. punc. 3.* paulo ante *dubit. 4. Cōcl. 3. Enriq. lib. 12. cap. 3. Gutter. in tract. de matrim. cap. 66. num. 6. Basil Pont. de imped. matrim. cap. 26. §. 6. vers. idem quod, D. August. Barbos. de offic. & potest. Episcopi alleg. 32. n. 122.* idem confirmant *Aegidius de Coninch. in 2. 2. D. Thom. disput. 27 num. 17. Bonacin. de matrim. q. 2. punct. 8. nu. 10. & Vgol. de potest. Episc. c. 15. §. 19 n. 3. in fin.* dicentes posse Matrimonijs contrahendis assistere habētes iurisdictionem quasi Episcopalem; & in talibus Ecclesijs non solum possunt, præsentiam matrimonijs contrahendis præstare, verùm etiam concedere licentiam alicui Sacerdoti, siue seculari, siue Regulari eis assistendi, vt aiunt Doctores citati.

3 Dico secundò. In Ecclesijs, quibus est annexa cura animarum, etiam quod Abbati pleno iure quoad sæculares non sint subiectæ, potest tamen idē Abbas matrimonijs Parochianorum contrahendis interuenire, tunc enim se habet tāquàm Parochus, ad quem spectat Parochianorum suorum matrimonijs interesse, vel alium Sacerdotem ad id delegare *Concil. Triden. loco cit.*

4 Dico tertiò. Abbas, & alij Sacerdotes Regulares, etiam vbi Ecclesias sibi pleno iure subiectas non habent, nec Parochorum munus exercent, de licentia Ordinarij loci, vel Parochi possunt Matrimonijs assistere; ita *Miran. in manu. Prælat. tom. 1. q. 48. art. 1. concl. 1. D. Barbos. d. alleg. 32. nu. 108.* probatur ex *Conc. Trid. loc. cit.* in eo enim, matrimonijs validè cōtrahendis, requiritur præsentia Parochi, vel alterius Sacerdotis de licentia eius, vel Ordinarij.

5 Dico quartò Abbas, vel alij Sacerdotes poterunt licitè de Parochi, vel Ordinarij licentia Matrimonia solemnizare. Probatur *ex Clem. Religiosi de priuileg. et excess. priuileg.* vbi strictè præcipitur Religiosis, ne audeant Sacramentum Extremæ Vnctionis, vel Eucharistiæ ministrare, vel Matrimonia solemnizare, non habita super his parochialis Presbyteri licentia: ex quibus à contrario sensu colligitur quòd obtenta speciali facultate, poterunt id ipsum facere; & quamuis ibi dicatur (Matrimonia solemnizare) hæc verba sunt intelligenda de benedictione nuptiali, iuxtà expositionē *glo.* ibidem; quod si hòc eis licebit de licentia Parochi, multò magis poterūt de licentia Episcopi, vel eius generalis Vicarij, maximè cum in Conc. vbi supra, traditur Ordinario facultas huiusmodi licentiam concedendi; & appellatione Ordina-

6 rij venit etiam Vicarius generalis Episcopi per *glos. in c. Romana vers. generaliter de appell. lib. 6. & in cap. 2. verb. officialem, de offic. Vicar. eod. lib.* & alij plures, quos magno numero congerit, & sequitur *Sanch. in tract. de matr. lib. 3. disp. 29. nu. 3.* Et quod Vicarius Episcopi possit hanc licentiam concedere sustinent *Nauar. lib. 4. consil. tit. de sponsal. in 1. edit. cons. 47. nu. 1. in 2. tit. de clandest. desponsat. cons. 14. num. 1. Henriq. lib. 11. de Matrimon. cap. 3. nu. 4. Sanch. ead. disp. 29. num. 18. D. August. Barbos. d. alleg. 32. num. 117. &* alij apud ipsum, & apud *Sanch.* vbi proximè.

Idem dicendum est de Vicarijs Abbatū, & Prælatorū inferiorū habentiū territoriū cum iurisdictione Episcopali, quia hi sunt Ordinarij, & Ordinariorū appellatione cōprehenduntur vt probat *Mart. Ant. Cuchus lib. 2. instit. maior. tit. 8. nu. 156. Sanch. d. disp. 29. nu. 4.* Et ita tenent *Nauar.* vbi proximè, *et Sanch. loco etiam cit. num. 19.* Patet igitur, quòd absque Parochorum, vel Ordinariorum licentia nequeunt Abbates Regulares, neque alij Religiosi licitè Matrimonijs contrahendis interesse, nec eorū præsentia aliquid ad Matrimonij valorem conferret, quia *Conc. Trid. loc. cit.* ad hoc requirit præsentiam Parochi, vel alterius Sacerdotis de ipsius, vel Ordinarij licentia.

QVAESITVM II.

Quæ licentia Parochorum sit necessaria Abbatibus, vel alijs Regularibus Sacerdotibus, vt Matrimonijs contrahendis assistere valeant.

SVMMARIVM.

1 *Licentia Matrimonijs assistendi, vel illa solemnizandi, sufficit quod concedatur generaliter ad exercenda ea, quæ spectant ad curam animarum.*

2 *Sacerdos non debet facile credere asserentibus se habere licentiam à Parocho, vel Ordinario, vt ipsos matrimonio iungant.*

1 Respondeo dicendo, quod ad hoc vt Abbas, vel etiam alij Sacerdotes Regulares Matrimonijs contrahendis assistere, vel benedictionem solemnem sponsis ministrare valeant, satis erit à Parochis, vel Ordinarijs obtinere generalem licentiam ad exercenda ea, quæ pertinēt ad curam animarum, *Nauar. cons. 3. de clandest. despons. Enriq. in sum. lib. 11. cap. 3. nu. 5.* Non sufficeret autem licentia ministrandi Sacramenta; nam solet intelligi de Sacramentis Confessionis, & Eucharistiæ, quæ sunt Sacramenta necessitatis, & ad summum intelligitur de Sacramento Baptismi, vt ait *Filliuc. quæst. moral. tom. 1. tract. 10. de Sacram. Matrim. par. 1. cap. 6. n. 218.* Sufficit etiam, quod dicta licentia verbo concedatur, nec est necessarium, quòd fiat in scriptis; quia dispensatio verbis fieri potest; nisi ad actus validitatem lex scripturam requirat *glos. in c. 1. de cens. lib. 6. Nauar. cons. 12. de*

2 *clandest. despons.* Aduertendum hic quòd Abbates, & alij Sacerdotes regulariter non debent credere dicentibus se obtinere facultatem à Parocho, vt ipsos matrimonio iungant; si tamen persona id affirmans esset magna fide digna, posset illi fides adhiberi, vt ait *Sanch. de matrim. lib. 3. disp. 37. num 3.*

QVAESITVM III.

In quam pœnam incidant Abbates, vel alij Sacerdotes Regulares absq; Parochorum licentia Matrimonia solemnizantes.

SVMMARIVM.

1 *Abbates, vel alij Sacerdotes Regulares, absque Parocho-*

rochorum licentia, matrimonia ſolemnizantes incurrunt pœnam ſuſpenſionis, non autem excommunicationis latæ ſententiæ.

RESpondeo dicendo, quod per *tex. in Clem. Religioſi de priuil. & exceſſ. priuil.* ipſo facto incidunt in pœnam excommunicationis Sedi Apoſt. reſeruatæ. Verum hæc pœna moderata eſt per *Concil. Trid. ſeſſ. 24. c. 1 de refor. matr.* vbi de hoc diſponens, ait, *quod ſi quis Parochus, vel alius Sacerdos, ſiue Regularis, ſiue ſecularis ſit, etiamſi id ſibi ex priuilegio, vel immemorabili conſuetudine licere contendat, alterius* Parochiæ *ſponſos ſine illorum* Parochi *licentia matrimonio coniungere, aut benedicere auſus fuerit, ipſo iure tandiu ſuſpenſus maneat, quandiu ab Ordinario eius* Parochi, *qui matrimonio intereſſe debebat, ſeu à quo benedictio ſuſcipienda erat, abſoluatur*. Atq; quod
1 incurrant pœnam ſuſpenſionis in Conc. poſitam, non
autem pœnam excõmunicationis latæ ſententiæ, poſitam in *d. Clem. 1.* tenent *Enriq. lib. 13. cap. 38. §. 2. in com. lit. E. Suar. de cenſ. diſp. 2. ſect. 4. nu. 13. Sayr. eod. tract. lib. 4. c. 15. nu. 2. Bonac. eod. tract. diſp. 3. q. 6. p. 5. n. 19. in fi. & de matr. q. 4. punct. 6. nu. 3. Baſil. Ponc. de imped. matr. c. 26. §. 2. verſ. ex quibus cond. 10. & §. in princ.* Licet contrarium teneat *Nau. conſ. 1. ſub tit. de pœn. n. 7. in 1. edit. & conſ. 10. ſub tit. de conſt. in 2. edit. Maiol. de irreg. lib. 3. c. 25. nu. 12. verſ. clandeſtinum. Vgol. de poteſt. Epiſc. c. 15. §. 12. nu. 8. Sanch. lib. 3. diſp. 48. nu. 8. & 9. Mari. Alter. de cenſur. tom. 2. diſp. 11. de ſuſp. c. 4. ver. ſed quæret. Miran. tom. 1. man. Præl. q. 48. art. 2. D. Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſ. alleg. 32. n. 192.*

QVAESITVM IV.

Vtrùm Abbates, vel alij Prælati habentes Populum, in quem Iuriſdictionem exerceant, poſſint denunciationes Matrimoniorum remittere.

SVMMARIVM.

1 *Ordinarius loci diſpenſare poteſt, vt matrimonium diſpenſato denunciationes remittantur.*
2 *Matrimoniorum denunciationes remittere poſſunt Abbates, & Prælati habentes territorium in quo Epiſcopalem iuriſdictionem exercent.*

NOtandum eſt, quòd de iure antiquo, non poterant Epiſcopi diſpenſare, nè præmitterentur matrimonium denunciationes, ſtante *Lateran. Conc. decreto in c. cum inhibitio, de clãd. deſponſat.* de qua re *Sanch. de matr. lib. 3. diſp. 7. n. 1.* hodie verò per diſpoſitionem *Concil. Trid. ſeſſ. 24. de refor. matr. c. 1.* poteſt
1 loci Ordinarius præcedente cauſa legitima, diſpenſa-
re, vt omittantur omnes denunciationes, vel illarum aliqua ante, & poſt matrimonij conſumationẽ, vt patet ex verbis *d. c.* quę ſequũtur; *quod ſi aliquando probabilis fuerit ſuſpicio, matrimoniũ malitioſè impediri poſſe, ſi tot præceſſerint denunciationes; tũc vel vna tantum denunciatio fiat, vel ſaltem Parocho, & duobus, vel tribus teſtibus præſentibus, matrimonium celebretur: deinde ante illius conſumationem denũciationes in Eccleſia fiant, vt ſi aliqua ſubſint impedimenta facilius detegantur, niſi Ordinarius ipſe expedire iudicauerit, vt prædicta denunciationes remittantur, quod illius prudentiæ, & iudicio S. Synodus relinquit:* ita etiam affirmant *Poſſeu. de offic. Cur. c. 10. de matr. nu. 2. Menoch. conſ. 453. nu. 5. Henriq. in ſum. lib. 11. cap. 5. §. 5. Franc. Leo in theſ. fori Eccleſ. p. 2. c. 9. n. 11. Vgol. de poteſt. Epiſ. c. 60. n. 3. Salz. ad* Bern. Diaz *c. 75. aliàs 76. in nouiſſ. edit. Molin. de ritu nupt. lib. 2. diſſ. 11. num. 58. Campan. in diuerſ. iur. can. rub. 6. c. 3. n. 42. Regin. in prax. for. pœn. lib. 31. nu. 232.* vbi ait non ſolum Ordinarium poſſe, denũciationes remittere, ſed etiam poſſe breuiare, vel prolongare illarum tempus, & ex iuſta cauſa poſſe diſpenſare, vt ipſæ denunciationes fiant diebus ferialibus; quia vtrumq; minus eſt, quàm denũciationes ipſas omninò remittere; nec rationi conſentaneum eſt, putare, negari id, quod minus eſt, ſi maius conceditur. Hæc autem omnia ſicut procedunt de
2 Epiſcopis, pari ratione cenſenda ſunt procedere de
Abbatibus loci Ordinarijs habẽtibus territoriũ, vbi Epiſcopalẽ iuriſdictionẽ exercẽt, ac nulli Diœceſano ſunt ſubiecti; quia veniũt Ordinariorum appellatione: & regulariter poſſunt omnia circa ea, quę ſunt iuriſdictionis, quę poſſunt Epiſcopi in propria Diœceſi, vt probauimus in *1. tom. diſp. 1. q. 3.* Concilium autem id committit Ordinario. Et quod Abbates huiuſmodi locorum Ordinarij poſsint dictas denunciationes remittere tenent *Nau. lib. 4. conſ. in 1. edit. de ſponſ. conſ. 5. in 2. tit. de cland. deſponſat. conſ. 2. Henriq. lib. 11. de matr. c. 5. nu. 5. Roder. 2. tom. ſum. in 2. edit. c. 217. n. 4. Sanch. d. diſp. 7. nu. 4. Flor. de Mena. var. reſol. lib. 3. q. 24. n. 26. Sayr. deciſ. 9. de ſponſ. Mol. de ritu nupt. lib. 2. diſſ. 51. n. 6. Grat. diſcep. for. c. 84. n. 15. D. Barboſ. de off. & poteſt. Epiſ. p. 2. alleg. 32. n. 32. Regin. loc. ſupradicto.*

QVAESITVM V.

Vtrùm Abbas Commendatarius poſſit eaſdem denunciationes remittere.

SVMMARIVM.

1 *Titularis quicquid poteſt ratione dignitatis poteſt etiam Commendatarius.*
2 *Commendatarius Abbas poteſt matrimoniorum denunciationes remittere.*

SVpra viſum eſt Abbates titulares locorum Ordinarios poſſe in ſuo diſtrictu denunciationes matrimoniorum remittere; nunc videndum eſt, an eamdem poteſtatem retineant Abbates Commendata-
1 rij. Ad quod reſpondeo affirmatiuè; nam quicquid
poteſt titularis ratione dignitatis, poteſt etiam illius Commendatarius, vt ait *Dec. in c. edoceri, de reſcript. Panor. in c. querelam, de elect.* Tum etiam, quia cum Abbates Cõmendatarij dicantur Ordinarij, ex *gloſſ. & tex. in c. ordinarij, de offic. Ord. in 6. & c. cum ab Ec-*
2 *cleſiarum, extra eod. tit.* Et Concilium loquatur de
Ordinarijs indefinitè: licebit etiam ipſis Commendatarijs, eaſdem denunciationes remittere, vt affirmant *Flor. de Mena, Sayr.* Molin. *Stephan. Grat. & D. Barboſa locis in ſuperiori quæſito citatis*, idem etiam tenent *Petr. de Ledeſm. in ſum. par. 1. de Sacramento Matrimon. c. 6. concluſ. 7. dub. 1. Gonzal. ad regulam* 8. *Cancell. gloſ. 5. §. 8. num. 28.*

DISPVTATIO IX.

De potestate Abbatum, & Prælatorum inferiorum quoad Indulgentias, & absolutiones concedendas.

QVAESITVM I.

Vtrùm Abbates, & Prælati inferiores possint Indulgentias concedere.

SVMMARIVM.

1 *Prælatus nullus Episcopo inferior potest iure proprio Indulgentias concedere.*
2 *Summus Pontifex primario potest Indulgentias concedere, vt Supremus Ecclesiæ Princeps.*
3 *Indulgentias concedendi potestas est iurisdictionis, non ordinis.*
4 *Priuilegio speciali Sedis Apostolicæ possunt etiam Abbates, & alij Prælati inferiores Indulgentias etiam plenarias concedere.*
5 *Opinio Medinæ in hac re, & eius rationes referũtur.*

1 NVllus Prælatus Episcopo inferior iure proprio Indulgentias concedere potest; vt expresse prohibetur in *cap. accedentibus, de excessib. Prælat.* & tradunt Doctores communiter ibi., & in *cap. nostro de pœnit. & remiss.* Ratio est, quia facultas distribuendi bona publica principaliter conuenit Supremo Principi, & Vniuersali Ecclesiæ Rectori, idest
2 Summo Pontifici, qui solus potest primario Indulgentias cõcedere; Cæteri verò quatenus ab ipso conceditur, vt aiunt *S. Thom. in addit. ad 3. par. q. 26. art. 3. Bellarmin. lib. 1. de Indulgent. cap. 55. Suar. tom. 4. in 3. p. disp. 49. sect. 1. num. 13.* & alij apud *Bonac. de Sacrament. disp. 6. q. 1. punct. 3. num. 1.* Ideo licet Abbates, & alij huiusmodi Prælati Episcopo inferiores tàm Regulares, quàm seculares habeant iurisdictionem quasi Episcopalem, & potestas concedẽdi Indul-
3 gentias sit iurisdictionis, nõ Ordinis, *cap. quod autem, de pœnit. & remiss.* & tradunt communiter Doctores: non tamen possunt, sicut Episcopi Indulgentias concedere; quia (vt dictum est) hæc potestas primariò est in Summo Pontifice, Episcopi autem, eam ab illo accipiunt, & tantum possunt in hac re, quantum illis à Sede Apostolica permissum fuerit, & ideo iurisdictio prædictorum inferiorum Prælatorum non est extendenda ad hunc actum iurisdictionis Episcopalis, quæ in hoc est limitata, & in totum à Summi Pontificis concessione dependet. Atq; ita resoluunt *Nauar. tract. de Indulgent. not. 31. Bellarm. d. lib. 1. cap. 11. q. 3. Corb. de iurisd. ordin. in exempt. par. 4. q. 54. Henriq. in sum. lib. 7. cap. 21. §. 5. Azor. inst. moral. par. 2. lib. 3. cap. 55. q. 3. Cordub. in quæstion. lib. 5. q. 15. proposit. 9. Mirand. man. Prælat. tom. 2. q. 9. art. 2. Bonac. d. punct. 3. num. 18. Franc. Leo in thes. for. Eccles. par. 1. cap. 7. num. 19. D. August. Barbos. de offic. & potest. Episc. par. 3. alleg. 88. num. 17. & 19. Regnald. in praxi lib. 7. num. 115.*

4 Dixi in principio quæsiti (iure proprio non posse Prælatos prædictos Indulgentias concedere) ne excludantur illi Prælati, qui priuilegio speciali Sedis Apostolicæ potestatẽ habent Indulgentias concedendi, vt sunt multi, præcipuè Prælati Regulares, qui Indulgentias etiam plenarias suis subditis concedere possunt, vt constat ex *Compen. priuileg. Mend. verb. Indulgentia plenaria quoad Fratres §. 16. ver. Indulgentia quoad seculares §. 7. & 8.* de qua re fuse *Mirand. tom. 2. manual. Prælat. q. 9. art. 2. conclus. 2.* & vtrum possint secularibus inter Missarum solemnia Indulgentias concedere dicemus in seq. quæsito.

5 Verum Pater *Medina Franciscanus in lib. de Indulg. disp. 6. cap. 29.* affirmat Abbates, aliosq; Prælatos Regulares Indulgentias posse concedere, quia cum & ipsi Iure Diuino sint in Ecclesia Dei Prælati constituti, & iurisdictionem eorum multi habeant quasi Episcopalem, ac subditorum opera meritoria possint alijs applicare, poterunt ad instar Episcoporum Indulgentias concedere. Imò multis rationibus respondet *cap. accedentibus, de excessibus Prælat.* in quo reprehenduntur quidam Abbates, qui Indulgentias concedebant, vel quia non erant exempti, sed Episcopo subiecti, aut quia non habebant iurisdictionem Episcopalem, vel quasi Episcopalem, vel quia excedebant limites, quam sententiam nimis probabilem appellat *Mirand. loc. cit. conclus. prima,* eam tamen in suo robore relinquens, priorem vt supra explicatam, & probatam cum alijs fere omnibus Doctoribus libenter sequor.

QVAESITVM II.

Vtrùm Abbas possit inter Missarum Pontificalium solemnia Indulgentias concedere.

SVMMARIVM.

1 *Abbas potest inter Missæ Pontificalis solemnia Indulgentias concedere.*

1 Consueuerunt Episcopi cum dant benedictionem solemnem in Missa plerumque, non tamen in Vesperis, Indulgentias concedere pro eorum facultate, scilicet si erit Episcopus, vel Archiepiscopus, dierum quadraginta, si verò Episcopus esset simul Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, centum; quæ indulgentia cum datur benedictio infra Missam post sermonem, & post Confessionem, à sermocinante, publicatur statim finita Confessione, antequam detur benedictio; nam data benedictione in fine Missæ non publicatur amplius. Quandò autem non sermocinatur, finita Missa Pontificali, statim post solemnem benedictionem publicatur per Presbyterum assistentem, si Episcopus celebret, vel eo non celebrante, per ipsummet Canonicum celebrantem, præsente Episcopo; cuius benedictionis formula hæc est. *Reuerendissimus in Christo pater, & Dominus Dominus N. Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus N. dat, & concedit omnibus hic præsentibus quadraginta dies de vera Indulgentia in forma Ecclesiæ consueta. Rogate Deum pro felici statu Sanctissimi Domini Nostri Domini N. Papæ N. Dominationis sua Reuerendissima, & Sanctæ Matris Ecclesiæ.* Videndum est modo, an Abbas possit concedere has Indulgentias. Et est dicendum, quod sic; 1 quia ex speciali priuilegio id ei concessum est, vt habetur apud *Stephan. Quaranta in summ. Bullar. excussa Venetijs apud Iuntas anno 1619. fol. 3. in fine;* quod priuilegium concessum fuit Abbati Montis Virginis, cuius autem verba sunt hæc. *Nos itaque ob deuotionem Beatæ Mariæ Virginis gloriosæ, in cuius honore dictum Monasterium est fundatum, vestris supplicationibus inclinati, vsum Mitræ, Baculi, Anuli, Sandalium, Chirotecarum, Tunicæ, Dalmaticæ, benedictione solemni ad populum, Ordinatione Minorum Ordinum, Indulgentia dierum, benedicere etiam Calices, & omnia alia ornamenta Ecclesiastica, & cognoscere de Matrimonio inter Vasallos, in quibus habetis spiritualia, tibi fili Abbas, & successoribus tuis in perpetuum; dummodo tibi, & eisdem successoribus sit more, ac modo debito munus benedictionis impensum, & te, ac eos contigerit existere Sacerdotes, auctoritate præsentium concedimus ex gratia* 1 *speciali:* quod priuilegium extenditur ad omnes Congregationes, quæ eius priuilegiorum communicatione fruuntur. Simile priuilegium concessit Pius Quintus Abbatibus Canonicis Regularis Lateranen. sub Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno 1566. 16. Kalend. Februar. Pontif. sui anno primo, vt habetur in *lib. priuileg. eiusdem Congregat. fol. 54.* quo priuilegio vsus est anno 1614. die 2. Iulij in festo Visitationis Beatissimæ Virginis in Templo suo Pacis Romæ coram duodecim illustrissimis Cardinalibus Reuerendissimus D. Ioannes Chrysostomus Neapolitanus eiusdem loci Abbas, vt refert *D. Gabriel. Pennot. in sua tripart. histor. lib. 3. cap. 33. num. 4.* Hoc idem priuilegium per multos annos antea concessum fuisse Priori Sancti Frigdiani Ciuitatis Lucensis eiusdem Congregationis Canonicorum Regularium elicitur ex Bulla Bonifacij Noni, sub Datum Romæ apud Sanctum Petrum octauo Idus Aprilis, Pontificatus sui anno vndecimo, quæ incipit. *Sacra Religionis:* & refertur in *lib. priuileg. dictæ Congregationis pag. 274.* Cuius verba circa numerum dierum, pro quibus Indulgentia enunciatur hæc sunt. *Nosque cupientes reddere Domino populum acceptabilem, & bonorum operum sectatorem tuis in hac parte supplicationibus inclinati Priori præfatæ Ecclesiæ pro tempore existenti, dum Missam, & alia Diuina Officia in Pontificalibus celebrabit in fine dictorum Missæ, & Officiorum vniuersis, & singulis Christifidelibus prædictis adstantibus relaxandi quadraginta dies de iniunctis eis pœnitentijs de Apostolicæ plenitudine potestatis facultatem plenariam tenore præsentium elargimur, tibique potestatem populo prædicto adstanti concedimus nunciari faciendi.*

Ex quo priuilegio collige posse prædictum Priorem Sancti Frigdiani, omnesque Abbates eiusdem Congregationis Canonicorum Regularium, necnon omnes alios Abbates eum illis in priuilegijs communicantes nedùm in fine Missæ solemnis, verum etiam post alia Diuina Officia, quando eos Pontificaliter celebrare contigerit, prædictas Indulgentias, adstanti populo elargiri.

QVAESITVM III.

Vtrùm Abbates, & alij Prælati Regulares possint suorum subditorum orationum, & satisfactionum alios participes efficere.

SVMMARIVM.

1 *Merita sua propria potest vnusquisque cuicumque voluerit applicare, sed antequam reponantur in vniuersali thesauro Ecclesiæ.*

2 *Abbates, & alij Prælati Regulares possunt suorum subditorum suffragia, & orationes alijs applicare.*

3 *Subditus si vni, Abbas vero alteri suffragia applicaret, cui prosint, ostenditur.*

4 *Satisfactionem subdito necessariam Abbas alteri applicare non potest.*

Cum quilibet sui proprij meriti, & satisfactionis dominium aequirat, consequens est posse huiusmodi meritum cuicumque voluerit applicare, & orationum, & aliorum bonorum spiritualium, quorum dominium sortitur ille, qui bene orat, & Deo fidelitèr seruit, cui voluerit, poterit applicare, sed antequam constituantur, & reponantur prædicta merita, & spirituales satisfactiones in vniuersali Thesauro Ecclesiæ, vt notat *Nugnus in addit. ad 3. part. Diui Thom. quæst. 25. art. 1. quæst. 2.*

2 Vnde cum Abbates, & Prælati Religiosorum dominium voluntatum suorum subditorum ex vi Obedientiæ Voti in eorum manibus emissi habeant, poterunt cuicumque voluerint eorum merita, & orationes, oblationes, aliaque opera meritoria applicare. Ita affirmant communiter Doctores *S. Thom. in 4. sentent. dist. 20. quæst. 1. art. 1. Nauar. tit. Miscellan. de Psalter. Beatæ Virginis Miscellan. 11. num. 4. Graff. in append. lib. 2. cap. 2. num. 18. 19. & 20. Cordub. in quæstion. lib. 5. de Indulgent. quæst. 42. vers. ad quartum dictum, Reginald. in praxi lib. 7. num. 124.*

Digitized by Google

num. 124. *Suarez tom.* 4. *disput.* 48. *sect.* 8. *num.* 29. *& disp.* 55. *ratione* 5. *num.* 3. *Sot. in* 4. *distinct.* 21. *quaest.* 1. *art.* 4. & alij.

Ideo non solum ex priuilegio poterunt Abbates, & Prælati Regulares subditorum orationum, & suffragiorum alios participes facere, vt probat *Miranda tom.* 2. *manual. q.* 49. *art.* 2. *concl.* 2. sed etiam de iure communi ex decreto *Pelagij Papæ in can. nullam* 18. *q.* 2. per illa verba. *Tota bonorum Monasterij administratio ad Abbatem pertinet, & est penes ipsum Abbatem*; quæ verba non solum de bonis temporalibus, verum etiam de spiritualibus intelligenda esse, ait *Nauar. loco cit.*

Duo tamen in hac re de satisfactionibus, & orationibus subditorum à Prælatis alteri applicandis
3 sunt obseruanda cum *Nugno loco citato*. Primum si subditus applicet suam satisfactionem vni, & Abbas alteri, hæc satisfactio proderit illi, cui subditus applicat. Ratio est, quia in hac parte subditus primum habet locum, vt probatur à simili de sacrificio Missæ; consecratio enim, quæ fit à subdito etiam inuito Prælato, valida est, quod nullus negat, ergo (cum de similibus sit idem iudicium) suffragium proderit illi, cui primo subditus applicauit. Quod confirmatur hac ratione, nam Prælatus non videtur dominus actus merè interni dependentis primò, & principaliter à voluntate sui Monachi applicantis suffragium illi, & non alteri, idem affirmat *Suarez in* 3. *parte tom.* 3. *disput.* 79. *sect.* 9. *Emman. Roderic. in summa part.* 1. *cap.* 211. *conclus.* 10. & alij apud *Paulum Fraxinellum de obligationibus Sacerdotum sect.* 7. *§.* 7. qui tamen contrarium sequitur, & pro concordia distinguit quod duplex est actus interior, alter est mere interior, alter est interior simul cum exteriori, primi quidem Prælatus non est dominus, sed bene secundi, & citat *Cordub. lib.* 4. *quaest.* 8. *num.* 13. *Roderic. in exposition. Bullæ Cruciatæ §. vnico num.* 51.

4 Secundò notandum est Abbatem non posse satisfactionem Monacho nec etiam alteri applicare, quia in spiritualibus Abbas non potest suo subdito damnum inferre, nisi subditus consentiat; Ita etiam *Cordub. quaest.* 42. *de Indulgent. vers. secundum dictum*, vbi rationem assignat, nempe, quod tale opus quoad satisfaciendum sit eius solius, cui applicatur, & sit actualiter ab ipso subdito pro se, ergo non potest applicari ab Abbate, probatur consequentia, quia Prælatus non potest applicari, nisi ea, quæ cedunt in Thesaurum suæ Communitatis, ergo illud opus bonum, & illa satisfactio subditi ei necessaria non potest applicari ab Abbate, illo inuito, loquimur in præsenti de subditorum bonis quoad vim meritoriam de condigno, quia bona spiritualia, vt sic cuiuscumquè Religiosi, & etiam Religionis tàm in particulari, quàm in vniuersali facta, tàm necessaria, aut obligatoria, quàm supererogatoria possunt ab Abbatibus, alijsque Prælatis applicari quibus ipsi voluerint; nullum enim quoad hoc Monacho subdito infertur præiudicium. Ità *Roderic. quaestion. Regular. tomo* 1. *quaest.* 33. *art.* 2. *& Mirand. loco citato art.* 3. *&* 4. vbi in *conc.* 2. probat opera bona quantum ad vim meritoriam non solum antequam fiant, vel dum fiunt, verum etiam postquam facta sunt ab Abbatibus, & alijs Prælatis possunt applicari, idem fatet *Cordub. loc. cit.*

QVAESITVM IV.

An expediat Abbates, aliosq; Religionum Prælatos literas gratiosas, seu chartas Fraternitatis benefactoribus, & benemeritis concedere.

SVMMARIVM.

1 *Christiana charitas, & Religiosa pietas exposcit, vt Abbates, & Prælati aliquando Benefactoribus suffragia per literas gratiosas applicent, & communicent.*

2 *Iustus, & qui incipit esse Deo gratus est particeps omnium bonorum, quæ fiunt in toto mundo.*

3 *Apostoli orationes suas, & suffragia alijs communicarunt.*

4 *Abbates, & alij Prælati Regulares debent ad imitationem Christi, Apostolorum, & Sanctorum literas gratiosas alijs concedere.*

1 CHristianam charitatem, ac Religiosam pietatem exposcere, vt Abbates, & Prælati Religionum benefactoribus, alijsque benemeritis, orationes, merita, & suffragia Religionis communicent, docent Saluatoris nostri, & Apostolorum, nec non aliorum Sanctorum exempla; Christus enim Dominus non solum pro Petro, pro omnibus Apostolis, & pro omni humano genere orauit, verum etiam merita omnia, cunctaque suffragia, sine quibus nihil sumus, & tamquam quid inane reputati sumus, nobis donauit maximè quando, *languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit, & nos putauimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo, & humiliatum; Ipse autem vulneratus est propter scelera nostra. Disciplina pacis nostræ super eum, & liuore eius sanati sumus, omnes nos quasi oues errauimus, vnusquisq; in viam suam declinauit, & Dominus posuit in eo inquitatem omnium nostrorum. Oblatus est, quia ipse voluit. Isaia* 53. Non ne gratiosam literam nobis donauit Christus quando propter scelus nostrum peremsus est? Quæ tandem maioris charitatis litera, & quæ maior potest esse clementia? ait *S. Hieronym. in Epist. de Filio prodigo tom.* 2. *sui*
2 *operis. Quam vt imò omnia opera bona (disponente sic diuina clementia) communicantur omnibus iustis, ita vt omnis iustus, & qui incipit esse Deo gratus, incipit etiam esse particeps omnium bonorum, quæ fiunt in toto Mundo.* Ita *S. Thom. in opusc.* 6. *in exposit. symb. concl.* 24. ratio est ex eodem *S. Thom. d. opusc.* quia sicut in corpore naturali operatio vnius membri cedit in bonum totius corporis, ita etiam in corpore mystico, quod est Ecclesia, vnius membri bonum alteri communicatur.

3 Apostoli etiam orationes suas, & merita alijs communicarunt, vt de Sancto Paulo pluribus suis Epistolis elicitur, & præcipuè ad *Colossen.* 1. *&* 1. *Thessalonicen.* 2. *&* 1. *Corinth.* 15. *& Corinth.* 7. de alijs vero Apostolis, & Sanctis suas orationes, & sua opera bona alijs largitos, & communicatos

tos fuiſſe affirmat, & ſequitur *Thom. Vuinald. de Sacramental. tit. de merit. & ſuffrag. comparatione cap. 93.*

4 Ex quibus manifeſtiſsimè concludendum eſt expediens eſſe Abbates, & Prælatos Regulares, qui præ, alijs Chriſti, & Apoſtolorum, aliorumq; Sanctorum imitatores eſſe debent, literas gratioſas elargiri debere, maximè domeſticis, & benefactoribus; quia fraternæ, & Religioſæ charitati conſonum eſt attentante Domino, *alter alterius onera portate, & ſic adimplebitur legem Christi.* Hinc ortum habuit, vt Religiones ab antiquo has patentes literas, & ſuffragiorum chartas ſuis domeſticis, & familiaribus alijs deuotè petentibus donauerint, vt totius Religionis ſacrificiorum, orationum, ieiuniorum, diuinorum officiorum, prædicationum, aliorumq; operum, participes efficerentur, de qua re latè *Thom Vuinal. loc. cit. Mirand. tom. 2. manual. Pral. art. 2. & 3. Roderic. tom. 1. Reg. qq. q. 33. art. 1. 2. & ſeq. Cordub. de Indulgent. q. 42.*

QVAESITVM V.

Vtrùm Abbas poſsit plenariè aliquando ſuos Monachos abſoluere.

SVMMARIVM.

1 *Abbates, & Confeſſarij ab ijs deputati poſſunt ſemel in vita, atque in mortis articulo plenariè Monachos abſoluere; referuntur nonnulla priuilegia ſuper hoc Religioſis conceſſa.*

2 *Forma plenaria abſolutionis refertur.*

3 *Religioſi abſque ſuorum Abbatum licentia an prædictis indulgentijs gaudere poſsint.*

1 RESpondeo dicendo, quod Abbates, & Confeſſores ab ijs deſtinati poſſunt ſemel in vita, atq; in mortis articulo plenariè Monachos abſoluere, illisq; plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, ac remiſsionem concedere; vt probatur ex nonnullis priuilegijs tàm directè Monachalibus Religionibus conceſſis, quàm indirectè per communicationem. Et vt aliqua ex ijs referamus. *Benedict. XIII. conceſſit Monachis Ciſtercien. Familiæ de Obſeruantia in Hiſpania pro articulo mortis plenariam Indulgentiam, ſeu abſolutionem omnium peccatorum;* vt refertur in *Comp. priuil. Mendic. verb abſolutio extraordinaria quoad fratres §. 11.* Idem conceſsit Innocentius VIII. Congregationi Caſinen. aliàs Sanctæ Iuſtinæ de Padua, vt refertur in *lib. priuil. d. Congreg. & in Constitutionibus eiuſdem Congreg. fol. 47. §. 1. & fol. 48. §. 2.* addens, *quod Confeſſor ab eiſdem electus in dicto mortis articulo poſſit eos plenariè abſoluere ab omnibus caſibus, nullo excepto, cum omnimoda authoritate, ac ſi in illo caſu eſſet Summus Pontifex.*

Et Sixtus IV. *conceſsit omnibus Fratribus Minoribus de Obſeruantia præſentibus, & futuris, tàm profeſſis, quàm Nouitijs (qui tamen habeant propoſitum profitendi) nec non Sororibus Sanctæ Claræ, & Tertiarijs vtriuſque ſexus, & famulis, & ſeruitoribus prædictorum omnium, vt quilibet eorum poſsit ſemel eligere Confeſſorem de eiuſmodi Obſeruantia, qui audita eius Confeſſione, pœnitentiam ſalutarem iniungendo, abſoluat eos ab omnibus criminibus, exceſsibus, & cenſuris Eccleſiaſticis, & diſpenſet cum eis in omnibus irregularitatibus, ſi quas fortè contraxerint (homicidio voluntario, & mutilatione membri ſemper exceptis) & eis remiſsionem generalem, & plenariam omnium peccatorum impartiri valeat, & quod idem poſsit in mortis articulo;* ita refertur in *eod. Compend. priuil. vbi ſupra §. 5.* Idem etiam conceſsit Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus, vt habetur in *Monum. Ord. 1. impreſsione fol. 55. & 2. fol. 148. conceſſ. 360.* ſed cum hoc addito, nempè de ſui Superioris licentia, qui ſemel eos in vita, & in articulo mortis plenariè abſoluat. Excipiuntur tamen homicidium voluntarium, mutilatio membri, & irregularitas proueniens ex bigamia, in quibus non poteſt Confeſſor, etiam de licentia Abbatis diſpenſare, vt notat *Collect. in Compend. cit. §. 2. & §. 5.* Inuigilent itaq; Abbates, directè, ſiue mediante priuilegiorum communicatione prædictis Apoſtolicæ Sedis indultis gaudentes, & hanc plenariam abſolutionem Monachis ſuis in articulo mortis, & ſemel in vita elargiri non obliuiſcantur. Dices ſi Monachus in articulo mortis plenariè abſolutus in virtute priuilegiorum, quandò videlicet videbatur agonizans, animamq; Deo reddens, conualeſceret, poſsit ne iterum in mortis articulo plenariè abſolui? Reſpondeo vtique, idq; colligitur ex verbis in priuilegio appoſitis; videlicet, *ſi infirmarentur, & crederentur morituri: puta, quia viderentur agonizare, & abſoluti plenariè iterum conualeſcerent; iterum etiam in articulo mortis valerent abſolui.* Præter mortis articulum poſſunt etiam Abbates, ac Confeſſarij ab ijs deſtinati abſoluere plenariè ſuos Monachos ab omnibus peccatis, & cenſuris, non ſolum ſemel in vita, verum etiam quater in anno, quandò maluerint ipſi Monachi abſolui, vt patet ex priuilegio à Leone X. S. Claræ Monialibus conceſſo, quod refertur in *Compend. priuil. d. verb. abſolutio extraordinaria, quod fratres §. 7.* quo indulto gaudent omnes Religiones communicantes priuilegia Fratrum Minorum, vt aduertit *Mirand. man. Prælat. tom. 2. q. 33. art. 9. concluſ. 1.* Idem Leo X. conceſsit eiſdem Monialibus Sanctæ Claræ, & ancillis Beatæ Mariæ Virginis ſub cura Minorum Fratrum de Obſeruantia exiſten. vt poſsint plenariè abſolui in omnibus diebus Domino Sabaoth ſacratis, necnon Beatæ Mariæ ſemper Virgini; In feſto Omnium Sanctorum, & Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac Sancti Franciſci, & S. Claræ, & per totam maiorem hebdomadam; vt refertur in *Compend. vbi ſupra §. 8. & 9.* Idem Leo X. conceſsit omnibus Fratribus Minoribus Regularis Obſeruantiæ, quod ſemel in quolibet anno, vltra alias indulgentias, quas ab Apoſtolica Sede habēt, plenariè abſolui poſsint, & Indulgentiam plenariam conſequi in feſto S. Catherinæ Virginis, & Martyris; vt refertur in *Compend. vbi ſupra §. 10.* quibus priuilegijs etiam frui, & gaudere poſſunt Monachales, & aliæ Religiones communicantes priuilegia Fratrum Minorum. Et notandum, quod licet ijdem Fratres Minores, & Moniales S. Claræ, ac Ancillæ, &c. plenariè abſolui poſſunt in feſtiuitatibus S. Frãciſci, & S. Claræ, ita Religioſi aliarum Religionum participantes de eiſdem priuilegijs

per communicationem absolui poterunt in festiuitatibus Patronorum, ac institutorum proprij Ordinis, & Congregationis. Vnde Monachi Casinenses sine vllo dubio, optimaq; consequentia, cum habeant priuilegium communicationis, poterunt ijsdem gratijs, & indulgentijs frui, & gaudere die S. Patris Benedicti, & S. Scholasticæ. Nos Vallumbrosani in festo eiusdem Sanctissimi Patris nostri Benedicti, ac S. Patris Ioannis Gualberti, & S. Humilitatis Abbatissæ, & sic de singulis discurras; quibus prædictis Regularibus, idem Summus Pontifex Papalem benedictionem largitur. Ita in *Collect. priuileg. sup. cit.* §. 10. Ex dictis breuiter collige non solum Abbatem, sed etiam Confessarium quemlibet, licentia illius, non solum vna vice tantum, sed pluries absoluere debere.

2 Plenaria absolutionis forma, quæ adhiberi debet in absoluendo hæc est, & describitur à *Collectore priuileg. loco citato* §. 10. his verbis videlicet, *Auctoritate mihi concessa, & commissa, ego te absoluo, & cætera &c. sic plenariè illi statui innocentiæ te restituo, quomodo Sanctitas Domini nostri Papa N. faceret, si ipsemet in Confessione tua peccata auscultaret; & eadem auctoritate Apostolica tibi impertior sanctam benedictionem Papalem. In Nomine Patris, † & Filij, † & Spiritus Sancti † Amen.*

3 Hic autem aduerto, quòd nequeant Religiosi gaudere prædictis plenarijs absolutionibus, & Indulgentijs à Leone X. Fratribus Minoribus, ac Monialibus Sanctæ Claræ, ac ancillis Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis concessis, ac ab eis per communicationem participatis, absque suorum Abbatum licentia, & quoad prædictos Fratres Minores tenent *Collector priuileg. Mendic. in Compend. d. loco citat.* §. 10. *Mirand. in manual. Prælat. tom. 2. q. 33. art. 10. concl. vnica*, & nos in simili diximus plura in disputatione de potestate, & munere Abbatis circa Sacramentum Pœnitentiæ, cum diximus non posse Monachos, virtute Bullę Cruciatæ, vel aliorum Indultorum Apostolicorum, eligere sibi Confessarium.

DISPVTATIO X.

De potestate Abbatum, & Prælatorum inferiorum circa Diuini Officij, & Horarum Canonicarum recitationem.

Quæst. 1. Vtrùm ad Abbatem pertineat Diuinum Officium, & Horas Canonicas nunciare, & ordinare.

Quæst. 2. Quæ præcipuè sint ab Abbate in Officio Diuino ordinando animaduertenda.

Quæst. 3. Vtrùm Abbas teneatur in Choro Diuinum Officium persoluere.

Quæst. 4. Quo tempore sit ab Abbate Diuinum Officium in Choro persoluendum.

Quæst. 5. Vtrum Abbas Commendatarius teneatur Diuinum Officium recitare.

Quæst. 6. Vtrùm Abbas possit anticipare, vel postponere Horas Canonicas in Choro persoluendas.

Quæst. 7. Vtrùm Abbas teneatur recitare Horas iuxta ordinem Breuiarij Romani.

Quæst. 8. Vtrùm, stante aliquo graui negotio, aut occupatione, possit Abbas Diuinum Officium mutare.

Quæst. 9. Vtrùm Abbas possit mentaliter in toto, aut pro magna parte Diuinum Officium recitare.

Quæst. 10. Vtrùm Abbas possit Diuinum Officium recitare sedendo, stando, & deambulando.

Quæst. 11. In quas pœnas incidant Abbates Diuinum Officium omittendo.

Quæst. 12. Vtrùm Abbas possit infirmum Monachum, vel senem à recitatione Diuini Officij eximere.

Quæst. 13. Vtrum Abbates, & Prælati Regulares possint Religiosos sibi subditos Choro destinatos, & proinde vt ad Sacerdotium promoueantur, ad statum laicorum transferre, itaut Religiosi laici remaneant.

Quæst. 14 An Religiosus professus ad Chorum deputatus iusta de causa ab Abbate ad Conuersorum statum translatus teneatur Diuinum Officium persoluere.

Quæst. 15. Vtrùm Abbas possit statuere Officium Conuersis, ac Monachis nescientibus benè legere, vel Nouitijs.

QVAESITVM I.

Vtrùm ad Abbatem pertineat Diuinum Officum, & Horas Canonicas nunciare, & ordinare.

SVMMARIVM.

1 *Abbas habet Diuinum Officium nunciare, & ordinare.*

2 *Petitiones, quæ in Horis Canonicis fiunt, quæ sint? vidè remissiuè.*

1 SAnctus Pater Benedictus in c. 47. Regulæ Abbati curam Officij ordinandi committit, & ad eum spectare ait, non solum significare die, noctuq; Diuini Officij horam, sed etiam ordinare, atque imponere quales Monachi, quouè ordine Psalmos, & Antiphonas decantare debeant, ac legere. Nequè quidem mirum est, si Abbatibus, tamquam summis Mona-

Monachorum Sacerdotibus quodammodò Cymbalistæ officium fuerit demādatum cum Deus ipse Summos Sacerdotes lucernarum templi emunctores, & lampadarum concinnatores creauerit, ex *Leuit. 24. Locutus est Dominus ad Moysen, dicens, Præcipe filijs Israel, vt offerant tibi oleum, de oliuis purissimum, ac lucidum ad concinnandas lucernas iugiter, ponetq; eas Aaron à vesperis vsque ad mane coram Deo, cultu, rituque perpetuo in generationibus vestris*; atq; ideo Abbati Canonicarū Horarum, Diuinique Officij curam traditam esse arbitror, ne tempus sacro cultui præfixum acceleretur, neuè retardetur, vel transilire finatur, sed eius imperio vigilanti, assiduoquè obsequio prorsus statis, debitisque temporibus, atq; horis Diuinarum laudum pensus soluatur, ad hoc, vt diuinus cultus magis augeatur, & frequentius, ac diuturnius mēs nostra ad Deum per Orationem eleuetur cum pio erga illum affectu; & ne petitiones, quæ in horis canendis exhibentur, confundi videantur. Quę autem sint petitiones quæ in prædictis horis fiunt, vide apud *Clem. Rom. lib. 8. Const. Apost. cap. 36. Azor. inst. moral. par. 1. lib. 10. cap. 2. Nauar. in tract. de orat. cap. 5.*

Vnusquisque igitur Abbas studeat vt canonicæ Horæ non præponantur, aut postponantur: sed suis temporibus opportunè recolantur; licèt enim omni tempore Deum benedicere debeamus; tamen Diuinum Officium à Religiosis in speciali loco, nempè in Choro, in communi specialibus horis præstari debet. Vndè Clemens V. in Concilio Viennen. *vt habetur Clem. 1. de celebrat. Miss.* statuit, vt in Cathedralibus, ac Regularibus, & Collegiatis Ecclesijs horis debitis deuotè psallatur.

QVAESITVM II.

Quæ præcipuè sint ab Abbate in Officio Diuino ordinando animaduertenda.

SVMMARIVM.

1 *Abbas curare debet, vt Diuinum Officium distinctè & alta voce recitetur.*

2 *Horæ canonicæ cum apta pausa, ac deuotè, & attentè, ac statutis temporibus a Religiosis in Choro recitandæ sunt.*

1 Qvinque iudicio meo Abbati in Officij Diuini ordinatione seruanda præ alijs existimo. Primum, vt Officium distinctè, alta & clara voce recitetur, & vbi competens Monachorum numerus reperitur, iuxtà laudabilem, & antiquissimam Ecclesiæ consuetudinem cantetur, seruatis suæ Congregationis, ac Instituti Constitutionibus Prædecessorumq; suorum vsu receptis optimis cōsuetudinibus. Quarè vigilans procuret Abbas, vt Monachi à quibus laudes Dei decantandæ sunt, Musicæ arte sint instructi, sicut habetur in *glos. Clem. 1. de concess.*
2 *præben.* secundum, vt Officium, & Horæ Canonicæ cum apta pausa, & potissimum deuotè, & attentè persoluantur, vt docent Sancti Patres, & præcipuè *D. Bernar. & Cipryan. in orat. Dom.* celebrè est enim illud *glo. distinc super Diu. Pauli* verba ad *Ephes. 5.* *Deo non voce, sed corde cantandum*
Non vox, sed votum, non cordula musica, sed cor,
Non clamans, sed amans cantat in aure Dei.

Tertium, vt Officium, & Horæ Canonicæ statutis horis, non alijs, absque legitima, & rationabili causa dicantur, vt præcipitur *in Clement. 1. de celebrat. Miss. & in c. dilecti extra eod. tit.* Quartum vt in Choro Diuina Officia, prout tēporis ratio postulat, alternatim canantur, vel recitentur, attentèq; audiantur. Idque non cursim, non perturbatè, non syncopando, nec extranea, ac prophana, vel inhonesta permiscendo, sed leuiter, distinctè, ac studiosè fiat; ac vt in genuflectendo, sedendo, stando, caput aperiendo, ac inclinando antiquas sui Ordinis à Sanctis Patribus introductas cærimonias, & consuetudines maximè seruandas curet, ac prædictas Horas in loco sacro, veluti Ecclesia, vel Choro ab omnibus Monachis persolui iubeat; nisi quis eorum legitima causa, vel iusto excusatus impedimento interesse nequat. Quintum, & postremum Abbati cauendum est; cum Ecclesia Dei circumdata sit varietate, & meus sermo non solum ad militantes sub Regula Benedictina, sed etiam ad omnes (cuiuscumq; sint instituti) Abbates, & Prælatos dirigatur: nec certus ordo, seu methodus singula, quæ ad eos spectant comprehendens assignari possit, aduertat, inquam, Abbas, vt approbatos à Sede Apostolica ritus, & suæ Regulæ præscriptum, suorum Superiorū statuta ac propriæ Abbatiæ in Diuino Officio celebrando laudabiles consuetudines summo studio, ac diligentia sequatur, ne boni Pastoris, & Ecclesię suæ sponsi onere, & honore iure merito priuetur, de quo in *Concil. Aquisgranen. II.* his verbis commonetur. *Abbates Ecclesiastica Iura intemerata custodirent, videlicet, vt cognoscant suiue pronomine notentur in eo, quod Abbates vocati sunt.* Ecclesiasticorum autem Iurium primum, & præcipuum est, vt Deo gratum, & congruum exhibeatur seruitium in Officio, ac Canonicis Horis cordis, & oris singulari deuotione decantandis.

QVAESITVM III.

Vtrùm Abbas teneatur, in Choro Diuinum Officium persoluere.

SVMMARIVM.

1 *Omnes Choro deputati Diuinum Officium in Choro persoluere tenentur.*

2 *Abbates Regulares tenentur magna cura, ac studio Diuina Officia in Choro persoluere, ac persolui facere.*

3 *Abbates seculares an teneantur in Choro Diuinum Officium recitare.*

4 *Choro addicti, si ibi horas non persoluant, in quibus casibus mortaliter peccent.*

1 Dico primò Abbatem Regularem omni remota difficultate teneri ad Diuinum Officium cum suis Monachis in Choro persoluendum; quia omnes Choro deputati Diuinum Officium in Choro persoluere tenentur *c. vlt. 92. distin. & Clem. 1. de celebrat.*

lebrat. Miss. At omnes,& singuli Monachorum Conuentus cuiuscumque spiritualis Ordinis, qui sub ratione solemnis voti ab Ecclesia fuit approbati, adstricti sunt in cõmuni diuina Officia celebrare, quod est clarum, & nemo illud inficiare audebit. Vbi enim Ecclesia Religiones secundum Euangelicum ordinem instituit, eas scilicet, quas rei spiritualis gratia admisit, easdem diuinis laudibus mancipauit, sanè intelligens hoc esse potissimum contemplationis munus, ad quod præcipuè Religiones Monasticæ
2 institutæ sunt. Atque ideò Abbates Regulares tenentur magna cura, ac studio diuina Officia in Choro persoluere, ac persolui facere; quod si eorum negligentia id prætermitteretur, peccatum perpatrarent. Ità sentiunt *Caiet. in summa verb. Hora Canonica cap. vlt. Sotus lib. 10. de iust. & Iur. q. 5. art. 3. post secundam conclusionem vers. vniuersi pag. mihi 274. Sylu. verb. Hora §. 9. & 10. Ioannes Trull. tract. de Canonic. Regular. lib. 2. cap. 12. nu. 1. in fin.*
3 Dico secundò Abbates seculares, si ratione eorum Abbatiæ ad recitandum Horas Canonicas in Choro adstringuntur, puta si sint Abbates Collegiatarum, vel dignitates in Ecclesia aliqua Cathedrali, vtique debent eas ibi recitare, nec à peccato excusantur, domi recitando: nisi iustam causam Choro non intereffendi habeant quòd peccatum *Innocen. & Hostien.* (teste *Sylu. d. verb. Hora q 2. dict. 4.*) sentierunt esse mortale, quam sententiam *Sotus d. q. 5. art. 4. in fine* dicit esse adeò rigidam, vt non sit tenenda, *Nauar.* autem in *tract. de orat. cap. 5. num. 14* dicit communiter receptã esse, camq; confirmat ex *can. si quis Presbyter, dist. 92.* vbi præcipitur vt Presbyter, aut Diaconus, vel quilibet Clericus Ecclesiæ adscriptus, quoad quotidianum psallendi Officium Matutinis, & Vespertinis Horis, ad Ecclesiam non conuenerit, deponatur; at pœna depositionis non imponitur, nisi ob graue, seu lethale peccatum, ergo ad Chorum obligati, in eo diuina Officia non persoluentes mor-
4 taliter peccant; Tamen ad Soti opinionem inclinans sen. it cum *Sylu. & Caiet.* in tribus tantum casibus eos mortaliter peccare, nempe si id faciant ex contemptu. Secundò si contrà specialè Superioris præceptum. Tertiò si ob eorum absentiam Officium diuinum nõn diceretur in Ecclesia, vel saltim debita solemnitas omitteretur ex eo quia eorum præsentia ad eam necessaria esset, quem sequitur *Reginald. in praxi lib. 18. num. 176.*

Hi autem Abbates, qui ad Officia diuina in Choro persoluenda adstricti sunt, non satisfacient Ecclesiæ præcepto, si tantum in Choro præsentes adsint, & in eo summissa voce Horas Canonicas recitent, nec canant cum alijs, sed tantum eos auscultent, qui in Choro cantant. Ità *Nauar. d. tract. de orat. cap. 22. miscell. 29. & cap. 10. num. 47. & cap. 11. num. 42. Graff. decis. aur. par. 1. lib. 2. cap. 5 a. num. 12. Azor. instit. moral. par. 2 lib. 10. cap. 11. q. 5. iuxtà can. si quis Presbyter dist. 92. & Concilium Basileense sess. 21. & Concil. Trident. sess. 24. de reformat. cap. 12.* vbi statuitur, vt habentes in Ecclesijs, Cathedralibus, aut Collegiatis dignitatem, Canonicatum, vel præbendam, aut portionem diuina per se, & non per substitutos compellantur obire Officia, & Episcopo celebranti, aut alia Pontificalia exercenti assistere, & inseruire, atque in Choro ad psallendum institutos Hymnis, & Canticis Dei nomen reuerenter, distinctè, deuotèque laudare. Quod limitat *Azor. in seq. q. 6.* vbi contrarium esset cõsuetudine receptum: tunc enim excusarentur si præsentes in Choro non canerent, nisi per Clericos ad id substitutos.

QVAESITVM IV.

Quo tempore sit ab Abbate diuinum Officium in Choro persoluendum.

SVMMARIVM.

1 *Diuina Officia debitis, ac competentibus horis in Ecclesijs persoluenda sunt.*
2 *Qua hora diei respõdeant horis Officij vide remissiuè.*
3 *Quod tempus seruandum sit circa recitationem Horarum Canonicarum in Choro, & publicè.*

1 De Iure communi debitis, & competẽtibus Horis, in Ecclesijs Diuina Officia persoluenda sunt, vt patet in *cap. 1. et cap. dolentes de celebrat. Miss. Clem. 1. eod. tit. can. Presbyter 92. dist. c. 2. de off. cust.* Quod etiam ratio postulare videtur, vt res ipsa verbis Sacrorum Hymnorum, & Orationum correspondeat; quæ cum temporis, in quo decantanda sunt, mentionem faciant, alijs temporibus pronunciata absurditatem quamdam generant, vt notat *D. Thom. quodlib. 3. art. 29.* tum propter memoriam mysteriorum Passionis Domini Nostri Iesu Christi, cuius gratia ipsas Horas institutas ab Ecclesia fuisse indicant versus relati in *glos. in d. cap. 1. de celebrat. Miss.* Et ita docent *Sot. de iust. & iur. lib. 10. q. 5. art. 4. conclus. 2. Nauar in enchirid. cap. 27. num. 97. & in tract. de orat. cap. 3. num. 22 & seqq. Suar. de relig. tract. 4. lib. 4. cap. 27. Azor. instit. mor. p. 1. lib. 10. cap. 9. Reginal. in praxi lib. 18. num. 176.* & quamplures
2 alij apud *Francolin. de tempore Horar Canon. cap. 24. nu. 4.* vbi declarat quæ horæ diei officij horis respondeant. Quod præcipuè locum habet in Religiosis, qui Diuinis Officijs specialiter mancipati sunt, ac ab altaribus, & sacrificijs, & Choro nusquam recedere sed continuè die, noctuq; celestibus, & spiritualibus rebus inseruire debent, Abbatibus autem sub regula D. Patris Benedicti militantibus, id ex eadem Regula præscriptum est, vt videre licet in eadem *cap. 8. & seqq.*
3 Verum ex vsu seruandum est illud tempus, quod aliqua particularis constitutio, vel mos, aut laudabilis Monasterij, aut totius Religionis consuetudo præscripserunt, vt inquiunt *Syluest. verb. Hora Canonica §. 9. Nauar. d. cap. 3. de orat num. 39.* & alij apud eum, & apud *Francolin. d. cap. 34. num. 14.* quibus addo *Reginald. d. num. 179.* Ratio est quia licèt recitatio sit de Iure diuino dicente Regio Psalmista *Psal. 118. Septies in diem laudẽ dixi tibi,* & dicitur in *cap. 1. de celebrat. Miss.* tamen determinatio, seu distinctio Officij, vt istæ, vel illæ Horæ dicantur, est de Iure positiuo, & ideò potest per iustam constitutionem, aut consuetudinem legitimam mutari.

QVAE-

QVAESITVM V.

Vtrùm Abbas Commendatarius teneatur Diuinum Officium recitare.

SVMMARIVM.

1 *Abbates Commendatarij ad Dininum Officium perſoluendum tenentur.*

Videtur dicendum, quod non. Quia obligatio recitandi Horas Canonicas prouenit ex titulo beneficij; ergo qui titulum beneficij non habet, non tenetur ad Horas; ſed Abbas commendatarius non habet titulum; ergò non arctatur ad officium.

1 Contrarium tamen eſt veriùs, nempè quod omnes, Eccleſiaſtica beneficia, & Abbatias obtinentes, etiam quod eas non iure tituli, ſed ratione commendationis obtinerent, ad Horas Canonicas perſoluēdas adſtringuntur. Quod probatur ex *glo. in c. nemo de elect. in 6.* ab omnibus recepta, & per *Medin. de Orat. q. 7.* qui dicūt beneficiarium ad Diuinū Officium recitandum adſtringi, ſiuè in perpetuum, ſiue ad tempus beneficium, vel Abbatia ſit illi commendata; quia etſi Abbas Commendatarius non obtineat Abbatiam in titulum, nec per collationem, ſed tantum in Commendam; tamen ſatis eſt, vt vera Abbatiæ adminiſtratione ſpirituali, & temporali in omnibus ad tempus, ſiuè in perpetuum potiatur; quia huiuſmodi adminiſtratio quoad hoc idem valet, quod titulus, nam ratione legitima adminiſtrationis, quam habet in omnibus, quæ ad beneficium attinent legitimè, quoque fructus Abbatiæ illius percipit, ſicuti qui habet in titulum ratione tituli. Idem docent *Nauar. de orat. cap. 20. num. 16. Ledeſm. 4. par. 2. q. 16. art. 4. 5. Azor. inſtit moral. par. 1. lib 10. cap. 2. 3. quaſt. vltim. Nicol. Garc. de benef. par. 3. cap. 1. n. 205. Suar. tom. 2. de relig. tract. 4. lib. 4 cap. 22. num. 14. & num. 16.* & alij apud *Bonac. in tract. de horis Canonicis diſput. 1. q. 2. punct. 4. num. 3.*

Ad argumentum in contrarium adductum reſpondetur, quod licèt Abbas Commendatarius non habeat titulum, ſufficit tamen legitima Abbatiæ adminiſtratio, quam habet in omnibus, quæ ad beneficium attinent, cuius adminiſtrationis ratione legitimè quoque Abbatiæ fructus percipit, acſi eam in titulum obtineret; & ex fructuum perceptione ad penſum Diuini Officij perſoluendum obſtringitur. Ve communiter ab omnibus teneri ait *Azor. loco cit.*

QVAESITVM VI.

Vtrùm Abbas poſſit anticipare, vel poſtponere Horas Canonicas in Choro perſoluendas.

SVMMARIVM.

1 *Officium Diuinum priuatim recitās dummodò intrà tempus ſtatutum illud perſoluat, præueniendo, vel poſtponendo debitum horarum tempus, non peccat mortaliter, nec tenetur iterare.*

2 *Tempus non eſt de ſubſtantia præcepti horas canonicas recitandi.*

3 *Abbates ad Chorum adſtricti recitantes Officium in Choro extrà horas præſcriptas peccant mortaliter; dummodo iuſta cauſa non adſit.*

4 *Conceſſum in caſu, non debet intelligi conceſſum ſemper & vbiquè.*

5 *Officiū Diuinum qui pridie, aut poſtridie recitat non ſatisfacit præcepto Eccleſiæ.*

6 *Matutinum, & Laudes poſſunt quarta hora pomeridiana, tam in æſtate, quàm in hyeme perſolui.*

7 *Matutinum, & Laudes in feſto Corporis Chriſti, & per totam Octauam dicuntur immediatè poſt Veſperas, & Completorium, & quarè.*

1 Priuatim Diuinum Officium recitantes, ſi præueniant debitum horarum tempus, vel illud procraſtinent, non peccant mortaliter, nec tenentur præueniendo, horas ipſas iterare. Ità *Syln. verb. Hora quaſ. 9. Nauar. de Orat. cap. 3. num. 59. Leſſ. lib. 2. de iuſt. cap. 37. dub 12. num. 78. Valent. in 2. 2. diſp. 6. q. 2. punct. 10. §. quo tempore, Marcell. Francolin. tract. de Horis Canonic. cap. 25. Reginald. lib. 18. num. 180.* & alij apud *Suar de relig. tract. 4. lib. 4. cap. 27 num 3. & 9.* & apud *Bonac. de Horis Canonic. diſp. 1 q. 9. q. 3. punct. 3. nu. 6.* Ratio eſt quia tempus non 2 eſt de ſubſtantia præcepti Horas Canonicas recitandi; nam licet in *cap. dolentes, de celebrat. Miſſar.* ſtatutum ſit, vt obligati ad Horas Canonicas recitēt Officium tàm diurnum, quàm nocturnum; non tamen præcipitur, vt nocturnum de nocte, & Diurnum de die recitetur: nec certa hora determinatur; ergo poterit abſolutè, & ſimpliciter anticipari, & poſtponi. Vndè Idem *Nauar.* vbi proximè cùm *D. Antonin. Sylu. & Caiet.* ait quòd recitare Primam, ac etiam Matutinas horas poſt meridiē, imò & poſt decimam, aut vndecimam à meridiē, non eſt peccatum mortale; modo totum illius diei Officium ante mediam noctem perſoluatur.

3 Hoc autē quoad Abbates ad Chorum adſtrictos intelligi debet, dummodò habeant aliquod iuſtū impedimentū per quod accedere nō poſſint, aliàs ſi abſque iuſta cauſa id facerent, non excuſarentur à peccato. Sicut etiā nō excuſantur à peccato mortali; ſi publicè Matutinum, & Laudes, vel Primam, Tertiam, vel Sextam (quæ horæ in Choro antè meridiem tàm communi Iure, quàm generali conſuetudine recepta, communiter in Eccleſia, recitandæ ſunt) poſt meridiem recitarent, ſuæ obligationi minimè ſatis facerent; quia expirante hora publicè recitandi, expirat etiam obligatio amplius ità recitandi. Ità *Nauar. d. cap. 3. num. 63. Leſſ. d num. 78. Reginald. loco citat. in fine, Suar. d lib. 4 cap. 15. nu. 11. & ſeq.* & alij. Si autem adeſſet aliquòd legitimum impedimentum, poſſet etiam publicè in Eccleſia poſtponi, vel anticipari diuini Officij recitatio, puta ob proceſſionem, vel magnam ſolemnitatem, vel metum hoſtium inuaſionis, aut inſignem aliquam Concionem, vel alicuius Magni Principis aduentum, vel alias huiuſmodi cauſas, quæ à Doctoribus ponuntur, vt per *Nauar. d. cap. 3. num. 55. Caiet. verb. Hora num. 4. Suar. dicto cap. 5. num. 13. Reginald. d. lib. 18 nu. 179. Fillius. moral. quaſt. tract. 23. cap. 6. q. 12. num. 218.* & alij apud *Bonac. d. punct. 3. num. 7. verſ. addo aliquando*; Verùm (vt ait *Francolin. in tract. prædicto de Horis*

Horis Canonicis cap. 24. num. 7.) hoc fieri non potest, nisi in huiusmodi casibus, & superuenientibus talibus legitimis impedimentis, & non aliàs, nam quòd
4 conceditur in casu, non debet intelligi concessum semper, & vbiquè *l quod vero ff. de legib.* Imò exceptio firmat regulam in casibus non exceptis, vt notat *Panormit. in cap. 2. de coniug lepros.* Huiusmodi autem anticipatio, aut postpositio fieri debet Superioris, nempè Abbatis, auctoritate in sua Ecclesia; vt monent *Nauar. d. cap. 3. num. 56. & Reginald. lib. 18. nu. 179. vers monet tamen. qui vers. seq.* respondet obiectioni de Eremita illo, cui debitum tempus recitandi Diuini Officij præuenienti acerbæ, postponenti verò mitiidæ vuæ ab Angelo afferebantur; & de Episcopo, qui post mortem reuelauit se pœnas Purgatorij pati; quia cum versaretur in Curia cuiusdam Principis debito tempore non persoluebat Officium; Huic, inquam, obiectioni respondet *Reginald. cum Azor 1. par. instit. moral. lib. 10. cap. 9 q. 3.* quod cum neuter illorum iustam anticipationis, vel postpositionis causam haberet, ideò hæc eis contige-
5 runt. Hoc autem est intelligendum de antepositione, & postpositione intrà tempus legitimum eiusdem diei naturalis, vel Ecclesiastici; non adimpleretur enim Ecclesiæ præceptum, si preces Horariæ, quæ ad certum tempus pertinent pridie, aut postridi: recitaremur; quia tales preces ponuntur ab Ecclesia tanquàm onus vno quoque die ad Dei cultum, & honorem exsoluendum. Vndè sicut non sufficit ad satisfaciendum Ecclesiæ obligationi, ieiunium pro certo die iniunctum pridiè, aut postridiè obseruare; ità nec Horas Canonicas certo die recitandas, satisfit præcepto, alio die, quàm determinato, recitare. Quia quando præcipitur aliquid pro tempore determinato, si pro illo non seruetur, peccatum quidem committitur, & illius est pœnitentia agenda, lex autem amplius non obligat. Ità *Suar. d. cap. 27. num. 4. & Reginald. d. lib. 18 num. 180.*

6 Verum licet dies Ecclesiasticus computetur ab vna media nocte, vsque in aliam proximè sequentem; tamen Matutinum & Laudes ab hora quarta promeridiana tã in æstate, quàm in hyeme persolui, assuncæ iuxtà communem vsum, & generalem Ecclesiæ consuetudinem, testibus *D. Thoma in quodlib. 5. art. 28. Azor. instit. moral par. 1. lib. 10. cap. 9. q. 5. Nauar. d. cap. 3. num. 28 & 64. Graff. decis aur. par. 2. lib. 3. cap. 16. n. 36. Francolin. cap 27. Suar. d. cap 27. nu. 14. & cap 6 num. 9 ad fin. Reginald. d. nu 180. vers. ceterum ad iudicandum*, & alijs apud *Bonacin. d. punct. 3 num 11.* circà quod pro Regularibus adest speciale priuilegium à Pio V. Fratribus Minoribus concessum, quod refert *Roderic. qq. Regular. tomo. 1. quæst. 42. art. 18.*

7 In festo autem Sacratissimi Corporis Christi, ac per totam Octauam Matutinum dicitur immediatè post Vesperas, & Completorium; ad hoc vt populus lucrari possit Indulgentias concessas interessentibus eisdem Horis. Nam Vrbanus Quartus huius solemnis festiuitatis institutor centum dies Indulgentiæ verè pœnitentibus, & confessis, qui Matutinali Officio eiusdem festi in Ecclesia vbi illud celebraretur interessent; ac totidem illis, qui Missæ, vel primis, vel secundis Vesperis ipsius festi interessent, ijs autem, qui Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, ac Completorij Horarum Officio, pro qualibet ipsarum quadraginta, ijs autem, qui inter Octauas eiusdem festi Matutinis, Vesperis, Missę, ac prædictarum Horarum Officijs interessent, singulis diebus ipsarum Octauarum centum dies Indulgentię concessit. Deindè Martinus V. supradictas Indulgentias concessas interessentibus Officijs, ac Missæ diei eiusdem festi duplicauit; quo verò ad dies Octauæ, voluit, vt pręsentes quibuslibet Octauarum diebus pro singulis Matutinis, Missis, ac Vesperis centum reliquarum vero Horarum Officiis, quadraginta dies verè pœnitentes, & confessi lucrarentur; Quas Indulgentias sic à Martino V. concessas Eugenius IV. eius Successor confirmauit, & auxit; vt videre est in Bulla 4. ipsius, quæ incipit, *Excellentissimum*, sub Dat. Romæ anno 1433. 7. Kal. Iunij Pontif. sui anno III.

QVAESITVM VII.

Vtrùm Abbas teneatur recitare Horas iuxtà ordinem Breuiarij Romani.

SVMMARIVM.

1 *Abbates Regulares, & seculares iuxta cuius Breuiary formam Diuinum Officium persoluere teneantur, ostenditur, & num. 2.*

3 *Breuiarium Romanum cum consensu totius Capituli recipere poterunt Abbates, & eo recepto ad prius Breuiarium redire nequeunt.*

4 *Abbates habentes priuilegium vtendi Breuiario proprio, non possunt etiam priuatim Breuiario Romano vti.*

PRO huius quæsiti explicatione notandum omissoluere antiquo, quod Pius V. Pontifex Max. in Bulla confirmationis Breuiarij eius iussu editi, postquàm reuocauit omnes alios recitãdi modos in alijs Breuiarijs contentos, exceptis iis, qui ante illud 200. annis per statutum, aut consuetudinem introducti fuerant, cum approbatione Apostolicæ Sedis; pręcipit omnibus Ecclesiasticis, & Regularibus, vt cum prædicto Breuiario Romano per Concilium Tridentinum, ac Sanctitatem Suam reformato omnes se conformarent, eoquè vterentur, & nullo alio vti possent, neque ipsi quicquam addere, vel minuere; abolendo quæcumquè alia Breuiaria, vel antiquiora, vel quouis priuilegio munita, vel ab Episcopis in suis Diœcesibus peruulgata, omnemquè illorum vsum de omnibus Orbis Ecclesiis, Monasterijs, Conuentibus, Militijs, Ordinibus, & locis virorum, & mulierum etiam exemptis, in quibus aliàs Officium diuinum Romanæ Ecclesiæ ritu dici consueuit, aut debet. Illis tamen exceptis, quæ ab ipsa prima institutione à Sede Apostolica approbata, vel cõsuetudine, quæ vel ipsa institutio prædictos ducentos annos antecedat aliis certis Breuiariis vsa fuisse constiterit. Deindè declarat Horas Canonicas quocumque alio modo recitantes non satisfacere Ecclesiastico præcepto; Secundum hanc igitur formam à Pio V. præscriptam, in Choro tàm in Ecclesiis Regularibus, quàm secularibus Diuinum Offi-

cium

Digitized by Google

cium persoluendum est. Vnde ad quæsitum propositum respondendo dico primò Abbates, & Prælatos
1 Regulares, qui secundum Regulam, aut suæ Religionis consuetudinem ducentis annis antiquiorem approbato Breuiario vtuntur, non teneri ad obseruandum, vel obseruare faciendum in Choro in suis Abbatijs, & Monasterijs formam Breuiarij Romani; quia in dicta Bulla Pij V. excipiuntur, vt sunt Abbates sub Regula D. Patris Benedicti militantes, quorum Breuiarium perlongè plus 220. annorum spatij institutum, ac approbatum fuerat. Verum postea iussu Pauli V. Pōtificis Maximi pro omnibus sub Regula Sancti Benedicti militantibus Breuiarium, quod hodie obseruatur, editum est, ac iuxtà eius formam in eorum Ecclesijs diuina Officia persoluuntur, aliquibus exceptis Cōgregationibus, quæ vel continentur inter exemptas à Pio V. propter d. ducentorum annorum consuetudinem, vt Cistercienses, vel quia nulla apud eos antecedente proprij Breuiarij antiquitate, receperunt Breuiarium Pij V. iussu editum vt Syluestrini.

2 Dico secundò. Abbates, & Prælati, seculares, præcipuè Collegiatarum, qui proprio Breuiario à ducentis annis per consuetudinem, vel institutionem à Romana Sede approbatam similiter in eorum Ecclesijs vsi sunt, non tenentur ad acceptandum Breuiarium Pij V. qui verò minori tempore, tenentur, etiamsi Breuiarium illud fuisset à Sede Apostolica approbatum; quia idem Summus Pontifex omnia abrogat, quæ per ducentos annos ante instituta non fuerant.

3 Aduertendum autem, quod possent Abbates quorum Breuiarium ducentos annos antecedit Breuiarium Romanum, illud acceptare, si velint, & eo vti in eorum Ecclesijs; si tamen Capitulum, ac Prælatus consenserint; quod in Religione est intelligendum de Capitulo, ac Prælato Generali: non enim posset Capitulum, ac Abbas vnius Monasterii id facere, absque consensu totius Congregationis id ipsum facientis, cum quodlibet membrum debeat suo Corpori conformari, ac quælibet pars suo toti, ac vt in Religione vniformitas obseruetur.

Quod si semel proprium Breuiarium eum Romano ità commutauerint, non poterunt amplius, absq; auctoritate Papæ, relinquere; quia per illam acceptationem antiquum Breuiarium abolitum est, & priuilegio in illa exceptione contento renunciauerunt, & ideò ad antiquam consuetudinem reuerti amplius propria auctoritate nequibunt, absque nouo Romani Pontificis indultu. Ità *Suar. de Relig. tom. 2. tract. 4. lib. 4 cap. 11. num. 4.*

4 Notandum est, quod iis Abbatibus, qui proprium Breuiarium approbatum habent, sicùt non licet in Choro vti Breuiario Romano, sic neque extrà Chorum; quia cum priuata recitatio Horarum Canonicarum subrogetur in locum publicæ, quæ fit in Choro, debet esse ei conformis. Cōfirmatur. Nam quilibet debet se suæ Ecclesiæ, in qua degit, accommodare, & conformare, vt colligitur ex *can. de his, & can. placuit dist. 12.* Atque ità *Suar. d. cap. 11. num. 4. & cap. 23. num. 2. & 9. Vasq. de benef. cap. 4. dub. 2. art. 1. Valent. tom. 3. disp. 6. q. 2. punct. 10. §. quid sit recitandum, in princip. Nauar. de orat. cap. 19. nu. 211. Azor. instit. moral. par. 1. lib. 10. cap 11. q. t. Garc. de benefic. par. 3. cap. 1. num. 155. Reginal. in praxi lib. 18. n. 173.* & alii plures apud *Bona de Hor. Can. q. 3. puncto 1. num. 3.* contrà *Caiet. verb. Hora §. 2. Less. de iust. lib. 2. cap 37. dub. 12. num. 74.*

QVAESITVM VIII.

Vtrùm, stante aliquo graui negotio, aut occupatione, possit Abbas Diuinum Officium mutare.

SVMMARIVM.

1 *Officium Diuinum pro sequenti die qui pridie recitauerit regulariter non satisfacit præcepto.*

2 *Religiosi possunt ex iusta, & legitima causa diuinum Officium mutare.*

1 Regulariter non satisfacit præcepto, qui pridiè recitat Officium pro sequenti die, excepto Matutino, & Laudibus, vt diximus suprà; quia non recitat intrà tempus ab Ecclesia præscriptum; nam obligatio recitandi officium est affixa diei in honorem, quem Deo tali die exhibere debemus, iuxtà præscriptum Ecclesiæ; at obligatio affixa diei non potest ante illius aduentum adimpleri, quia ante aduentum illius diei non adest obligatio. Ità *Nauar. de orat. cap 10. num. 51. Suar. de Relig. tom. 2. tract. 4. lib. 4 cap. 27. num. 5. Reginald. lib. 18. num. 180. Bonacin. de Horis Canonicis disp. 1. q 3. punct. 3. num. 3.* & alii communiter.

2 Verum quod ad rem nostram facit *Leo X. concessit Fratribus Minoribus, vt possint Officia feriarum, quæ sunt prolixiora anticipare diebus, quibus sunt otiosi, & Officia festiua, quæ sunt breuiora, reseruare in illos dies, quibus credunt, se fore occupatos Concionibus & Confessionibus; modo id non faciant in fraudem, sed ad melius studendum, prædicandum, & Confessiones audiendum.* Ità habetur in *supplem. fol. 59 concess. 170.* quo priuilegio vti poterunt omnes Religiosi communicantes eum dictis Fratribus Minoribus; nec videtur fuisse abrogatum per Constitutionem Pij V. de conformitate in diuino Officio seruanda, quia (vt dicit *Nauar. de orat. cap. 19. num. 88.*) non videtur Leonem X. aliquid cōcessisse, cum hoc etiam liceat de Iure communi, iuxtà quod superueniente aliqua subita occupatione, vel eiusmodi, vt non possit absquè peccato, siuè scandalo ei prouideri, poterit Horarum Canonicarum recitatio omitti; quod tenet etiam *Syluest. in verbo Hora q. 13. in fine, Roderic. quæst. Regul. tom. 1. q. 42. art. 5.* & communem dicit esse *Miran. in man. Prælat. tom. 1 q. 37. art. 19.* ergò dictum priuilegium parum videtur tribuere; nihilominus valdè prodest ad tollendam occasionem scrupuli à timoratis Conscientiis: maximè in casibus in quibus non adsit tam stricta necessitas; nec per dictam Cōstitutionem Pij V. id prohibetur, quia Pius V. prohibetur recitari Diuinum Officium per alium modum, quam qui in suæ Constitutione determinatus est, non autem quod ex aliqua iusta, & legitima causa, non possit iuxtà modum in d. priuilegio Leonis X. traditum recitari; cum idem, imò amplius

plius ex prædictis de iure communi licitum sit, nec per Constitutionem Pij V. iuri communi derogatur.

QVAESITVM IX.

Vtrùm Abbas posit mentaliter in toto, aut pro magna parte Diuinum Officium recitare.

SVMMARIVM.

1 *Officium Diuinum priuatim recitans voce, & ore, non tantum mente, & animo recitare tenetur.*

2 *Abbates priuatim Horas Canonicas recitantes, possunt ex priuilegio illas in totum, vel ex magna parte mentaliter dicere.*

1 PRO huius quæsiti intelligentia notandum est quod qui priuatim Diuinum Officium persoluit ad hoc vt Ecclesiæ præcepto satisfaciat voce, & ore & non tantum mente,& animo recitare cogitur. Quia cũ Ecclesia nõ adstringat immediatè ad actum mentis eius præceptum de Horarum Canonicarum recitatione non impletur solo interno actu mentis.

Præterea *Concil. Basilensi sess. 21.* statutum est, vt Horæ Canonicæ non inter dentes, nec in gutture, nec syncopatè, sed integrè pronuncientur. Ità *Medina, in Cod. de orat. q. 7. in princip. Nauar. de orat. cap. 20. num. 14. & cap. 19. num. 86. Caiet. 2. 2. q. 82. art. 12. Azor. instit. moral. par. 1. lib. 10. cap. 11. q. 4. Reginald. in praxi fori pœnitntiali lib. 18. num. 174.* qui eum *Nauar. dicto cap. 20. num 14. contrà Medina loc. citat.* ait illum, qui non solum priuatim, sed etiam solus absque socijs Diuinum Officium persoluit, satisfacere, si illud ità recitet, vt verè dici possit ore, voceque preces fundere, siue possit ab alio audiri, siuè non. Quia in ipso Diuino Officio, ac etiam in Missa ex Ecclesiæ instituto aliqua extant secretò proferenda: tum quia sic habet communis Religiosorum, ac Doctorum virorum vsus, nempè vt in templo, aut domi, vel cum alijs iter habendo, ne eis molesti sint, & ad fugiendam hypocrisis speciem, summissa voce, ex vrbanitate Horas suas recitent: semper tamen voce, & ore, non autem mẽtaliter recitari debet; quia cum sit oratio vocalis; in hoc differt à mentali, quod consistat in prolatione verborum, vel signorum, quibus hæc significantur.

2 Verùm licèt de Iure hæc ità se habeant tamen ex indulto Leonis Decimi Fratribus Minoribus cõcesso, poterunt Abbates, ac Prælati Regulares, necnon Religiosi eorum priuilegia communicantes Officium Diuinum totum, vel ex magna parte mentaliter dicere; Prædictus enim Summus Pontifex concessit dictis Fratribus Minoribus, *vt ne mutuò se in Officio Diuino impediant, aut alij sint fastidiosi, illa, quæ in Ordinario iubentur dici secretò sub silentio, tàm in Horis Canonicis, quàm etiam in Missa, non teneantur proferre vocaliter, sed satisfaciant, dicendo mentaliter, aut legendo inter se per librum, quia aliqui deuotiùs sic dicunt, & absque impedimento, & fastidio aliorum; & quòd eodem modo possit facere, qui solus dicit Officium per se, cum prolatio verbalis fiat præcipuè, vt ab alijs intelligatur,* ità refertur in *Compen. Mendicant. verb. Officium Diuinum 1. §. 9.* & refert *Miran. manual. Prælat. tom. 1. q. 137. art. 17. & Roderic. quæst. Regul. tom. 1. q. 42. art. 4.*

QVAESITVM X.

Vtrùm Abbas posit Diuinum Officium recitare sedendo, stando, & deambulando.

SVMMARIVM.

1 *Officium Diuinum priuatè recitans potest absq; peccato illud recitare sedendo, vel stando dum genuflectendum est.*

2 *Officium Diuinum quando publicè recitatur, absque vlla omninò causa, non potest absque aliqua culpa stare, vel sedere cum genuflectendum est.*

1 QVandò Abbas priuatè Officium persoluit, potest absque metu lethalis culpæ illud recitare sedendo, cum standum est, aut stando, vel sedendo, cum genuflectendum est, seruata temporis, & aliarum circumstãtiarum diuersitate; dummodò tamen attentè,& cum debita deuotione id faciat. Quia ritus recitandi Horas hoc modo, non videtur receptus sub rigore præcepti, sed tantum maioris deuotionis gratia, saltem in oratione priuata. Ità *Nau. tract. de orat. cap. 4. nu. 7. 12. & seq.* vbi tradit varios orandi modos, & dispositiones, & tandem concludit cum *Innoc. & Host. in cap. 1. de celebrat. Miss.* quod potest quis orare, atque Horas recitare sedendo, stando, deambulando &c. dum tamen id sine aliorum scandalo fiat, & seruentur aliæ circumstantiæ, quę ad attentionem inducunt, aut saltem non impediunt, illam habere.

Difficultas autem est, an Abbas publicè in Choro cum suis Monachis Officium recitans, possit hoc facere? In qua re dicendum est, quodsi, absquè vlla 2 omninò causa, recitat Horas Canonicas in Choro sedendo, cum standum est, vel sedendo, vel stando, cum genuflectendum est, aliquam culpam incurrit: quia nõ videtur præstare debitam reuerentiam Deo, & diuinis Laudibus, dum sine vlla causa publicè stat, vel sedet, alijs genuflectentibus, ex quo exiguæ in Deum deuotionis suspicionem præbet. Ità *Nauar. d. cap. 4. nu. 7. Suar. tom. 2. de Relig. tract. 4. lib. 4. cap. 27. nu. 2.* & alij apud *Bonac. de Horis Canonicis disp. 1. q. 3. punct. 6. num. 4.*

QVAESITVM XI.

In quas pœnas incidant Abbates Diuinum Officium omittentes.

SVMMARIVM.

1 *Abbates, & Prælati seculares habentes beneficia Ecclesiastica, ad quid teneantur si Horas Canonicas omittant.*

2 *Clausula* pro rata temporis, & Officij omissi *quomodo intelligatur ostenditur.*

3 *Horas Canonicas Abbates, & Prælati Regulares recitare omittentes non tenentur aliquid restituere, sed peccant mortaliter.*

1 Abbas

Digitized by Google

1 Abbates, & Prælati seculares habentes onus recitandi Diuinum Officium intuitu beneficij, si illud culpabiliter omittant; præter culpam mortalem, quam incurrunt, tenentur etiam elapsis primis sex mensibus à die captæ possessionis ad restitutionem fructuum perceptorum post dictis sex menses pro rata omissionis officij, vt patet ex Concilio Lateran. sub Leone Decimo, & ex Bulla Pij Quinti, edita 12. Kalend. Octobris 1571. relatis a *Nauar. in manual. cap. 25. num. 121. Suarez de Relig. tom. 2. lib. 4. cap. 29. num. 2. Quaranta verb. Horæ Canonicæ, Bonac. de Horis Canonic. disput. 7. quæst. 5. punct. 2. num. 1.* quomodò autem intelligi debeat, quod ibi dicitur, *pro rata temporis, & officij omissi fructuum perceptorum restitutionem faciendam esse*, declarat Pius Quintus in dicta sua Bulla, videlicet, vt omittens vno, vel pluribus diebus totum officium, teneatur restituere fructus omnes, quos illo die, vel illis diebus percepit, omittens Matutinum tantum, vel reliquas sex horas tantum, teneatur restituere dimidiam partem fructuum illius diei, quo recitare omittit. Si verò vnam tantum horam à Matutino distinctam, v. g. Vesperas, aut Completorium, aut Primam, vel maiorem laudum partem omittat, teneatur sextam illius medietatis fructuum partem restituere. Et iuxta hanc Constitutionem faciendam esse restitutionem docent *Vasq. in opuscul. de benefic. cap. 4. §. 1. dub. 7. num. 39. Bonac. d. punct. 2. num. 8.* & alij.

Hinc patet Abbates, & Prælatos Regulares, qui
3 non respectu beneficij, sed alio iure ad Horas Canonicas tenentur, eas recitare omittentes non teneri ad aliquid restituendum, sed tantum lethalem culpam contrahere, quod non teneantur ad aliquid restituendum patet ex dictis, quod verò lethaliter Diuinum Officium omittentes peccent, communis tàm Theologorum, quàm Canonistarum sententia affirmat. Ratio est, quia agunt contra præceptum peculiare generalis Concilij sub Innocentio Tertio, in quo Ecclesiasticis distinctè in virtute sanctæ obedientiæ præceptum fuit, vt Diuinum Officium, Nocturnum, pariter, & Diurnum, quantùm eis Deus dederit, studiosè, & deuotè celebrent, quod præceptum (vt manifestum est) habet vim obligationis ad mortale, & confirmatur ex *cap. Clericus dist. 91.* vbi peccatum omittendi Diuinum Officium est excommunicatione dignum, excommunicatio autem non imponitur nisi ob peccatum mortale, ex *cap. nemo Episcoporum 11. quæst. 3.* Ita *Nouar. de Orat. cap. 7. num. 5.*

QVAESITVM XII.

Vtrùm Abbas possit infirmum Monachum, vel senem à recitatione Diuini Officij eximere.

SVMMARIVM.

1 *Corporis ægritudo à recitatione Diuini Officij qualis excuset, ostenditur.*

2 *Infirmitas an grauis sit, aut leuis, si dubitetur, quid faciendum.*

3 *Medicus quando manet dubius de grauitate morbi, nec certum iudicium circa excusationem a recitando Diuino Officio profert, requiritur Abbatis consensus.*

4 *Dispensare possunt Abbates cum Monachis, qui sine tædio Officium Diuinum recitare non possunt, vt tempore infirmitatis, vel conualescentiæ loco Horarum aliquid ipsorum Abbatum arbitrio recitent.*

5 *Dispensare cum Abbatibus quis possit vt tempore infirmitatis, vel conualescentiæ loco Horarum aliquid recitare valeant, ostenditur.*

1 Communis Doctorum omnium sententia fert corporis ægritudinem à penso Horarum Canonicarum absoluere, vt latè docet *Nauar. in tractat. de Orat. cap. 11. num. 1.* vbi ait hanc sententiam esse communiter admissam per *textum in canon. Clericus victum, distinct. 91.* ibi, *absque corpusculi sui inæqualitate.* Non omnis autem ægritudo sufficit ad hanc excusationem, vt ipsemet *Nouar.* subdit cum *Innocent. & Hostien.* sed ea tantùm, ob quam infirmo Diuini Officij recitatio directè, aut indirectè notabiliter salutis suæ detrimento esset, & tunc nec Medici iudicium, nec Abbatis consensus, & dispensatio desideratur. Quandò verò infirmitas est ità leuis, vt non impediantur ex ea cæteræ ordinariæ capitis, & linguę actiones, neque per eas notabiliter augeatur, qualis solet esse moderatus pectoris, aut stomachi, vel etiam ipsius capitis dolor; tunc ab eo onere, & penso non eximet, quia illa moralis, aut rationabilis impotentia dici non potest.

2 Quando autem res est dubia, an infirmitas grauis sit nec ne, ait idem *Nauar.* Medicum consulendum esse; non quia ad Medicum spectet à lege recitandi Officium Diuinum soluere: nullam enim iurisdictionem habet. Sed quia ratione officij, & peritiæ in arte ad eum spectat iudicare de morbi grauitate, vel leuitate, quo grauem morbum esse dicente, homines corporis valetudini consulere oportet, præsertim cum non habeant aliam regulam, qua in eiusmodi dubio se regere valeant. *Sotus* tamen *de Iustitia & iure lib. 10. quæst. 5. art. 3.* addit consulendum etiam esse Prælatum, atque eius licentiam postulandam, quod *Nauar.* ad summum pro Religiosis non negat, idem pariter affirmant *Graff. decis. aur. port. 1. lib. 2. cap. 53. num. 2. Azor. instit. moral. part. 1. lib. 10. cap. 13. quæst. 1. Suarez de Relig. tomo 2. tractat. 4. lib. 4. cap. 27. num. 20. Reginald. in praxi fori pœnitent. lib. 18. num 182. vers. quod autem, Sotus in fine*, & alij apud *Bonac. de Horis Canonicis disput. 1. quæst. 6. punct. 1. num. 2.*
3 *& 4.* qui explicant quando scilicet Medicus non manet dubius, sed certam fidem de morbi grauitate faceret, quo casu Prelati consensus necessarius non est. Si verò ipse Medicus de grauitate morbi dubius esset, nec certum iudicium de excusatione proferret; tunc Prelati consensus requiritur. Quod maximè in Religiosis locum habere ait *Suarez loco supra citato*; quia ipsi facilè eorum Prælatos adire possunt, & per priuilegia maiorem in hoc potestatem habere solent. Vnde in simili dubio nullo

modo finè Prælati consensu excusari debent; nisi forte ex aliqua vrgenti causa, vel impedimento illum consulere impediantur; tunc enim prudentis arbitrio vtendum est, & si bona fide procedatur deponendum est dubium, semper tamen in præcepti fauorem inclinandum est, vt ait idem *Suar. num. seq.*

4 Benè igitur ex dictis possunt Abbates, cum suis Monachis infirmis super recitatione Officij Diuini dispensare, eosq; à dicto onere eximere, quod & amplius patet ex priuilegio quodam Eugenij IV. qui Monachis S. Benedicti Congregationis Hispaniæ concessit, *quod quilibet Abbas, Prior, siue Prælatus quorumlibet Monasteriorum præfatorum liberè possint dispensare cum omnibus, & singulis præsentibus, & futuris Monachis quorumcumque Monasteriorum huiusmodi, qui sine tadio non possunt dicere Horas Canonicas, & quod tempore infirmitatis, vel postquam cōualuerint, loco Horarum, ac Officiorum, ad quæ aliàs tenebantur, dicant aliquid certum ad arbitrium ipsorum Ministrorum, & non teneantur ad illud Officium*

5 *Canonicum, & quod cum ipsis Prælatis quilibet Presbyter Monachus per quemuis eorum eligendus dispensare possit*; ita refertur in *Comp. priuil. d. Ord.* & refert *Mirand. in manual. Prælat. tom. 1. q. 37. art. 16.* Aliud huiusmodi priuilegium concessit Martinus V. Fratribus S. Hieronymi, quod refertur in *Compend. priuileg. Mendic. verb. infirmi Fratres §. 11. & 12.* vbi hæc leguntur. *Dum fuerint infirmi, & etiam senes, & valetudinarij, qui tenentur ad Horas Canonicas, satisfaciant recitando aliquas, vel id, quod suis Confessoribus visum fuerit*, quod etsi ibi Confessor tantum nominetur, tamen Abbas censendus est, penes quem primò, & principaliter attendenda est dispensatio, si non expressè, saltèm tacitè, vt ex simili priuilegio eidem Religioni ab Eugenio IV. concesso colligitur, vt videre est in *Compend. priuil. verb. infirmi Fratres §. 12. & 13.* ibi enim primò, & principaliter pro hac dispensatione nominatur Superior, & Vicarius, & deinde Confessor.

QVAESITVM XIII.

Vtrùm Abbates, & Prælati Regulares possint Religiosos sibi subditos Choro destinatos, & proinde vt ad Sacerdotium promoueantur, ad statum laicorum transferre, itaut Religiosi laici remaneant.

SVMMARIVM.

1 *Sententia prima quæ negat refertur.*
2 *Refertur secunda sententia affirmans, quam Auctor sequitur.*
3 *Respondetur ad rationem primæ sententiæ.*
4 *Prælati auctoritate an hæc translatio fieri possit.*

1 IN hac re duæ sunt sententiæ. Prima negat in Prælatis Regularibus talem potestatem adesse. Ducitur, quia Superior Religionis, nequit Religioso concedere facultatem transeundi ad laxiorem Religionem; sed status Laicorum, seu Conuersorum est laxior, & minus perfectus, qua ratione interdictus olim fuit Canonicis Regularibus transitus ad Ordinem Monachalem, *can. mandamus, 19. quæst. 3.* eò quia Monachi erant Laici, & sic Canonicorum Ordo erat altior Ordine Monachorum, vt ait *D. Thom. 2. 2. quæst. 189. art. 8. ad 2.* atque hanc sententiam defendit *Nauar. in cap. quando, quæst. 21. num. 20. de consecrat. dist. 1.*

2 Alteram sententiam, quæ est vera, & sequenda, tuentur *Soto lib. 10. de iust. quæst. 5. art. 3. col. penultim. vers. ad aliud verò, Aragon. 2. 2. q. 83. art. 12. dub. 4. in 4. argum. not. 2. in fine, Azor. instit. moral. tom. 1. lib. 10. cap. 6. quæst. 3. Petr. de Ledesm. 2. tomo summa tract. 9. cap. 4. fol. 1065. col. 1. Sanch. in præcepta Decalog. lib. 6. cap. 7. num. 80.* Horum ratio est, quia in nullo substantialis Religionis status variatur, sed illæsus manet: neque sic translatus, ad aliam Religionem transfertur, sed remanet verus illius Religionis alumnus eom ijsdem ipsismet Religionis votis; tum quia Prælatus etiam potest Religioso ad aliam laxiorem Religionem transeundi licentiam concedere, vt suo loco dicetur: ergò multò magis transferre potest ad illum statum Conuersorum, qui est inferior quidam status intra eamdem Religionem. Tum etiam, quia saltem negari non potest, ob Religiosi crimen id in eius pœnam à Prælato fieri posse, sicut habet potestatem alias grauiores pœnas, vt perpetui carceris, triremis, & his similes inferendi.

3 Nec obstat argumentum pro prima sententia adductum, quia negatur antecedens, & licet admitteretur; tamen hic transitus non est ad laxiorem Religionem, vt dictum est; Ita *Sanchez loco citato.* Hæc autem translatio non potest fieri ab immediatis Conuentum cum Prælatis solius Prouincialis, vel alterius Superioris licentia facienda est, accedente simul consensu Conuentus, in quo huiusmodi trans-

4 latio facienda est; & dummodò causa iusta interueniat, quæ est, vel punitio delicti, vel ingens vitæ humilioris in illo Religioso ardor; siue ineptitudo ad literas addiscendas, & Sacerdotem ministeria, concurrente in his duobus casibus voluntate Religiosi ad eam translationem, nam inuitus, nisi in delicti pœnam cogi non poller, quia hoc suæ professionis terminos excedit; ita *Sanchez dicto cap. 7. num. 81.* vbi subdit in Societate Iesu hanc translationem ex laico ad statum scholasticorum, vel è contra solius Præpositi Generalis esse.

QVAESITVM XIV.

An Religiosus professus ad Chorum deputatus iusta de causa ab Abbate ad Conuersorum statum translatus teneatur Diuinum Officium persoluere.

SVMMARIVM.

1 *Religiosi professi non dum in sacris constituti, quo iure ad recitandum Diuinum Officium adstricti sint, ostenditur.*
2 *Conuersi, vel Laici non tenentur ad Horas Canonicas persoluendum.*

3 *Re-*

3 *Religiosi professi Choro addicti, si ad statum Conuersorum transferantur, non sunt adstricti ad Horas Canonicas.*

1 PRo huius quæsiti explicatione videndum est quo iure Religiosi professi non dum sacris constituti ad Diuini Officij recitationem sint adstricti. Hos autem, certum est, ex vi Religiosæ professionis ad id non obligari; quia professio ipsa Religiosa ad tria tantum vota iuxta Regulam seruanda adstringit; fieri autem posset, vt de recitatione Horarum Canonicarum nihil in Regula contineatur, vt patet in ijs Religionibus, quæ ad Chorum deputatæ non sunt. Patet etiam, quia in ijs Religionibus, quæ ad Chorum destinatæ sunt, nec etiam omnes ex vi professionis ad recitationem Diuini Officij tenentur. Nam ij laici, seu Conuersi, licèt verè professionem solemnem emittant, sintq; verè Religiosi, non tamen ad recitationem Horarum obligantur; vt communiter omnes fatentur, ait *Suar. de Relig. tom. 2. tract. 4. lib. 4. cap. 17. num. 2.* contra *Palud. & alios*. Nec pariter ad id obligãtur ex diuino iure naturali, quo Religiosi per professionem ad Dei cultum dicati sunt. Quia multis alijs modis, quam recitatione Diuini Officij cultus Deo exhiberi potest; præsertim, quia licèt Religiosus in professione voueat viuere secundum Regulam, non tamen imponit sibi necessitatem determinatè ad aliquas actiones cultus diuini, nisi ad eas, quas expressè vouet, vel quæ per Regulam, aut Prælatum districtè præcipiuntur; vt docet *Suar. seq. num. 3. Less. de iust. lib. 2. cap. 37. dub. 9. num. 49. Reginald. in praxi lib. 18. num. 139.*

2 Nec similiter ad id adstringuntur ratione eleemosynarum, quibus viuunt; quia alimenta eis non traduntur à populo propter hanc, vel illam determinatam actionem vitæ Religiosæ, seu simpliciter vt in tali statu perfectionis viuant. Item non aluntur per modum stipendij recitationis Horarum Canonicarum, vt quasi ex obligatione iustitiæ ad illam teneantur; sed aut per modum eleemosynæ, aut absolutæ donationis, & quamuis aliquando addi soleant aliquæ conditiones, aut pacta in ipsa donatione, aut in fundatione, non solent tamen esse recitandi Horas Canonicas, & quatenus apponerentur, Conuentum tantum obligant, non singulos, vt docent *Suar. Less. & Riginald. locis citatis*. Insuper neque tenentur de iure Canonico vt ait *Caietan. verb. Hora Canonica.*

Sequitur ergò necessariò, hanc obligationem eis prouenire ex vniuersali consuetudine. Ita docent *Caiet. loco citato, Medina in Cod. de orat. quæst. 7. circa finem, Azor. instit. moral. part. 1. lib. 10. cap. 6. quæst. 3. Less. de iustit. lib. 2. cap. 37. dub. 9. num. 47. Graff. decis. aur. par. 1. lib. 2. cap. 50. num. 6.* & communem esse ait *Suar. dicto cap. 17. num. 6.* ac *Riginald. in prax. for. pænit. lib. 18. num. 140. Bartbol. à S. Fausto, thes. Relig. lib. 6. quæst. 167. num. 3.* & alij apud *Bonacin. de Horis Canonicis disput. 1. q. 2. punct. 2. num. 1.*

2 Ex his infertur quid dicendum sit de Conuersis, hi enim quantumuis solemni professione adstricti non tenentur Horas Canonicas recitare; quia nec ratione status, habitus, aut Tonsuræ, vel antiquæ consuetudinis, vel ingressus in Religionem ad hoc sunt adstricti. Imò consuetudo contrarium ostendit; vt docent Auctores citati. Igitur pro quæsiti resolutione.

3 Dicendum est Religiosum eo ipso quod à Choro ad statum Conuersorum transfertur, ab Horarum Canonicarum recitatione eximi; quia cum huiusmodi obligatio Religiosis nõ proueniat ex vi professionis, vel ex eo, quod Religiosi sunt, sed tantummodo ex consuetudine, vt dictum est, & ex eo quod ad Chorum deputantur; qui ab ipso Choro Superioris auctoritate iusta de causa eximuntur, ab obligatione recitandi Officium Diuinum absoluuntur. Nam remouentur à statu, in quo inualuit consuetudo Diuinum Officium persoluendi, & transferuntur ad alium statum, in quo talis consuetudo, & obligatio non reperitur, non firmatur, nam si Beneficiarius, qui non dum sacros Ordines suscepit, beneficium dimittat, vtique non tenebitur Officium recitare; ergò ità pariter Religiosus à Choro subductus, & Conuersus effectus, ab onere etiam Choro annexo liberabitur, atque hanc sententiam tuentur, *Sot. de iust. & iur. lib. 10. q. 5. art. 3. post 2. conclus. Azor. instit. moral. par. 1. lib. etiam 10. cap. 6. q. 7. Bartbol. à S. Fausto d. lib. 6. q. 171. Suar. loco citato, Anton. Perez super cap. 19. Regula D. P. Benedicti num. 20.*

QVAESITVM XV.

Vtrùm Abbas posit statuere Officium Conuersis à Monachis nescientibus benè legere, vel Nouitijs.

SVMMARIVM.

1 *Conuersi an loco Horarum Canonicarum teneantur ad aliquid recitandum.*

2 *Abbates possunt Conuersis, siue Oblatis, vel Nouitijs Officium statuere.*

1 COnuersi, siuè Oblati, licèt solemnem professionem emittant, sintq; verè Religiosi, non tenentur tamen ad Horarum Canonicarum recitationem; quia non sunt ad Chorum deputati, vt tenere cõmuniter omnes ait *Suar. de Relig. to. 2. tract. 4. lib. 4. c. 17. n. 2.* sequitur *Regin. lib. 18. n. 158. Palud.* tamen & *D. Ant.* & alij apud *Sylu. verb. Hora, q. 2. n. 3. dict. 2.* dicunt Conuersos, vel Laicos Religiosos teneri loco Horarum Canonicarum ad recitãdum aliquid, quod si ex negligentia omitterent, peccarent mortaliter; quia eo ipso, quod applicati sunt totaliter ad cultum Dei, habet beneficium interpretatiuè, scilicet, viuendi ex eleemosynis, vel redditibus Monasterij, vel de quæstibus; qui eis conceduntur ab Ecclesia ratione applicationis ad cultum Diuinum. Hoc autem non placet, quatenus isti Doctores intelligunt eos ad id teneri ex iure communi, vel ex vniuersali Ecclesiæ consuetudine; quia nullibi in iure hoc cauetur, nec de consuetudine constat, imò contrarium docent communiter Doctores; obligabuntur ergo solum ex Regulæ præscripto; Vnde si Regula non obliget ad culpam, neque in hoc eos ad culpam obligabit, nisi specialiter id exprimat, vt docet *Suarez*, vbi supra, & alij apud eum.

G 2 Iuxtà

Digitized by Google

2 Iuxtà quam doctrinam dicendum est, si ex Regulæ præscripto, vel ex Constitutionibus peculiaribus à Sede Apostolica approbatis Conuersi, siue Oblati re, neantur sub mortali ad aliquid loco Horarum Canonicarum recitandum, vtique possunt ad id ab Abbatibus compelli, aliter non. Quod autem possint Abbates statuere officium Conuersis, siue Oblatis, adest priuilegium Eugenij Quarti, sub Datum Florentiæ anno 1439. Pontificatus sui anno 9. vt habetur in *Comp. priuileg. Vallisol. cent. 35.* per quod concessit; *quod Abbates dicti Ordinis possint statuere Officium Horarum Conuersis, & Oblatis, nec non Monachis rectè legendi minus peritis præcipere, vt recitent Officium B. Mariæ Virginis, dicantq; præfixum ab Abbate orationum numerum loco Officij:* quam facultatem habent omnes Abbates communicantes priuilegia dicti Ordinis.

DISPVTATIO XI.

De potestate Abbatum, & Prælatorum inferiorum circa officium Prædicationis.

Quæst. 1. Vtrùm Abbates alijq; Prælati suis subditis prædicationes facere teneantur.

Quæst. 2. Vtrùm Abbas possit in suis Ecclesijs, absque vlla Episcopi licentia prædicare, vel prædicari facere.

Quæst. 3. Vtrùm Regulares Prædicatores scandala, errores, vel diuinationes prædicantes ab Episcopis, an verò à proprijs Prælatis puniendi sint.

Quæst. 4. Vtrùm Prędicatores Regulares possint absque suorum Abbatum, vel Prælatorum suorum licentia prędicare.

QVAESITVM I.

Vtrùm Abbates, alijq; Pręlati suis subditis prædicationes facere teneantur.

SVMMARIVM.

1 Arguitur pro parte negatiua.
2 Prædicare tenetur Abbas suis subditis.
3 Prælati omnes animarum Curam gerentes tenentur per se, vel per alios, si legitimè impediti fuerint, ouibus suis Dei verbum annunciare.
4 Responsio datur ad obiecta.

1 Videtur primò, quòd Abbas, & Prælatus præcipuè Regularis non teneatur suis subditis prædicare; Abbas enim est Monachus, & Monachus non docentis, sed plangentis habet officium, vt in *can. Monachus 16. quæst. 1.* ergò Abbas non tenetur prædicare.

Secundò, præterea reprehenduntur à Paschale II. illi Abbates, & Monachi, qui Episcopalia iura, & officia sibi arrogantes vendicant, vt in *can. peruenit, 16. quæst. 1.* sed prædicatio proprium munus est Episcoporum, nam loco Apostolorum successerunt, vt in *can. in nouo, distinct. 21.* ibi. *Qui etiam iubente Domino in toto Orbe terrarum dispersi Euangelium prædicauerunt, ipsis quoque decedentibus, in loco eorum surrexerunt Episcopi &c.* Si ergò tale munus prædicandi competit Episcopis, non possunt Prælati inferiores illud exercere.

2 Sed contra est, quod dicit *glos. in sup. alleg. c. Monachus,* quod tunc Abbas, nō potest prædicare, quādo scilicet non habet Curam animarum, sed sic est, quod Abbas præpositus monasterio gerit Curam illius, vt in *c. cum ad Monasterium, de stat. Monach.* ibi, *Abbas vero, cui omnes in omnibus reuerenter obediant, quantò frequentius poterit, sit cum Fratribus in Conuentu, vigilē curam, & diligentem sollicitudinem gerens de omnibus, vt de officio sibi commisso, dignam Deo possit reddere rationē &c.*

3 Præterea vniuersi Præpositi Curam animarum gerentes oues suas in his, quæ Dei sunt, ac eorum instituta concernunt, instruere, ac eorum scelera eis annunciare, ac eas verbi Dei prædicatione pascere debent, adeo vt, nisi legitimo impedimento detenti, per se ipsos tale munus exercere teneantur, etiamsi alia ministeria alijs committant, vt habetur expressè in *Synodo Trid. sess. 5. cap. 2. & sess. 24. cap. 4.* & graue quippe peccatum esset id omittere. Nempe D. Paulus mortalem istam culpam iudicauit, cum *Actor. 20.* ad maiores natu Ecclesiæ, sic ait. *Contestor vos hodierna die, quia mūdus sum à sanguine omnium.* Scilicet de vestris lapsibus, aut interitu, rationē redditurus non sum, nec sui causa mortis, scilicet spiritualis alicuius vestrum; & rationem huius subdens ait, *Non enim subterfugi, quominus annunciarem omne consilium Dei vobis;* indicans, quod si verbum Dei illis annunciare subterfugisset, reus esset eorum mortis. Quippequia omnium illorum, qui ob doctrinæ penuriam deficerent, interitus sibi essent adscribendi, vt adscribitur Medico mors ægri, quem curare neglexit, & mors fame pereuntis ei, qui cum posset, ac consequenter teneretur, pascere noluit. Abbas igitur, qui animas suscepit regendas, de quibus, & rationem redditurus est, & qui in Monasterio Christi Vicarius est, Christique personam sustinet, quando ipsius vocatur prænomine, iuxta ea, quæ inquit *D. Pater Benedict. Regula c. 2.* consequenter Christum imitari tenetur, de quo nempe legimus quod erat quotidie docens in templo, & sicut cæteri Præpositi, quibus animarum Cura commissa est, tenentur ouibus suis Dei verbum annunciare; ita Abbati,

Abbatis, qui Monachorum animas regere suscepit, incumbit ex officio illis prædicare, eosq; ad Regulæ, ac statutorum, suæq; Religionis ordinationum obseruantiam, atq; alia, quæ sunt Christianæ pietatis, & Religionis instituti, adhortari, præcipuè sic monente Sanctissimo Patre nostro Benedicto d. rap. 2. Regulæ, ferè per totum. Vniuersi igitur Prælati animarum curam habentes possunt, imò tenentur ex vi eorum muneris suis subditis verbum Dei prædicare, vel si impediti fuerint, per alios hoc eis præstare; vide Concil. loco citato.

4 Et ex his patet responsio ad primum argumentum, prout ibi respondet *gloss. in verb. habet officium*, scilicet non habens curam animarum.

Ad secundum argumētum *ex cap. peruenit*, respondemus quod Paschalis reprehendit illos Abbates, ex eo quia Episcopalia iura, & alia officia Clericorum sibi vendicabant in aliena Diœcesi, ex quo textu rectè desumitur argumentum, quod Abbates in locis suæ iurisdictionis possunt iura Episcopalia exercere; dicit enim ibi tex. *quod quidam Monachi, & Abbates in Parochia vestra, contra sanctorum decreta, Episcopalia iura sibi arrogāter vendicant*. Ex quibus verbis apertè colligitur à cōtrario sensu, quod benè Abbates in eorum iurisdictione possint talia officia exercere; Argumentum enim à contrario sensu, est fortissimum in iure, vt est *tex. in l. 1. §. huius rei. ff. de officio eius, cui mandata est iurisdictio, & tex. in l. qui testamento §. mulier, ff. de testam.* vbi etiam *glos.* dicit sensum contrarium pro lege accipi, ita quod illud, quod venit à contrario sensu, habeatur perinde, ac si esset expressum in lege, de glossa faciunt testum *Bald. & Paul. de Castr. in d. §. mulier*, & de ea commemorat, *Bald. in l. conuenticula C. de Episc. & Cler.* Vnde concludendum est, quod Abbas in suo Monasterio tenetur suis subditis prædicare, sicut Episcopus in sua Ecclesia.

QVAESITVM II.

Vtrum Abbas possit in suis Ecclesijs absq; vlla Episcopi licentia prædicare, vel prædicari facere.

SVMMARIVM.

1 *Prædicatores Regulares, et etiam in Ecclesijs suorum Ordinum, Episcopis inuitis, & renuentibus prædicare nequeant, quomodo sit intelligendum.*

2 *Abbates, & Prælati Regulares in proprijs Ecclesijs possunt absque vlla Episcopi licentia concionari, vel concionari facere, excepta illa hora, in qua Episcopus prædicauerit, vel ante se prædicari fecerit, intellige vt num. 4.*

3 *Episcoporum nomine veniunt Abbates, & Prælati inferiores, qui sunt locorum Ordinarij.*

1 AD propositum quæsitum respondeo dicendo, quod Prædicatores Regulares etiam in Ecclesijs suorum Ordinum, inuitis, & contradicentibus Episcopis prædicare non possint; vt habetur ex *Concil. Tridentin. sess. 24. de reformat. cap. 4.* vbi statuitur, *vt nullus secularis, aut Regularis, etiam in Ecclesijs suorum Ordinum contradicente Episcopo, prædicare præsumat*: quod Concilij decretum intelligendum est, vt Regulares Prædicatores nequeant in suis Ecclesijs concionem habere, illo scilicet tempore, vel illa hora, qua Episcopi prædicare voluerint, vel coram se ipso prædicari facere; Et sic in casu excepto per *Concilium Viennen. Clem. dudum §. nos vero, de sepultur.* & per *Extrauagant. Bonifacij Octaui, quæ incip. super Cathedram, de sepultur. inter extrauag. cōmun.* quę verbatim inserta est in *d. Clem. dudum, & per extrauag. inter cunctas, de priuileg.* in

2 quibus Iuribus dicitur, quod Fratres Prędicatores, & Minores possint in Ecclesijs, ac locis eorum, ac plateis communibus liberè populo, & Clero verbum Dei proponere; hora illa dumtaxat excepta, in qua locorum Prælati prædicare voluerint, vel coram se facere solemniter prædicari; Quod autem Conc. Tridentini decretum modo prædicto necessariò intelligendum sit, probatur ex eo, quia aliàs sibi contradiceret; dum antea *sess. 5. de reformat. cap. 2.* concesserat, quod in Ecclesijs suorum Ordinum possent Regulares Prædicatores prædicare cum sola Episcoporum benedictione, etiam non obtenta ipsorum licentia speciali; postea verum in prædicto *cap. 4. sess. 24.* præcipit vt non præsumant prædicare etiam in Ecclesijs suorum Ordinum, contradicente Episcopo; ergò ne cogamur asserere Concilium prædictum sibi contradicere, & vt Canonum correctio euitetur, & Iura Iuribus concordentur, dicendum est; ipsum prædicto modo intelligendum esse. Atque ita illud intelligi debere affirmant *Roderic. quæstion. Regular. tom. 1. quæst. 32. art. 1. Miranda in man. Prælatorum tom. 1. quæst. 30. art. 3. conclus. 1. D. Augustin. Barbos. de officio, & potestat. Episcopi par. 3. allegat. 76. num. 20.* igitur regulariter Abbates, & Prælati Regulares in proprijs Ecclesijs possunt absq; vlla Episcopi, vel Ordinarij licentia requisita prædicare, vel prædicari facere, præterquam in illa hora, in qua ijdem locorum Ordinarij concionati fuerint, vel ante se concionari fecerint.

3 Quod non solum de Episcopis, verum etiam de Abbatibus, & alijs Prælatis Episcopo inferioribus intelligendum est, quandò scilicet hi habent Territorium, seu Diœcesim, in qua Episcopalem iurisdictionem exercent; ipsi enim etiam Ordinariorum appellatione veniunt, quod colligitur ex *d. Clem. dudum, & extrauagant. super Cathedram §. nos enim* vbi *glos. verbo Prælati, & verb. Superior* id notat.

4 Aduertendum autem non sufficere, quod Episcopi, vel Ordinarij in suis Ecclesijs concionentur, vel ante se concionari faciant, vt quasi ipso facto prohibitum censeatur Abbatibus, vel alijs Regularibus Prælatis prędicare, vel prædicari facere in suis; nisi Episcopi, siue Ordinarij, vel specialiter, vel generaliter prohibeant, quia concionando solum, vel ante se concionari faciendo, non contradicunt, quandiù autem non contradicunt Regulares vti possunt sua facultate, supposita generali eorumdem Episcoporum, & Ordinariorum approbatione; Ita censet *Suarez de Relig. tomo 4. tractat. 10. lib. 9. cap. 1. num. 30.*

Digitized by Google

QVAESITVM III.

Vtrùm Regulares Prædicatores scandala, errores, vel diuinationes prædicantes ab Episcopis, an verò à proprijs Prælatis puniendi sint.

SVMMARIVM.

1 *Arguitur, quod à nemine puniendi sint.*
2 *Quid contra talia prædicantes statuerit Concilium Lateranen. & Tridentinum ostenditur.*
3 *Prædicatoribus, absquè Summi Pontificis licentia, non licet suas inspirationes, seu reuelationes prædicare.*
4 *Responsio ad Argumenta præstatur.*

1 Videtur primò quod neque Episcopi possint punire Prædicatores, quando prædicant errores, scandala, & diuinationes; nam in illius rebus, in quibus nihil interest ad capescendum Regnum Dei, vtrum credantur, an non, & vtrum vera putentur, aut falsa in his errare, & aliud pro alio reputare, non est arbitrandum esse peccatum, aut si est, minimum esse, atquè leuissimum, iuxta *tex. in c. in quibus 22. quæst. 2.*

Præterea Diuini dicti sunt, quasi Deo pleni, vt in *c. igitur 26. q. 3.* ergo si dicuntur Deo pleni, & diuinationes prædicant, sunt potius venerandi, quàm puniendi, ergò &c.

2 Sed contra est, quod habetur in Concilio Lateranensi sub Leone X. *sess. 11. Si qui in prædicationibus miracula falsa, aut incerta, vel prophetias, quæ ex Sacra scriptura non constant prædicare seu Episcopis, aut eorum Superioribus præfatis detrahere ausi fuerint, vltra pœnas contra tales à iure statutas, excommunicationis etiam sententiam, à qua nonnisi à Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo constituti, absolui possint, eos Concilium incurrere voluit, & vt eorum exemplo, alij attentare minimè audeant prædicationis etiam officium eis esse interdictum perpetuò decreuit.* habetur in *Supplemento fol. 107 concessione 576.* & in *Compendio priuilegiorum, verbo Prædicatoris §. 10.* idem statutum fuerat in *Concil. Viennen.* vt habetur in *Clem. Religiosi 2. quibus etiã, de priuil. & excessib. priuileg.* & tandem in *Concil. Trident. sess. 5. c. 2. §. si verò.* Vbi statutum est, quod si Prædicator errores, aut scandala in Populum disseminauerit, etiãsi in Monasterio sui, vel alterius Ordinis prædicauerit, Episcopus ei prædicationem interdicere debet. Si autem hæreses prædicauerit, contra eum secundum iuris dispositionem, vel loci consuetudinem procedat; etiamsi Prædicator ipse generali, vel speciali priuilegio se exemptum esse prætenderet; In eo enim casu Episcopus Apostolica auctoritate, & tamquam Sedis Apostolicæ delegatus procedere potest; verum ipse Episcopus diligenter curare debet, ne quis Prædicator, vel ex falsis reformationibus, vel aliàs calumniosè vexetur, & iustam de eo conquerendi occasionem habeat, vt dicitur in *Concil. Trident. loco cit.* notant *Roderic. quæst. Regular. tom. 3. q. 32 art. 8. Mirand. manual. Prælat. tom. 1. q. 50. art. 7. Campanil. in diuers. iur. Canon. rubr. 12. cap. 13. num. 21. D. August. Barbos. de offic. & potest. Episcopi par. 3. alleg. 76. in fine,* vbi etiam cum *Gallet. in margarit. Cas. conscient. verb. prædicare vlt.* aduertit non
3 licere Prædicatoribus, absque Summi Pontificis licentia, suas inspirationes, seu reuelationes prædicare; aliàs enim excommunicationem latæ sententiæ Papæ reseruatam incurrerent; quod etiam aduertit *Roderic. d. q. 32. art. 10.*

4 Ad primum argumentum respondemus, quando Prædicatores talia prædicant, quæ non afferunt nocumentum ad vitam æternam capescendam, non sunt puniendi, nam de minimis non curatur. Nos verò loquimur de Prædicatoribus, qui prædicant errores contra Fidem, & de hijs loquens prohibet prædictum Concilium.

Ad secundum argumentum respondemus quod diuini sunt Deo pleni; Sed tales non sunt Deo pleni, sed simulant se esse plenos diuinitate, & astutia quasi fraudulenta, hominibus futura coniecturant; vnde tales diuini à SS. Canonibus damnantur, & puniuntur, non enim ad accusationem admittuntur, vt in *c. quisquis 11. q. 8.* item sunt excommunicandi *cap. si quis 26. quæst. 5.*

QVAESITVM IV.

Vtrùm Prædicatores Regulares possint absq; suorum Abbatum, vel Prælatorum licentia prædicare.

SVMMARIVM.

1 *Argumentatur pro parte affirmatiua.*
2 *Prædicatores Regulares in suis, vel alienis Ecclesijs prædicare volentes à suis Superioribus de vita, moribus, & scientia examinati, & approbati esse, ac eorum licentiam habere debent.*
3 *Prædicatores Regulares, sine Episcopi licentia in Ecclesijs non sui Ordinis prædicantes, à suis Superioribus, non autem ab ipso Episcopo puniẽdi sunt.*

1 Videtur primò, quod Monachi possint, sine licentia Abbatis prædicare, petitio enim licentiæ ab Abbate est propter Votum Obedientiæ. At subditus nõ tenetur in omnibus suis Prælatis obedire, sed tantum in ijs, quæ pertinent ad dispositionem actuum, & rerum humanarum, vt ait *D. Thom. 2. 2. q. 104. art. 5.* sed prædicatio nõ pertinet ad dispositionem actuum, & rerum humanarum, sed diuinarum, vt patet; ergò.

Secundò, obedire oportet magis Deo, quàm hominibus; sed quandoque Abbates, sine causa denegant talem licentiam Monachis prædicare volentibus, ex qua denegatione impeditur verbi Dei prædicatio, & sic talis petitio licentiæ aliquando est magis damnosa, quàm fructuosa; ergò.

2 Sed in contrariũ est veritas, nam Regulares sine Superiorum, & Prælatorum licentia, minimè prædicare possunt; & hoc primò probatur ex *c. cum ex iniuncto, de hæret.* vbi testimonio *D. Pauli ad Roman. 10.* dicitur neminem posse absque legitima Superioris facultate, prædicare; ait enim *D. Paulus, quomodo prædicabunt, nisi mittantur;* vbi ostendere volens, qualiter Prædicatores in huiusmodi ministerio, & officio

ficio se intromittere non debent, nisi vel immediatè à Deo, vel mediatè per suos Superiores sibi fuisset demandatum, subdit quomodo verò prædicabunt, nisi mittantur? quasi dicat malè; mittere autem spectat ad Superiores nisi ex speciali reuelatione diuina alicui tale munus committatur, vt de S. Equitio refert D. *Greg. lib. 1. Dial. cap. 5.* Præterea id expresse habetur ex *Conc. Trident. sess. 5. de reformat. cap. 2.* vbi statutum est. *Vt Regulares cuiuscunque Ordinis, nisi à suis Superioribus de vita, moribus, & scientia examinati, & approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in Ecclesijs suorum Ordinum Prædicare non possunt. In Ecclesijs verò, quæ suorum Ordinum non sunt, vltra licentiam superiorum, teneantur etiam Episcopi licentiam habere*; ex quibus claré patet, semper Regularibus Prædicatoribus, ad prædicationis munus exercendum suorum Prælatorum licentiam necessariam esse, notant *Mirand. in man. Prælat. tom. 1. q. 50. art. 1. Regin. in prax. lib. 18. num. 123. Ricc. in prax. for. Eccles. resolut. 633. in 2. edit. Galett. in margarit. cas. Conscient. verb. licentia, Piasec. in sua praxi noua Episc. par. 2. cap. 3. sub num. 41. vers. Prædicator item, D. Barbos. de offic. & potest. Episcop. par. 3. alleg. 76. num. 17. & 18.*

Ad primum argumentum respondemus ex *S. Tho. loc. cit.* quod tenetur homo homini obedire in his, quæ exterius per corpus sunt agenda; & quamuis prædicatio (vt diximus) non pertineat ad actiones humanas, sed diuinas, nihilominus tales actiones fiunt exterius per corpus, ideo non obstat argumentum.

Ad secundum argumentum respondemus quòd quando præcepta Superioris sunt contra Deum in his non est obediendum, si aliquando Superior denegaret Monacho talem licentiam petenti, non per hoc dici potest, quod Abbas præcipiat aliquid contra Deum; nec per hoc valet dicere, Abbas potest denegare licentiam, ergò non est petenda licentia; nam hoc potest esse falsum, & falsum non præsumitur, nisi probetur vt est *tex. in c. cum Ioannes, de fide instrum.* & quamuis Abbas denegaret talem licentiam, in hoc nihilominus tenetur Monachus obedire; quia Monachus tenetur hoc ex necessitate iustitiæ propter Votum.

3 Regulares igitur Prædicatores, habita prius suorum Prælatorum licentia; in proprij Ordinis Ecclesijs concionari volentes debent cum ea se coram Episcopis præsentare, ab eisq; benedictionem petere: qua petita, etiam venia non obtenta concionare poterunt, vt dicitur in *Conc. d. cap. 2.* & decisum fuisse referunt *Roderic. quæst. Regul. tom. 3. q. 32. art. 5. Ric. & Galett. loc. cit. D. Barbos. d. alleg. 76. num. 19.* In Ecclesijs autem non sui Ordinis, præter suorum Prælatorum licentiam, etiam Episcopi licentia indigent, sine qua nullo modo in illis prædicare valent, ex dispositione *Conc. d. cap. 2.* Si tamen hoc facerent, non ab Episcopis, sed à suis Superioribus puniendi sunt, ex decisione Sacræ Congregationis, relata à *Quaranta in summa Bullar. verb. priuilegia Regularium fol. mihi 406. Piasec. d. cap. 3. sub num. 41. vers. prædicans tamen, Campanil. in diuers. iur. Canonici rubr. 12. cap. 13. nu. 10. D. Barbos. d. alleg. 76. nu. 24.* in hæc verba, *Congregatio Concilij censuit Regulares, qui absque licentia Episcopi prædicauerint in Ecclesijs, quæ suorum Ordinum non sunt, tametsi decreto eiusdem Concilij cap. 2. sess. 5. contrafecerint, non posse tamen puniri ab Episcopo, sed tantum à suis Superioribus Regularibus.*

DISPVTATIO XII.

De potestate Abbatum, & Prælatorum inferiorum circa ieiunium.

QVAE-

Google

QVAESITVM III.

An præter ieiunia ab Ecclesia fidelibus præcepta, teneatur Abbas cum suo Conuentu alia ieiunia obseruare.

SVMMARIVM.

1 *Fideles quibus anni diebus ieiunare ex præcepto teneantur.*

2 *Monachi ex Regula ad quæ ieiunia teneantur.*

3 *Abbas cum suis Monachis de iure tenetur sub mortali ad ea tantum ieiunia, quæ cæteri fideles obseruare debent.*

4 *Responsio ad argumenta.*

1 AD euidentiam propositi quæsiti præmittendum est, quod omnes Christi fideles singulis Quadragesimæ diebus (præter dies Dominicos) quatuor anni temporibus, ac vigilijs ieiunare tenentur, vt notatur in *c. quadrages. ma de consecrat. dist. 5. & in c. denique dist. 4. & dist. 86 in pluribus Canonib. Abbas in rub. de obseruat. ieiun.* In quibus etiam comprehenditur vigilia Pentecostes, iuxta *gloss. in c. feire* *necessario dist. 86 & glo. in c. 2. de obser. ieiun.* cuius dies ieiunium est de præcepto propter generalem cõsuetudinẽ fideliũ, secundum *Caiet. in verb. Ieiunium ex 2. 2. q. 147. art. 5. Sylu. ver. Ieiuniũ nu. 4. S. Antonin. 2. par. tit. 6. cap. 2. §. 1. Azor. inst. mor. par. 1. lib. 7. c. 24. in fine*, & omnes Modernos. Et non seruantes ieiunium his diebus, absque legitima causa, peccant mortaliter, siue id faciant ex contemptu, vt quia nolunt se subijcere præcepto Superioris, siue ex inobedientia, siue ex concupiscentia gulæ. In qua autẽ ætate ieiunare teneantur, vide *Payor. vbi sup. n. 7.*

2 His ita præmissis descendendo ad quæsitum primò videtur quod Abbas cum suis Monachis teneatur ad alia ieiunia præter supradicta, quæ communiter ab omnibus Christi fidelibus obseruantur. Vt ieiunare infra hebdomadam scilicet quarta, & sexta feria, & Sabbato, ac probatur in *c. ab esu carnium, de consecrat. dist. 3.* Præterea habetur in *c. Ieiunia de consecr. dist. 3. sup. cit.* quod Ieiunia sanè legitima in quarta, & sexta feria non soluant, nisi grandis aliqua necessitas fuerit; quia quarta feria Iudas traditionem Domini cogitauit, sexta feria Crucifixus est Saluator; vnde si quis sine necessitate in his ferijs fregerit ieiunium, dicit ibi textus, quod cum tradente tradit Saluatorem: vel cum crucifigentibus eum crucifigit.

2 Præterea vltra prædicta adsunt etiam Ieiunia statuta in Regula D. Benedicti, quam obseruare tenentur omnes sub illa militantes, vbi *cap. 41.* sic dicitur. *A Sancto Pascha vsque ad Pentecostem ad Sextam reficiant Fratres, & ad seram cœnent; à Pentecoste autem tota æstate, si labores agrorum non habent Monachi, aut nimietas æstatis non perturbat, quarta, & sexta feria ieiunent vsque ad Nonam, reliquis vero diebus ad Sextam prandeant. Quæ prandij Sexta, si operam in agris habuerint, aut æstatis feruor nimius fuerit continuanda erit, & in Abbate sit prouidentia &c.* & infra. *Ab Idibus autem Septembris vsque ad caput Quadragesimæ, ad Nonam semper reficiant Fratres, in Quadragesima vero vsque ad Pascha ad Vesperam*

3 *reficiant.* Ex quibus verbis patet, quod Abbates omnes sub ea regula militantes tenentur ad ieiunia in ea præscripta. Vnde Casinenses hoc capitulum declarantes dicunt: *ex quo Monachi multas consuetudines dispensationes, & indulgentias circa statuta Regulæ volentes aliquibus compensationem reddere ordinamus, vt omnes Monachi ieiunent per totum annum omnibus diebus Veneris, ob reuerentiam eius diei, in qua Dominus noster Iesus Christus passus est; nisi forte tali die aliquando contingeret aliquod solemne & præcipuum festum celebrari: quo casu dispensatur tempore æstiuo, quo tempore ob nimium calorem addatur tantum iaculo serotino aliqui fructus.*

4 Contrarium tamen dicendum est, nempe quod Abbas cum suis Monachis non teneatur ad alia ieiunia sub mortali, nisi ad ea, ad quæ tenentur omnes Christi fideles. Et sic ad argumenta respondemus; & primò ad argumentum ex *cap. de esu. carnium de consecr. dist. 3.* quod loquitur de ieiunio, quoad esum carnium: nam sexta feria, & Sabbato non licet comedere carnes, & feria quarta est de consilio, non de præcepto; vt dicit ibi *gloss.*

5 Ad secundum argumentum ex *c. ieiunia*, respondemus illum textum loqui de his, qui ex voto tenentur; vel possumus respondere, quod talis obseruantia fuit in ipsa primitiua Ecclesia, vt dicit ibi *gloss. in eod. cap. in verb. persoluenda*, hodie autem non amplius obseruatur. Vnde reiectis contrarijs firma permanet nostra opinio.

Ad tertium argumentũ respondetur, quod ieiunia in Regula præscripta non obligant ad mortale si prætermittantur, cum non sint de præcepto, sed tantum de consilio, in Regula enim præter essentialia Religionis, quæ sunt tria Vota, & præterea, quæ sunt tanquam finis Regulæ, vel essentialiter ad illum facientia, & ad salutem necessaria, vt diligere Deum, & proximum, mandata Dei, & Ecclesiastica seruare: reliqua sunt tantum consilia non autem præcepta; vt aiunt *Turrecr. in exposit. prædictæ Regulæ tract. 5. & 6. D. Anton. 3. par. tit. 16. c. 9. S. Sylu. verbo Religio 1. q. 10.* & alij quos retulimus in *disp. de pot. & mun. Abb. circa Votum obed.* An autem vltra ieiunia communiter omnibus Christi fidelibus præcepta teneatur Abbas cum suis Monachis ad ieiunium in Aduentu Domini dicemus in seq. quæsito.

QVAESITVM II.

Vtrùm Abbas cum suis Monachis obligetur ad ieiunium Aduentus Domini.

SVMMARIVM.

1 *Abbatem, & Monachos teneri sub mortali ad ieiunium Aduentus Domini, tenent aliqui.*

2 *Ieiunium Aduentus Domini est de consilio non autem de præcepto secundum veriorem opinionem.*

3 *Religiosi regulariter non tenentur sub mortali ad ieiunium, tempore Aduentus.*

1 VIdetur, quod sic; quia saltem ex generali consuetudine obligantur Monachi ad ieiunia tempore Aduentus Domini seruanda; ad quæ ipsa consuetudo

suetudo ligat & de ea cõsuetudine quoad Monachos Casinenses testatur *Graff. decis. aur. par. 1. lib. 2. cap. 37. num. 9.* & quoad omnes Religiosos testatur *Azor. instit. moral. par. 1. lib. 7. cap. 27. quæst. 3.*

1 Sed contra est, quod dicunt communiter Doctores *in cap. consilium, de obseru. ieiun.* nempe, quod obseruatio ieiunij tempore Aduentus sit tantum de consilio, vt testatur *Sylu. in verb. Ieiunium num. 5. circa finem*, atq; quod nec etiam Religiosis ieiunium tempore Aduentus sit de praecepto, sed de consilio, communiter teneri ait *Tabien. in sum. verb. Ieiunium q. 10. num. 11. circa fin.* cum hac limitatione, nisi aliquibus Religiosis hoc sub precepto in Regula, vel statutis praescriptum sit. Et ità resoluendum est in praesenti quæsito; Sed Regula non obligat sub mortali ad ieiunium Aduentus vt diximus; ergo Abbates, & eorum Religiosi non tenebuntur sub mortali illud seruare. Ad argumentum respondetur, quod ad hoc, vt dicatur consuetudo manifesta, videtur, quod non sufficiant plures vices; nisi institutum sit quod illud pro consuetudine à modo seruetur; nam potest esse, quod ex gratia, vel tolerantia hoc sæpius sit permissum, vnde licet aliquid pluries fiat, nisi eo animo sit factum, vt in posterum fieret, non dicitur vsus, & consuetudo. Ità *gloss. in c. consuetudo 1. dist.*

QVAESITVM III.

Abbas quandò teneatur seruare in suo Monasterio ieiunia sæcularibus consueta, præter alia ab Ecclesia præcepta.

SVMMARIVM.

1. *Religiosi tenentur ad ieiunia per generalem consuetudinem in aliquo loco recepta; Secus vero ad ieiunia per particularem consuetudinem introducta num. 2. limita vt num. 3.*

AD propositum quæsitum respondeo cum distin-
1 ctione. Nam si aliqua ieiunia generali consuetudine ab omnibus in aliqua Prouincia, Oppido, vel loco obseruantur, ad ea quoque Abbas vna cum suis Monachis obligatur, si autem talis consuetudo ieiunandi non vniuersaliter ab omnibus obseruatur, sed est particularis Clericorum, vel secularium, dico quod Abbas non tenetur eam seruare, sicut nec similiter Monasterium. Quia cõsuetudo generalis omnes generaliter obligat; Ergò etiam Religiosos obligabit; tum quia Religiosi tenentur festis qui communi vsu coluntur in loco, vbi situm est Monasterium; ergò tenentur etiam ieiunijs, in eo loco cõmuniter seruari consuetis. Ità *Azor. instit. moral. par. 1. lib. 7. c. 30. q. 2.* alios citans, & post eum *Reginald. in praxi lib. 4.*
2 *num. 135.* Si autem talis consuetudo ieiunandi non vniuersaliter ab omnibus obseruatur; sed est particularis Clericorum, vel secularium: dico, quod Abbas non tenetur, eam seruare: si autem nec similiter Monasterium. Quia cum non idem, sed varius sit modus ieiunij in statu secularium, & Religiosorum; Sicut non sequitur, Religiosorum consuetudo est tali tempore ieiunare, aut in ieiunio seruare abstinentiam à talibus cibis; ergò seculares idem facere tenentur; ità neque sequitur, Clerici seculares, aut laici tali die ieiunare cõsueuerunt; ergò debent quoque Religiosi ieiunare. Tum quia consuetudo, cum habeat vim legis, in tantum obligat, in quantum recepta est, sed huiusmodi consuetudo, de qua loquimur, non est recepta apud Religiosos seorsim ab alijs viuentes; ergò ipsos non obligat. Excipiendus
3 tamen est casus, in quo ipsi Religiosi darent alijs scandalum; quia tunc ieiunare tenentur. Ita *Sylu. verb. Ieiunium q. 2.* & alij apud *Azor. loc. cit. Reginald. d. num. 135. Bonac. in Decalog. disp. vlt. q. 1. punct. 6. num. 5.*

QVAESITVM IV.

Vtrùm Abbas possit suis Religiosis professis, qui non dum ad tempus ieiunandi peruenerunt, ieiunia suæ Regulæ, & Religionis percipere.

SVMMARIVM.

1 *Respublica, vel Princeps possunt, ob communem omnium salutem, ieiunium indicere.*
2 *Religiosi professi, qui non dum ad tempus ieiunio requisitum peruenerunt, non tenentur ad ieiunia in Regula præscripta, seruanda.*
3 *Lex adaptatur ad ea, quæ frequentiùs accidunt.*

VIdetur primò, quòd Abbas possit talia ieiunia supradictis præcipere; Nàm tale præceptum Abbatis fundatur super Regula suæ Religionis, sed Regulæ preceptum, & lex ligat omnes Professos, & quemadmodum adolescens sponte suà votum Deo facere potest de ieiunio seruando, sic etiam se te Religioni obligare, ita vt eius præceptis, & legibus sit obediens.

1 Prætetea sicut potest Respublica, & Principes, ob communem omnium salutem, ieiunium indicere, quòd seruare etiam adolescentes oportet; ita etiam Abbas potest professis siue Religiosis, qui adhuc ad tempus ieiunio requisitum non peruenerunt, ad seruandum ieiunium suæ Religionis compellere.

2 Sed contra est, quod dicit *Medina in sua Instructione confessorum lib. 1. c. 14. §. 10.* quem sequitur *Graff. decis. aur. par. 1. lib. 2. cap. 37. num. 42.* qui asserunt tales professos ad id minimè obligari; quia Regula non videtur arctioris esse vinculi, quàm lex Ecclesiastica; sed lex Ecclesiastica non obligat adolescentes, qui non dum ad vigesimum primum annum peruenerunt; vt tenet *Gabriel, & Rosell.* quos refert, & sequitur *Azor. instit. moral. par. 1. lib. 7. cap. 28. q. 2. Reginald. lib. 4. nu. 207. Sylu. verb. Ieiunium q. 6. Nald. in sum. verb. Religiosus n. 21. Sa verb. Ieiunium n. 3. Bonac. in Decalog. disp. vlt. q. 1. pun. vlt. n. 6.* Ergo neque Abbas potest præcipere tale ieiunium professis, qui ad tale tempus adhuc nõ peruenerunt, quamuis quoad ieiunia à Regula prescripta, Religiosos ante 21. ætatis annum ad ea obligari teneat, *Azor.* quem sequuntur reliqui *Doct. 2. loco allegati.* At prima opinio magis placet; Nec obstãt argumenta in contrarium allegata, nam ad ea deueniendo, ad primum respondemus, quòd licet præceptum Abbatis

Digitized by Google

modo sinè Prælati consensu excusari debent; nisi forte ex aliqua vrgenti causa, vel impedimento illum consulere impediantur; tunc enim prudentis arbitrio vtendum est, & si bona fide procedatur deponendum est dubium, semper tamen in præcepti fauorem inclinandum est, vt ait idem *Suar. num. seq.*

4 Benè igitur ex dictis possunt Abbates, cum suis Monachis infirmis super recitatione Offici Diuini dispensare, eosq; à dicto onere eximere, quod & amplius patet ex priuilegio quodam Eugenij IV. qui Monachis S. Benedicti Congregationis Hispaniæ concessit, *quod quilibet Abbas, Prior, siue Prælatus quorumlibet Monasteriorum præfatorum liberè possint dispensare cum omnibus, & singulis præsentibus, & futuris Monachis quorumcumque Monasteriorum huiusmodi, qui sinè tædio non possunt dicere Horas Canonicas, & quod tempore infirmitatis, vel postquam cōualuerint, loco Horarum, ac Officiorum, ad quæ aliàs tenebantur, dicant aliquid certum ad arbitrium ipsorum Ministrorum, & non teneantur ad illud Officium*

5 *Canonicum, & quod cum ipsis Prælatis quilibet Presbyter Monachus per quemuis eorum eligendus dispensare possit*; ita refertur in *Comp. priuil. d. Ord.* & refert *Mirand. in manual. Prælat. tom. 1. q. 37. art. 16.* Aliud huiusmodi priuilegium concessit Martinus V. Fratribus S. Hieronymi, quod refertur in *Compend. priuileg. Mendic. verb. infirmi Fratres §. 11. & 12.* vbi hæc leguntur. *Dum fuerint infirmi, & etiam senes, & valetudinarij, qui tenentur ad Horas Canonicas, satisfaciant recitando aliquas, vel id, quod suis Confessoribus visum fuerit*, quod etsi ibi Confessor tantum nominetur, tamen Abbas censendus est, penes quem primò, & principaliter attendenda est dispensatio, si non expresse, saltèm tacitè, vt ex simili priuilegio eidem Religioni ab Eugenio IV. concesso colligitur, vt videre est in *Compend. priuil. verb. infirmi Fratres §. 12. & 13.* ibi enim primò, & principaliter pro hac dispensatione nominatur Superior, & Vicarius, & deinde Confessor.

QVAESITVM XIII.

Vtrùm Abbates, & Prælati Regulares possint Religiosos sibi subditos Choro destinatos, & proinde vt ad Sacerdotium promoueantur, ad statum laicorum transferre, itaut Religiosi laici remaneant.

SVMMARIVM.

1 *Sententia prima quæ negat refertur.*
2 *Refertur secunda sententia affirmans, quam Auctor sequitur.*
3 *Respondetur ad rationem primæ sententiæ.*
4 *Prælati auctoritate an hæc translatio fieri possit.*

1 IN hac re duæ sunt sententiæ. Prima negat in Prælatis Regularibus talem potestatem adesse. Ducitur, quia Superior Religionis, nequit Religioso concedere facultatem transeundi ad laxiorem Religionem; sed status Laicorum, seu Conuersorum est laxior, & minus perfectus, qua ratione interdictus olim fuit Canonicis Regularibus transitus ad Ordinem Monachalem, *can. mandamus, 19. quæst. 3.* eò quia Monachi erant Laici, & sic Canonicorum Ordo erat altior Ordine Monachorum, vt ait *D. Thom. 2. 2. quæst. 189. art. 8. ad 2.* atque hanc sententiam defendit *Nauar. in cap. quando, quæst. 21. num. 20. de consecrat. dist. 1.*

2 Alteram sententiam, quæ est vera, & sequenda, tuentur *Soto lib. 10. de iust. quæst. 5. art. 3. col. penultim. vers. ad aliud verò, Aragon. 2. 2. q. 83. art. 12. dub. 4. in 4. argum. not. 2. in fine, Azor. instit. moral. tom. 1. lib. 10. cap. 6. quæst. 3. Petr. de Ledesm. 2. tomo summæ tract. 9. cap. 4. fol. 1065. col. 1. Sanch. in præcepta Decalog. lib. 6. cap. 7. num. 80.* Horum ratio est, quia in nullo substantialis Religionis status variatur, sed illæsus manet: neque sic translatus, ad aliam Religionem transfertur, sed remanet verus illius Religionis alumnus eum iisdem ipsiusmet Religionis votis; tum quia Prælatus etiam potest Religioso ad aliam laxiorem Religionem transeundi licentiam concedere, vt suo loco dicetur: ergò multò magis transferre potest ad illum statum Conuersorum, qui est inferior quidam status intra eamdem Religionem. Tum etiam, quia saltem negari non potest, ob Religiosi crimen id in eius pœnam à Prælato fieri posse, sicut habet potestatem alias grauiores pœnas, vt perpetui carceris, triremis, & his similes inferendi.

3 Nec obstat argumentum pro prima sententia adductum, quia negatur antecedens, & licet admitteretur; tamen hic transitus non est ad laxiorem Religionem, vt dictum est; Ita *Sanchez loco citato.* Hæc autem translatio non potest fieri ab immediatis Conuentum eum Prælatis solius Prouincialis, vel alterius Superioris licentia facienda est, accedente simul consensu Conuentus, in quo huiusmodi trans-

4 latio facienda est; & dummodò causa iusta interueniat, quæ esset, vel punitio delicti, vel ingens vitæ humilioris in illo Religioso ardor; siue ineptitudo ad literas addiscendas, & Sacerdotum ministeria, concurrente in his duobus casibus voluntate Religiosi ad eam translationem, nam inuitus, nisi in delicti pœnam cogi non posset, quia hoc suæ professionis terminos excedit; ita *Sanchez dicto cap. 7. num. 81.* vbi subdit in Societate Iesu hanc translationem ex laico ad statum scholasticorum, vel è contra solius Præpositi Generalis esse.

QVAESITVM XIV.

An Religiosus professus ad Chorum deputatus iusta de causa ab Abbate ad Conuersorum statum translatus teneatur Diuinum Officium persoluere.

SVMMARIVM.

1 *Religiosi professi non dum in sacris constituti, quo iure ad recitandum Diuinum Officium adstricti sint, ostenditur.*
2 *Conuersi, vel Laici non tenentur ad Horas Canonicas persoluendum.*

3 Re-

3 *Religiosi professi Choro addicti, si ad statum Conuersorum transferantur, non sunt adstricti ad Horas Canonicas.*

1 Pro huius quæsiti explicatione videndum est quo iure Religiosi professi non dum in sacris constituti ad Diuini Officij recitationem sint adstricti. Hos autem, certum est, ex vi Religiosæ professionis ad id non obligari; quia professio ipsa Religiosa ad tria tantum Vota iuxta Regulam seruanda adstringit; fieri autem posset, vt de recitatione Horarum Canonicarum nihil in Regula contineatur, vt patet in ijs Religionibus, quæ ad Chorum deputatæ non sunt. Patet etiam, quia in ijs Religionibus, quæ ad Chorum destinatæ sunt, nec etiam omnes ex vi professionis ad recitationem Diuini Officij tenentur. Nam ij laici, seu Conuersi, licèt verè professionem solemnem emittant, sintq; verè Religiosi, non tamen ad recitationem Horarum obligantur; vt communiter omnes fateri ait *Suar. de Relig. tom. 2. tract. 4. lib. 4. cap. 17. num. 2.* contra *Palud. & alios*. Nec pariter ad id obligantur ex diuino iure naturali, quo Religiosi per professionem ad Dei cultum dicati sunt. Quia multis alijs modis, quam recitatione Diuini Officij cultus Deo exhiberi potest; præsertim, quia licèt Religiosus in professione voueat viuere secundum Regulam, non tamen imponit sibi necessitatem determinatè ad aliquas actiones cultus diuini, nisi ad eas, quas expressè vouet, vel quæ per Regulam, aut Prælatum districtè præcipiuntur; vt docet *Suar. seq. num. 3. Less. de iust. lib. 2. cap. 37. dub. 9. num. 49. Reginald. in praxi lib. 18. num. 139.*

2 Nec similiter ad id adstringuntur ratione eleemosynarum, quibus viuunt; quia alimenta eis non traduntur à populo propter hanc, vel illam determinatam actionem vitæ Religiosæ, seu simpliciter vt in tali statu perfectionis viuant. Item non aluntur per modum stipendij recitationis Horarum Canonicarum, vt quasi ex obligatione iustitiæ ad illam teneantur; sed aut per modum eleemosynæ, aut absolutæ donationis, & quamuis aliquando addi soleant aliquæ conditiones, aut pacta in ipsa donatione; aut in fundatione, non solent tamen esse recitandi Horas Canonicas, & quatenus apponerentur, Conuentum tantum obligant, non singulos; vt docent *Suar. Less. & Reginald. locis citatis*. Insuper neque tenentur de iure Canonico vt ait *Caietan. verb. Horæ Canonicæ*.

Sequitur ergò necessariò, hanc obligationem eis prouenire ex vniuersali consuetudine. Ita docent *Caiet. loco citato, Medina in Cod. de orat. quæst. 7. circa finem, Azor. instit. moral. part. 1. lib. 10. cap. 6. quæst. 3. Less. de iustit. lib. 2. cap. 37. dub. 9. num. 47. Graff. decis. aur. par. 1. lib. 2. cap. 56. num. 6.* & communem esse ait *Suar. dicto cap. 17. num. 6.* ac *Reginald. in prax. for. pœnit. lib. 18. num. 140. Barthol. à S. Fausto, thes. Relig. lib. 6. quæst. 167. num. 3.* & alij apud *Bonacin. de Horis Canonicis disput. 1. q. 2. punct. 2. num. 1.*

2 Ex his infertur quid dicendum sit de Conuersis, hi enim quantumuis solemni professione adstricti non tenentur Horas Canonicas recitare; quia nec ratione status, habitus, aut Tonsuræ, vel antiquæ consuetudinis, vel ingressus in Religionem ad hoc sunt adstricti. Imò consuetudo contrarium ostendit; vt docent Auctores citati. Igitur pro quæsiti resolutione.

3 Dicendum est Religiosum eo ipso quod à Choro ad statum Conuersorum transfertur, ab Horarum Canonicarum recitatione eximi; quia cum huiusmodi obligatio Religiosis nõ proueniat ex vi professionis, vel ex eo, quod Religiosi sunt, sed tantummodo ex consuetudine, vt dictum est, & ex eo quod ad Chorum deputantur; qui ab ipso Choro Superioris auctoritate iusta de causa eximuntur, ab obligatione recitandi Officium Diuinum absoluuntur. Nam remouentur à statu, in quo inualuit consuetudo Diuinum Officium persoluendi, & transferuntur ad alium statum, in quo talis consuetudo, & obligatio non reperitur, confirmatur, nam si Beneficiarius, qui non dum sacros Ordines suscepit, beneficium dimittat, vtique non tenebitur Officium recitare; ergò ita pariter Religiosus à Choro subductus, & Conuersus effectus, ab onere etiam Choro annexo liberabitur, atque hanc sententiam tuentur, *Sot. de iust. & iur. lib. 10. q. 5. art. 3. post 2. conclus. Azor. instit. moral. par. 1. lib. etiam 10. cap. 6. q. 7. Barthol. à S. Fausto d. lib. 6. q. 171. Suar. loco citato, Anton. Perez super cap. 19. Regulæ D. P. Benedicti num. 20.*

QVAESITVM XV.

Vtrùm Abbas possit statuere Officium Conuersis ac Monachis nescientibus benè legere, vel Nouitijs.

SVMMARIVM.

1 *Conuersi an loco Horarum Canonicarum teneantur ad aliquid recitandum.*

2 *Abbates possunt Conuersis, siue Oblatis, vel Nouitijs Officium statuere.*

1 Conuersi, siuè Oblati, licet solemnem professionem emittant, sintq; verè Religiosi, non tenentur tamen ad Horarum Canonicarum recitationem; quia non sunt ad Chorum deputati, vt tenere cõmuniter omnes ait *Suar. de Relig. to. 2. tract. 4. lib. 4. c. 17. n. 2.* sequitur *Regin. lib. 18. n. 158. Palud.* tamen & *D. Ant.* & alij apud *Sylu. verb. Hora, q. 2. n. 3. dict. 2.* dicunt Conuersos, vel Laicos Religiosos teneri loco Horarum Canonicarum ad recitãdum aliquid, quod si ex negligentia omitterent, peccarent mortaliter; quia eo ipso quod applicati sunt totaliter ad cultum Dei, habent beneficium interpretatiuè, scilicet, viuendi ex eleemosynis, vel redditibus Monasterij, vel de quæstibus; qui eis conceduntur ab Ecclesia ratione applicationis ad cultum Diuinum. Hoc autem non placet; quatenus isti Doctores intelligunt eos ad id teneri ex iure communi, vel ex vniuersali Ecclesiæ consuetudine; quia nullibi in iure hoc cauetur, nec de consuetudine constat, imò contrarium docent cõmuniter Doctores; obligabuntur ergo solum ex Regulæ præscripto; Vnde si Regula non obligat ad culpam, neque in hoc eos ad culpam obligabit, nisi specialiter id exprimat, vt docet *Suarez*, vbi supra, & alij apud eum.

2 Iuxtà quam doctrinam dicendum est, si ex Regulæ præscripto, vel ex Constitutionibus peculiaribus à Sede Apostolica approbatis Conuersi, siue Oblati teneantur sub mortali ad aliquid loco Horarum Canonicarum recitandum, vtique possunt ad id ab Abbatibus compelli, aliter non. Quod autem possint Abbates statuere officium Conuersis, siue Oblatis, adest priuilegium Eugenij Quarti, sub Datum Florentiæ anno 1439. Pontificatus sui anno 9. vt habetur in *Comp. priuileg. Vallisol. conc. 35.* per quod concessit; *quod Abbates dicti Ordinis possint statuere Officium Horarum Conuersis, & Oblatis, nec non Monachis rectè legendi minus peritis praecipere, vt recitent Officium B. Mariæ Virginis, dicantq; præfixum ab Abbate orationum numerum loco Officij:* quam facultatem habent omnes Abbates communicantes priuilegia dicti Ordinis.

DISPVTATIO XI.

De potestate Abbatum, & Prælatorum inferiorum circa officium Prædicationis.

QVAESITVM I.

Vtrùm Abbates, alijq; Prçlati suis subditis prædicationes facere teneantur.

SVMMARIVM.

1 *Arguitur pro parte negatiua.*
2 *Prædicare tenetur Abbas suis subditis.*
3 *Prælati omnes animarum Curam gerentes tenentur, per se, vel per alios, si legitimè impediti fuerint, ouibus suis Dei verbum annunciare.*
4 *Responsio datur ad obiecta.*

1 Videtur primò, quòd Abbas, & Prælatus præcipuè Regularis non teneatur suis subditis prædicare; Abbas enim est Monachus, & Monachus non docentis, sed plangentis habet officium, vt in *can. Monachus 16. quæst. 1.* ergò Abbas non tenetur prædicare.

Secundò, prætereà reprehenduntur à Paschale II. illi Abbates, & Monachi, qui Episcopalia iura, & officia sibi arroganter vendicant, vt in *can. peruenit, 16. quæst. 1.* sed prædicatio proprium munus est Episcoporum, nam loco Apostolorum successerunt, vt in *can. in nouo, distinct. 21.* ibi. *Qui etiam subsistentes Domino in toto Orbe terrarum dispersi Euangelium prædicauerunt, ipsis quoque decedentibus, in loco eorum surrexerunt Episcopi &c.* Si ergò tale munus prædicandi competit Episcopis, non possunt Prælati inferiores illud exercere.

2 Sed contra est, quod dicit *glos. in sup. alleg. c. Monachus,* quod tunc Abbas, nō potest prædicare, quādo scilicet non habet Curam animarum, sed sic est, quod Abbas præpositus monasterio gerit Curam illius, vt in *c. cum ad Monasterium, de stat. Monach.* ibi, *Abbas vero, cui omnes inomnibus reuerenter obediant, quanto frequentius poterit, sit cum Fratribus in Conuentu, vigilē curam, & diligentem solicitudinem gerens de omnibus, vt de officio sibi commisso, dignam Deo possit red-*
3 *dere rationē &c.* Præterea vniuersi Præpositi Curam animarum gerentes oues suas in his, quæ Dei sunt, ac eorum instituta concernunt, instruere, ac eorum scelera eis annunciare, ac eas, verbi Dei prædicatione, pascere debent, adeo vt, nisi legitimo impedimento detenti, per se ipsos tale munus exercere teneantur, etiamsi alia ministeria alijs committant, vt habetur expreslè in *Synodo Trid. sess. 5. cap. 2. & sess. 24. cap. 4.* & graue quippe peccatum esset id omittere. Nempe D. Paulus mortalem istam culpam iudicauit, cum *Actor. 20.* ad maiores natu Ecclesiæ sic ait. *Contestor vos hodierna die, quia mūdus sum à sanguine omnium,* Scilicet de vestris lapsibus, aut interitu, rationē redditurus non sum, nec fui causa mortis, scilicet spiritualis alicuius vestrum; & rationem huius subdens ait, *Non enim subterfugi, quominus annunciarem omne consilium Dei vobis;* indicans, quod si verbum Dei illis annunciare subterfugisset, reus esset eorum mortis. Quippequia omnium illorum, qui ob doctrinæ penuriam deficeissent, interitus sibi essent adscribendi, vt adscribitur Medico mors ægri, quem curare neglexit, & mors fame pereuntis ei, qui cum posset, ac consequenter teneretur, pascere noluit. Abbas igitur, qui animas suscepit regendas, de quibus, & rationem redditurus est, & qui in Monasterio Christi Vicarius est, Christique personam sustinet, quando ipsius vocatur pranomine, iuxta ea, quæ inquit *D. Pater Benedict. Regula c. 2.* consequenter Christum imitari tenetur, de quo nempe legimus quod erat quotidie docens in templo, & sicut cæteri Præpositi, quibus animarum Cura commissa est, tenentur ouibus suis Dei verbum annunciare; ita Abbati,

Abbati, qui Monachorum animas regere ſuſcepit, incumbit ex officio illis prædicare, eosq; ad Regulæ, ac ſtatutorum, ſuæq; Religionis ordinationum obſeruantiam, atq; alia, quæ ſunt Chriſtianæ pietatis, & Religionis inſtituti, adhortari, præcipuè ſic monente Sanctiſsimo Patre noſtro Benedicto d. cap. 2. Regulæ, ferè per totum. Vniuerſi igitur Prælati animarum curam habentes poſſunt, imò tenentur ex vi eorum muneris ſuis ſubditis verbum Dei prædicare, vel ſi impediti fuerint, per alios hoc eis præſtare; vide Concil. loco citato.

4 Et ex his patet reſponſio ad primum argumentum, prout ibi reſpondet gloſſ. in verb. habet officium, ſcilicet non habens curam animarum.

Ad ſecundum argumẽtum ex cap. peruenit, reſpondemus quod Paſchalis reprehendit illos Abbates, ex eo quia Epiſcopalia iura, & alia officia Clericorum ſibi vendicabant in aliena Diœceſi, ex quo textu rectè deſumitur argumentum, quod Abbates in locis ſuæ iuriſdictionis poſſunt iura Epiſcopalia exercere; dicit enim ibi tex. quod quidam Monachi, & Abbates in Parochia veſtra, contra ſanctorum decreta, Epiſcopalia iura ſibi arrogãter vendicant. Ex quibus verbis apertè colligitur à cõtrario ſenſu, quod benè Abbates in eorum iuriſdictione poſſint talia officia exercere; Argumentum enim à contrario ſenſu, eſt fortiſſimum in iure, vt eſt tex. in l. 1. §. Iulius rei. ff. de officio eius, cui mandata eſt iuriſdictio, & tex. in l. qui teſtamento §. mulier, ff. de teſtam. vbi etiam gloſ. dicit ſenſum contrarium pro lege accipi, ita quod illud, quod venit à contrario ſenſu, habeatur perinde, ac ſi eſſet expreſſum in lege, de gloſſa faciunt feſtum Bald. & Paul. de Caſtr. in d. §. mulier, & de ea commemorãt, Bald. in l. conuenticula C. de Epiſc. & Cler. Vnde concludendum eſt, quod Abbas in ſuo Monaſterio tenetur ſuis ſubditis prædicare, ſicut Epiſcopus in ſua Eccleſia.

QVAESITVM II.

Vtrum Abbas poſsit in ſuis Eccleſijs abſq; vlla Epiſcopi licentia prædicare, vel prædicari facere.

SVMMARIVM.

1 *Prædicatores Regulares, vt etiam in Eccleſijs ſuorum Ordinum, Epiſcopis inuitis, & renuentibus prædicare nequeant, quomodo ſit intelligendum.*

2 *Abbates, & Prælati Regulares in proprijs Eccleſijs poſſunt abſque vlla Epiſcopi licentia concionari, vel concionari facere, excepta illa hora, in qua Epiſcopus prædicauerit, vel ante ſe prædicari fecerit, intellige vt num. 4.*

3 *Epiſcoporum nomine veniunt Abbates, & Prælati inferiores, qui ſunt locorum Ordinarij.*

1 AD propoſitum quæſitum reſpondeo dicendo, quod Prædicatores Regulares etiam in Eccleſijs ſuorum Ordinum, inuitis, & contradicentibus Epiſcopis prædicare non poſſunt; vt habetur ex Concil. Tridentin. ſeſſ. 24. de reformat. cap. 4. vbi ſtatuitur, vt nullus ſecularis, aut Regularis, etiam in Eccleſijs ſuorum Ordinum contradicente Epiſcopo, prædicare præſumat: quod Concilij decretum intelligendum eſt, vt Regulares Prædicatores nequeant in ſuis Eccleſijs concionem habere, illo ſcilicet tempore, vel illa hora, qua Epiſcopi prædicare voluerint, vel coram ſe ipſo prædicari facere; Et ſic in caſu excepto per Concilium Viennen. Clem. dudum §. nos vero, de ſepultur. & per Extrauagant. Bonifacij Octaui, quæ incip. ſuper Cathedram, de ſepultur. inter extrauag. cõmun. quę verbatim inſerta eſt in d. Clem. dudum, & per extrauag. inter cunctas, de priuileg. in
2 quibus iuribus dicitur, quod Fratres Prędicatores, & Minores poſsint in Eccleſijs, ac locis eorum, ac plateis communibus liberè populo, & Clero verbum Dei proponere; hora illa dumtaxat excepta, in qua locorum Prælati prædicare voluerint, vel coram ſe facere ſolemniter prædicari; Quod autem Conc. Tridentini decretum modo prædicto neceſſariò intelligendum ſit, probatur ex eo, quia aliàs ſibi contradiceret; dum antea ſeſſ. 5. de reformat. cap. 2. conceſſerat, quod in Eccleſijs ſuorum Ordinum poſſent Regulares Prædicatores prædicare cum ſola Epiſcoporum benedictione, etiam non obtenta ipſorum licentia ſpeciali; poſtea verò in prædicto cap. 4. ſeſſ. 24. præcipit vt non præſumant prædicare etiam in Eccleſijs ſuorum Ordinum, contradicente Epiſcopo; ergò ne cogamur aſſerere Concilium prædictum ſibi contradicere, & vt Canonum correctio euitetur, & iura iuribus concordentur, dicendum eſt; ipſum prædicto modo intelligendum eſſe. Atque ita illud intelligi debere affirmant Roderic. quæſtion. Regular. tom. 3. quæſt. 32. art. 1. Miranda in man. Prælatorum tom. 1. quæſt. 30. art. 3. concluſ. 1. D. Auguſtin. Barboſ. de officio, & poteſtat. Epiſcopi par. 3. allegat. 76. num. 20. igitur regulariter Abbates, & Prælati Regulares in proprijs Eccleſijs poſſunt abſq; vlla Epiſcopi, vel Ordinarij licentia requiſita prædicare, vel prædicari facere, præterquam in illa hora, in qua ijdem locorum Ordinarij concionati fuerint, vel ante ſe concionari fecerint.

3 Quod non ſolum de Epiſcopis, verum etiam de Abbatibus, & alijs Prælatis Epiſcopo inferioribus intelligendum eſt, quandò ſcilicet hi habent Territorium, ſeu Diœceſim, in qua Epiſcopalem iuriſdictionem exercent; ipſi enim etiam Ordinariorum appellatione veniunt, quod colligitur ex d. Clem. dudum, & extrauagant. ſuper Cathedram §. nos enim, vbi gloſ. verbo Prælati, & verb. Superior id notat.

4 Aduertendum autem non ſufficere, quod Epiſcopi, vel Ordinarij in ſuis Eccleſijs concionentur, vel ante ſe concionari faciant, vt quaſi ipſo facto prohibitum cenſeatur Abbatibus, vel alijs Regularibus Prælatis prędicare, vel prædicari facere in ſuis; niſi Epiſcopi, ſiue Ordinarij, vel ſpecialiter, vel generaliter prohibeant, quia concionando ſolum, vel ante ſe concionari faciendo, non contradicunt, quandiù autem non contradicunt Regulares vti poſſunt ſua facultate, ſuppoſita generali eorumdem Epiſcoporum, & Ordinariorum approbatione; ita cenſet Suarez de Relig. tomo 4. tractat. 10. lib. 9. cap. 1. num. 30.

QVAESITVM III.

Vtrùm Regulares Prædicatores scandala, errores, vel diuinationes prædicantes ab Episcopis, an verò à proprijs Prælatis puniendi sint.

SVMMARIVM.

1 *Arguitur, quod à nemine puniendi sint.*
2 *Quid contra talia prædicantes statuerit Concilium Lateranen. & Tridentinum ostenditur.*
3 *Prædicatoribus, absquè Summi Pontificis licentia, non licet suas inspirationes, seu reuelationes prædicare.*
4 *Responsio ad Argumenta præstatur.*

1 VIdetur primò quod neque Episcopi possint punire Prædicatores, quando prædicant errores, scandala, & diuinationes; nam in illius, rebus, in quibus nihil interest ad capescendum Regnum Dei, vtrum credantur, an non, & vtrum vera putentur, aut falsa in his errare, & aliud pro alio reputare, non est arbitrandum esse peccatum, aut si est, minimum esse, atque leuissimum; iuxta *tex. in c. in quibus* 22. *quæst.* 2.

Præterea Diuini dicti sunt, quasi Deo pleni, vt in *c. igitur* 26. *q.* 3. ergo si dicuntur Deo pleni, & diuinationes prædicant, sunt potius venerandi, quàm puniendi, ergò &c.

2 Sed contra est, quod habetur in Concilio Lateranensi sub Leone X. sess. 11. *Si qui in prædicationibus miracula falsa, aut incerta, vel prophetias, quæ ex Sacra scriptura non constant prædicare seu Episcopus, aut eorum Superioribus præfatis detrahere ausi fuerint, vltra pœnas contra tales à iure statutas, excommunicationis etiam sententiam, à qua nonnisi à Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo constituti, absolui possint, eos Concilium incurrere voluit, & vt eorum exemplo, alij attentare minimè audeant prædicationis etiam officium eis esse interdictum perpetuò decreuit*. habetur in *Supplemento fol.* 207. *concessione* 576. & in *Compendio priuilegiorum*, *verbo Prædicatores* §. 10. idem statutum fuerat in *Concil. Viennen;* vt habetur in *Clem. Religiosi* 1. *quibus etiā, de priuil. & excessib. priuileg.* & tandem in *Concil. Trident. sess.* 5. *c.* 2. §. *si verò.* Vbi statutum est, quod si Prædicator errores, aut scandala in Populum disseminauerit, etiāsi in Monasterio sui, vel alterius Ordinis prædicauerit, Episcopus ei prædicationem interdicere debet. Si autem hæreses prædicauerit, contra eum secundum iuris dispositionem, vel loci consuetudinem procedat; etiamsi Prædicator ipse generali, vel speciali priuilegio se exemptum esse prætenderet; In eo enim casu Episcopus Apostolica auctoritate, & tamquam Sedis Apostolicæ delegatus procedere potest; verum ipse Episcopus diligenter curare debet, ne quis Prædicator, vel ex falsis informationibus, vel aliàs calumniosè vexetur, & iustam de eo conquerendi occasionem habeat, vt dicitur in *Concil. Trident. loco cit.* notant *Roderic. quæst. Regular. tom.* 3. *q.* 32 *art.* 8. *Mirand. manual. Prælat tom.* 1. *q.* 50. *art.* 7. *Campanil. in diuers. iur. Canon. rubr.* 12. *cap.* 13. *num.* 21. *D. August. Barbos. de offic. & potest. Episcopi par.* 3. *alleg.* 76. *in fine*, vbi etiam cum *Gallet. in margarit. Cas. conscient. verb. prædicare vlt.* aduertit non
3 licere Prædicatoribus, absque Summi Pontificis licentia, suas inspirationes, seu reuelationes prædicare; aliàs enim excommunicationem latæ sententiæ Papæ reseruatam incurrerent; quod etiam aduertit *Roderic. d. q.* 32 *art.* 10.

4 Ad primum argumentum respondemus, quando Prædicatores talia prædicant, quæ non afferunt nocumentum ad vitam æternam capescendam, non sunt puniendi, nam de minimis non curatur. Nos verò loquimur de Prædicatoribus, qui prędicant errores contra Fidem, & de hijs loquens prohibet prædictum Concilium.

Ad secundum argumentum respondemus quod diuini sunt Deo pleni; Sed tales non sunt Deo pleni, sed simulant se esse plenos diuinitate, & astutia quadam fraudulenta, hominibus futura coniecturant; vnde tales diuini à SS. Canonibus damnantur, & puniuntur, non enim ad accusationem admittuntur, vt in *c. quisquis* 11. *q.* 8. item sunt excommunicandi *cap. si quis ab.* *quæst.* 5.

QVAESITVM IV.

Vtrùm Prædicatores Regulares possint absque suorum Abbatum, vel Prælatorum licentia prædicare.

SVMMARIVM.

1 *Argumentatur pro parte affirmatiua.*
2 *Prædicatores Regulares in suis, vel alienis Ecclesijs prædicare volentes à suis Superioribus de vita, moribus, & scientia examinati, & approbati esse, ac eorum licentiam habere debent.*
3 *Prædicatores Regulares, sine Episcopi licentia in Ecclesijs non sui Ordinis prædicantes, à suis Superioribus, non autem ab ipso Episcopo puniendi sunt.*

1 VIdetur primò, quod Monachi possint, sine licentia Abbatis prędicare, petitio enim licentiæ ab Abbate est propter Votum Obedientiæ. At subditus nō tenetur in omnibus suis Prælatis obedire, sed tantum in ijs, quæ pertinent ad dispositionem actuum, & rerum humanarum, vt ait *D. Thom.* 2. 2. *q.* 104. *art.* 5. sed prædicatio nō pertinet ad dispositionem actuum, & rerum humanarum, sed diuinarum, vt patet; ergò.

Secundò, obedire oportet magis Deo, quàm hominibus; sed quandoque Abbates, sine causa denegant talem licentiam Monachis prædicare volentibus, ex qua denegatione impeditur verbi Dei prædicatio, & sic talis petitio licentiæ aliquando est magis damnosa, quàm fructuosa; ergò.

2 Sed in contrariū est veritas, nam Regulares sine Superiorum, & Prælatorum licentia, minimè prædicare possunt; & hoc primò probatur ex *c. cum ex iniuncto, de hæret.* vbi testimonio *D. Pauli ad Roman.* 10. dicitur neminem posse absque legitima Superioris facultate, prædicare; ait enim *D. Paulus*, *quomodo prædicabunt, nisi mittantur*; vbi ostendere volens, qualiter Prædicatores in huiusmodi ministerio, & officio

ficio ſe intromittere non debent; niſi vel immediatè à Deo, vel mediatè per ſuos Superiores ſibi fuiſſet demandatum, ſubdit quomodo verò prædicabunt, niſi mittantur? quaſi dicat malè; mittere autem ſpectat ad Superiores niſi ex ſpeciali reuelatione diuina alicui tale munus committatur, vt de S. Equitio refert D. *Greg. lib. 1. Dial. cap. 5.* Prætereà id expreſſe habetur ex *Conc. Trident. ſeſſ. 5. de reformat. cap. 2.* vbi ſtatutum eſt. *Vt Regulares cuiuſcunque Ordinis, niſi à ſuis Superioribus de vita, moribus, & ſcientia examinati, & approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in Eccleſijs ſuorum Ordinum Prædicare non poſſunt. In Eccleſijs verò, quæ ſuorum Ordinum non ſunt, vltra licentiam ſuperiorum, teneantur etiam Epiſcopi licentiam habere*; ex quibus clarè patet, ſemper Regularibus Prædicatoribus, ad prædicationis munus exercendum ſuorum Prælatorum licentiam neceſſariam eſſe, notant *Mirand. in man. Prælat. tom. 1. q. 50. art. 1. Regin. in prax. lib. 18. num. 123. Ricc. in prax. for. Eccleſ. reſolut. 633. in 2. edit. Galett. in margarit. caſ. Conſcient. verb. licentia, Piaſec. in ſua praxi noua Epiſc. par. 2. cap. 3. ſub num. 41. verſ. Prædicator item, D. Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſcop. par. 3. alleg. 76. num. 17. & 18.*

Ad primum argumentum reſpondemus ex *S. Tho. loc. cit.* quod tenetur homo homini obedire in his, quæ exterius per corpus ſunt agenda; & quamuis prædicatio (vt diximus) non pertineat ad actiones humanas, ſed diuinas, nihilominus tales actiones fiunt exterius per corpus; ideo non obſtat argumentum.

Ad ſecundum argumentum reſpondemus quòd quando præcepta Superioris ſunt contra Deum in his non eſt obediendum, ſi aliquando Superior denegaret Monacho talem licentiam petenti, non per hoc dici poteſt, quod Abbas præcipiat aliquid contra Deum; nec per hoc valet dicere, Abbas poteſt denegare licentiam, ergò non eſt petenda licentia; nam hoc poteſt eſſe falſum, & falſum non præſumitur, niſi probetur vt eſt *tex. in c. cum Ioannes, de fide inſtrum.* & quamuis Abbas denegaret talem licentiam, in hoc nihilominus tenetur Monachus obedire; quia Monachus tenetur hoc ex neceſſitate iuſtitiæ propter Votum.

3 Regulares igitur Prædicatores, habita prius ſuorum Prælatorum licentia; in proprij Ordinis Eccleſijs concionari volentes debent cum ea ſe coram Epiſcopis præſentare, ab eiſq; benedictionem petere: qua petita, etiam venia non obtenta concionare poterunt, vt dicitur in *Conc. d. cap. 2.* & deciſum fuiſſe referunt *Roderic. quæſt. Regul. tom. 3. q. 32. art. 5. Ric. & Galett. loc. cit. D. Barboſ. d. alleg. 76. num. 19.* In Eccleſijs autem non ſui Ordinis, præter ſuorum Prælatorum licentiam, etiam Epiſcopi licentia indigent, ſine qua nullo modo in illis prædicare valent, ex diſpoſitione *Conc. d. cap. 2.* Si tamen hoc facerent, non ab Epiſcopis, ſed à ſuis Superioribus puniendi ſunt, ex deciſione Sacræ Congregationis, relata à *Quaranta in ſumma Bullar. verb. priuilegia Regularium fol. mihi 406. Piaſec. d. cap. 3. ſub num. 41. verſ. prædicans tamen, Campanil. in diuerſ. iur. Canonici rubr. 12. cap. 13. nu. 10. D. Barboſ. d. alleg. 76. nu. 24.* in hæc verba. *Congregatio Concilij cenſuit Regulares, qui abſque licentia Epiſcopi prædicauerint in Eccleſijs, quæ ſuorum Ordinum non ſunt, tametſi decreto eiuſdem Concilij cap. 2. ſeſſ. 5. contrafecerint, non poſſe tamen puniri ab Epiſcopo, ſed tantum à ſuis Superioribus Regularibus.*

DISPVTATIO XII.

De poteſtate Abbatum, & Prælatorum inferiorum circa ieiunium.

Quæſt. 1. An præter ieiunia ab Eccleſia fidelibus præcepta, teneatur Abbas cum ſuo Conuentu alia ieiunia obſeruare.

Quæſt. 2. Vtrùm Abbas cum ſuis Monachis obligetur ad ieiunium Aduentus Domini.

Quæſt. 3. Abbas quando teneatur ſeruare in ſuo Monaſterio ieiunia ſecularibus conſueta præter alia ab Eccleſia præcepta.

Quæſt. 4. Vtrùm Abbas poſsit ſuis Religioſis profeſsis, qui non dum ad tempus ieiunandi peruenerunt, ieiunia ſuæ Regulæ, & Religionis præcipere.

Quæſt. 5. Vtrùm Abbas poſsit ſuos Monachos à lege ieiunium ſoluere.

Quæſt. 6. Vtrùm Abbas propter aliquod pietatis, vel miſericordiæ opus, ſiue ob aliquod familiaritatis, vel ſocietatis officium poſsit ſe, ſuoſq; Monachos à ieiunio ſoluere.

Quæſt. 7. Vtrùm Abbas diſpenſare poſsit cum ſuis Monachis ſuper ieiunio, quando non certa, ſed dubia diſpenſandi cauſa extat.

Quæſt. 8. Vtrùm Abbas iuſta de cauſa poſsit ſe ipſum à lege ieiuniorum ſoluere in ijs caſibus, in quibus poteſt ſuos Monachos.

Quæſt. 9. Vtrùm Abbas, & Monachi poſsint prætextu conſuetudinis veſci caſeo, butyro, ouis, lacte, vel etiam carnibus tempore ieiunij.

Quæſt. 10. Vtrùm Abbas poſsit horam ieiunij Regula aſsignatam præuenire.

Quæſt. 11. Vtrùm Abbati, & Monachis carnium eſus ſit interdictus.

Digitized by Google

QVAESITVM I.

An præter ieiunia ab Ecclesia fidelibus præcepta, teneatur Abbas cum suo Conuentu alia ieiunia obseruare.

SVMMARIVM.

1 *Fideles quibus anni diebus ieiunare ex præcepto teneantur.*
2 *Monachi ex Regula ad quæ ieiunia teneantur.*
3 *Abbas cum suis Monachis de iure tenetur sub mortali ad ea tantum ieiunia, quæ cæteri fideles obseruare debent.*
4 *Responsio ad argumenta.*

1 AD euidentiam propositi quæsiti præmittendum est, quod omnes Christi fideles singulis Quadragesimæ diebus (præter dies Dominicos) quatuor anni temporibus, ac vigilijs ieiunare tenentur, vt notatur in *c. quadragesima de consecrat. dist. 5. & in c. denique dist. 4. & dist. 86. in pluribus Canonib. Abbas in rub. de obseruat. ieiun.* In quibus etiam comprehēditur vigilia Pētecostes, iuxta *gloss. in c. feria 5. necessariò dist. 86 & glo. in c. 1. de obser. ieiun.* cuius diei ieiunium est de præcepto propter generalem cōsuetudinē fideliū, secundum *Caiet. in verb. Ieiunium & 2. 2. q. 147. art. 5. Sylu. ver. Ieiunium nu. 4. S. Antonin. 2. par. tit. 6. cap. 2. §. 1. Azor. inst. mor. par. 1. lib. 7. c. 24. in fine*, & omnes Modernos. Et non seruantes ieiunium his diebus, absque legitima causa, peccant mortaliter, siuè id faciant ex contemptu, vt quia nolunt se subijcere præcepto Superioris, siuè ex inobedientia, siuè ex concupiscentia gulæ. In qua autē ætate ieiunare teneantur, vide *Papor. vbi sup. n. 7.*

2 His ita præmissis deueniendo ad quæsitum primò videtur quod Abbas cum suis Monachis teneatur ad alia ieiunia præter supradicta, quæ communiter ab omnibus Christi fidelibus obseruantur. Vt ieiunare infra hebdomadam scilicet quarta, & sexta feria, & Sabbato, ac probatur in *c. ab esu carnium. de consecrat. dist. 3.* Præterea habetur in *c. Ieiunia de consecr. dist. 3. sup. cit.* quod ieiunia sanè legitima in quarta, & sexta feria non soluant, nisi grandis aliqua necessitas fuerit; quia quarta feria Iudas traditionem Domini cogitauit, sexta feria Crucifixus est Saluator; vnde si quis sine necessitate in his ferijs fregerit ieiunium, dicit ibi textus, quod cum tradente tradit Saluatorem: vel cum crucifigentibus eum crucifigit.

3 Præterea vltra prædicta aiunt etiam ieiunia statuta in Regula D. Benedicti, quam obseruare tenentur omnes sub illa militantes, vbi *cap. 41.* sic dicitur. *A Sancto Pascha vsque ad Pentecostem ad Sextam reficiant Fratres, & ad seram cœnent; à Pētecoste autem tota æstate, si labores agrorum non habent Monachi, aut nimietas æstatis non perturbat, quarta, & sexta feria ieiunent vsque ad Nonam, reliquis vero diebus ad Sextam prandeant. Quæ prandij Sexta, si operam in agris habuerint, aut æstatis feruor nimius fuerit continuanda erit, & in Abbate sit prouidentia &c.* & infra. *Ab Idibus autem Septembris vsque ad caput Quadragesimæ, ad Nonam semper reficiant Fratres. In Quadragesima vero vsque ad Pascha ad Vesperam reficiant.* Ex quibus verbis patet, quod Abbates omnes sub ea regula militantes tenentur ad ieiunia in ea præscripta. Vnde Casinenses hoc caput illum declarantes dicunt: *ex quo Monachi multas consecuti sunt dispensationes, & indulgentias circa ieiunia Regulæ volentes aliquibus compensationem reddere, ordinamus, vt omnes Monachi ieiunent per totum annum omnibus diebus Veneris, ob reuerentiam eius diei, in quo Dominus noster Iesus Christus passus est; nisi forte tali die aliquando contingeret aliquod solemne ex præcepto festum celebrare: quo casu dispensatur tempore æstiuo, quo tempore ob nimios calores addantur tentaculo serotino aliqui fructus.*

4 Contrarium tamen dicendum est, nempè quod Abbas cum suis Monachis non teneatur ad alia ieiunia sub mortali; nisi ad ea, ad quæ tenentur omnes Christi fideles. Et sic ad argumenta respondemus, & primò ad argumentum ex cap. ab esu carnium de consecr. dist. 3. quod loquitur de ieiunio, quoad esum carnium; nam sexta feria, & Sabbato non licet comedere carnes; & feria quarta est de consilio, non de præcepto, vt dicit ibi gloss.

5 Ad secundum argumentum ex c. ieiunia, respondemus illum textum loqui de his, qui ex voto tenentur; vel possumus respondere, quod talis obseruantia fuit in ipsa primitiua Ecclesia, vt dicit ibi gloss. in eod. cap. in verb. persoluenda, hodiè autē non amplius obseruatur. Vnde reiectis contrarijs firma remanet nostra opinio.

Ad tertium argumentū respondetur, quod ieiunia in Regula præscripta non obligant ad mortale si prætermittantur, cum non sint de præcepto, sed tantum de consilio, in Regula enim prædicta, præter essentialia Religionis, quę sunt tria Vota, & præterea, quæ sunt tanquam finis Regulæ, vel essentialiter ad illum facientia, & ad salutem necessaria, vt diligere Deum, & proximum, mandata Dei, & Ecclesiastica seruare: reliqua sunt tantum consilia non autem præcepta; vt aiunt *Turrecr. in exposit. prædicta Regula tract. 5. & 6. D. Anton. 3. par. tit. 16. tit. 5. & Sylu. verbo Religio 1. q. 10.* & alij quos retulimus in *disp. de pot. & mun. Abb. circa Votum obed.* An autem vltra ieiunia communiter omnibus Christi fidelibus præcepta teneatur Abbas cum suis Monachis ad ieiunium in Aduentu Domini dicemus in seq. quæsito.

QVAESITVM II.

Vtrùm Abbas cum suis Monachis obligetur ad ieiunium Aduentus Domini.

SVMMARIVM.

1 *Abbatem, & Monachos teneri sub mortali ad ieiunium Aduentus Domini, tenent aliqui.*
2 *Ieiunium Aduentus Domini est de consilio non autem de præcepto secundum veriorem opinionem.*
3 *Religiosi regulariter non tenentur sub mortali ad ieiunium, tempore Aduentus.*

1 VIdetur, quod sic; quia saltem ex generali consuetudine obligantur Monachi ad ieiunia tempore Aduentus Domini seruanda; ad quæ ipsa consuetudo

suetudo ligat & de ea cõsuetudine quoad Monachos Casinenses testatur *Graff. decis. aur. par. 1. lib. 2. cap. 37. num. 9.* & quoad omnes Religiosos testatur *Azor. instit. moral. par. 1. lib. 7. cap. 27. quæst. 3.*

2 Sed contra est, quod dicunt communiter Doctores *in cap. consilium, de obseru. ieiun.* nempe, quod obseruatio ieiunij tempore Aduentus sit tantum de consilio, vt testatur *Sylu. in verb. Ieiunium num. 5. circa finem*, atq; quod nec etiam Religiosis ieiunium tempore Aduentus sit de præcepto, sed de consilio, communiter teneri ait *Tabien. in sum. verb. Ieiunium q. 10. num. 11. circa fin.* cum hac limitatione, nisi aliquibus Religiosis hoc sub præcepto in Regula, vel statutis præscriptum sit. Et ità resoluendum est in præsenti quæsito; Sed Regula non obligat sub mortali ad ieiunium Aduentus vt diximus; ergo Abbates, & eorum Religiosi non tenebuntur sub mortali illud seruare. Ad argumentum respondetur, quod ad hoc, vt dicatur consuetudo manifesta, videtur, quod non sufficiant plures vices: nisi institutum sit quod illud pro consuetudine à modo seruetur; nam potest esse, quod ex gratia, vel tolerantia hoc sæpius sit permissum, vnde licet aliquid pluries fiat, nisi eo animo sit factum, vt in posterum fieret, non dicitur vsus, & consuetudo. Ità *gloss. in c. consuetudo 1. dist.*

QVAESITVM III.

Abbas quandò teneatur seruare in suo Monasterio ieiunia sæcularibus consueta, præter alia ab Ecclesia præcepta.

SVMMARIVM.

1. *Religiosi tenentur ad ieiunia per generalem consuetudinem in aliquo loco recepta; Secus vero ad ieiunia per particularem consuetudinem introducta num. 2. limita vt num. 3.*

1 AD propositum quæsitum respondeo cum distinctione. Nam si aliqua ieiunia generali consuetudine ab omnibus in aliqua Prouincia, Oppido, vel loco obseruantur, ad ea quoque Abbas vna cum suis Monachis obligatur, si autem talis consuetudo ieiunandi non vniuersaliter ab omnibus obseruatur, sed est particularis Clericorum, vel secularium, dico quod Abbas non tenetur eam seruare, sicut nec similiter Monasterium. Quia cõsuetudo generalis omnes generaliter obligat; Ergò etiam Religiosos obligabit; tùm quia Religiosi tenentur festis qui communi vsu coluntur in loco, vbi situm est Monasterium; ergò tenentur etiam ieiunijs, in eo loco cõmuniter seruari consuetis. Ità *Azor. instit. moral. par. 1. lib. 7. c. 30. q. 2.* alios citans, & post eum *Reginald. in praxi lib. 4.*
2 *num. 135.* Si autem talis consuetudo ieiunandi non vniuersaliter ab omnibus obseruatur; sed est particularis Clericorum, vel secularium: dico, quod Abbas non tenetur, eam seruare: si autem nec similiter Monasterium. Quia cum non idem, sed varius sit modus ieiunij in statu secularium, & Religiosorum; Sicut non sequitur, Religiosorum consuetudo est tali tempore ieiunare, aut in ieiunio seruare abstinentiam à talibus cibis; ergò seculares idem facere tenentur; ità neque sequitur, Clerici seculares, aut laici tali die ieiunare cõsueuerunt; ergò debent quoque Religiosi ieiunare. Tum quia consuetudo, cum habeat vim legis, in tantum obligat, in quantum recepta est, sed huiusmodi consuetudo, de qua loquimur, non est recepta apud Religiosos seorsim ab alijs viuentes; ergò ipsos non obligat. Excipiendus
3 tamen est casus, in quo ipsi Religiosi darent alijs scandalum; quia tunc ieiunare tenentur. Ita *Sylu. verb. Ieiunium q. 2.* & alij apud *Azor. loc. cit. Reginald. d. num. 135. Bonac. in Decalog. disp. vlt. q. 1. punct. 6. num. 5.*

QVAESITVM IV.

Vtrùm Abbas possit suis Religiosis professis, qui non dum ad tempus ieiunandi peruenerunt, ieiunia suæ Regulæ, & Religionis percipere.

SVMMARIVM.

1 *Respublica, vel Princeps possunt, ob communem omnium salutem, ieiunium indicere.*
2 *Religiosi professi, qui non dum ad tempus ieiunio requisitum peruenerunt, non tenentur ad ieiunia in Regula præscripta, seruanda.*
3 *Lex adaptatur ad ea, quæ frequentiùs accidunt.*

VIdetur primò, quòd Abbas possit talia ieiunia supradictis præcipere; Nàm tale præceptum Abbatis fundatur super Regula suæ Religionis, sed Regulæ præceptum, & lex ligat omnes Professos, & quemadmodum adolescens sponte suà votum Deo facere potest de ieiunio seruando, sic etiam se te Religioni obligare, ita vt eius præceptis, & legibus sit obediens.

1 Præterea sicut potest Respublica, & Principes, ob communem omnium salutem, ieiunium indicere, quòd seruare etiam adolescentes oportet; ita etiam Abbas potest professis siue Religiosis, qui adhuc ad tempus ieiunio requisitum non peruenerunt, ad seruandum ieiunium suæ Religionis compellere.

2 Sed contra est, quod dicit *Medina in sua Instructione confessorum lib. 1. c. 14. §. 10.* quem sequitur *Graff. decis. aur. par. 1. lib. 2. cap. 37. num. 42.* qui asserunt tales professos ad id minime obligari; quia Regula non videtur arctioris esse vinculi, quàm lex Ecclesiastica; sed lex Ecclesiastica non obligat adolescentes, qui non dum ad vigesimum primum annum peruenerunt; vt tenet *Gabriel, & Rosell.* quos refert, & sequitur *Azor. instit. moral. par. 1. lib. 7. cap. 28. q. 2. Reginald. lib. 4. nu. 207. Sylu. verb. Ieiunium q. 6. Nald. in sum. verb. Religiosus n. 21. Sa verb. Ieiunium n. 3. Bonac. in Decalog. disp. vlt. q. 1. pun. vlt. n. 6.* Ergo neque Abbas potest præcipere tale ieiunium professis, qui ad tale tempus adhuc nõ peruenerunt, quamuis quoad ieiunia à Regula præscripta, Religiosos ante 21. ætatis annum ad ea obligari teneat, *Azor.* quem sequuntur reliqui *Doct. 2. loco allegati.* At prima opinio magis placet; Nec obstat argumenta in contrarium allegata, nam ad ea deueniendo, ad primum respondemus, quòd licet præceptum

Digitized by Google

Abbatis factum professis de obseruando ieiunio dependeat à Regula Religionis, nihilominus Regula non ligat tales professos ante tempus determinatum; ideo non sunt arctandi; Nec est eadem ratio de adolescentibus ieiunantibus ex voluntate ad compulsos ad ieiunium ex necessitate.

Ad secundum respondemus, quod quamuis Princeps possit indicere ieiunium ex causa necessitatis;
2 non propterea possumus ex hoc sumere argumētum, ergò Abbas potest idem facere; quia non bene con-
3 cludit; nam lex adaptatur ad ea, quæ frequenter accidunt, vt dicit *Felin. in c. præsentia, de probat. in 7. col. in vers. quarto limita*, vnde non potest sumi argumentum ex his, quæ rarò, vel omninò extraordinariè fieri solent, vt dicit *Bart. in l. Seio §. Medico ff. de annuis leg.*

QVAESITVM V.

Vtrùm Abbas possit suos Monachos à lege ieiuniorum soluere.

SVMMARIVM.

1 *Abbas potest ex iusta, & rationabili causa subditos à ieiunio soluere.*
2 *Dispensatio super ieiunium sine iusta causa facta irrita est; dummodo non sit facta bona fide.*
3 *Infirmi quandò à ieiunio excusentur.*
4 *Abbas potest, senes Monachos à ieiunio soluere.*
5 *Senectus longa infirmitas est.*
6 *Senes qui vere dicantur, ita vt ieiunare non teneantur, ostenditur.*

Videtur, quod non, quoniam Abbas non potest Ius commune abrogare, sed soluere Monachos à ieiunio, saltem Quadragesimali, est Ius commune abrogare; quia ieiunium Quadragesimale est de Iure communi *cap. consilium, de obseruan. ieiun.* ergò Abbas non potest Monachos à ieiunio absoluere.

1 Contrarium tamen, his non obstantibus, dicendum est, nempè, quod Abbas, ex vi sui muneris, & sic potestate ordinaria, possit ex causa rationabili suos Monachos à ieiunio soluere. Nam sicut vota possunt auctoritate Superiorum redimi pecuniis, vel in aliud pietatis opus mutari, siue in toto, aut in parte relaxari, sic etiam ieiunia Ecclesiæ legibus indicta, vt docent *D. Thom. in 4. dist. 15. q. 3. art. 2. & 2. 2. q. 147. art. 6.* vbi etiam *Caiet. Nauar. in man. cap. 21. num. 21 Azor. instit. moral. par. 1. lib. 7. cap. 18. q. 6. Graff. decis. aur. par. 1. lib. 2. cap. 37. num. 56. Reginald. lib. 4. num. 225.* & alij communiter. Præterea hoc habetur ex priuilegio Eugenij Quarti, Fratribus Ordinis D. Hieronymi concesso, vbi indulsit; *vt eorum Prelati possint cum sibi subditis, & familiaribus Monasterij de consensu Medici, si commodè haberi potest, sin minus, etiam sine Medico dispensare in ieiunijs Ecclesiæ*, vt refertur in *Compend. priuileg. Mendic. tit. Ieiunium §. 7.* Imò Sixtus Quartus concessit Minoribus, non valentibus bono modo ieiunare, ob infirmitatem, vel debilitatem, quod ad id non teneantur, vt habetur in *Monum. Ord. concess. 99.*

Ad argumentum respondemus, quod Abbas non potest in totum ius commune abrogare, vel ex parte tollere, posse tamen hunc, vel illum à lege vel canone eximere: nisi expresse id lex, vel canon prohibeat. Vnde in ieiuniorum lege, quando legitima subest causa, potest Abbas cum suis Monachis dispensare, & eos à ieiunio soluere; cum id sibi expressè non sit prohibitum; Aduertant tamen Abbates, vt
2 hoc non sine iusta, & legitima causa faciant; si enim absque iusta & legitima causa aliquem à ieiunio soluerent, non solum peccarent, sed etiam relaxatio irrita foret, & inanis; quia Ius commune sine causa relaxare non possunt; vt docent communiter Doctores, & nos latius de hac materia diximus alibi; Si autem Abbas bona fide, putans iustam subesse causam cum aliquo Monacho super ieiunium dispēsaret, non peccaret, & dispensatio prodesset: cum sit facta bona fide: Ità *Azor. d. q. 6. & Reginald. d. lib. 4. num. 226.* Iustæ autem causæ à ieiunio excusantes ad tria capita reducuntur. Primum est, impotentia, secundum
3 labor, tertium pietas. Ex impotentia excusantur primo infirmi à ieiunij lege, & ab ea eximi possunt; quando ieiunium manifestè eis nocere patet; vel ex Medicorum timorem Dei habentium consilio, id necessarium iudicatur, vt docent *S. Tho. in 4. dist. 15. q. 3. art. 2 q. 4. Caiet. 2. 2. q. 147. art. 3. Sylu. verb. Ieiunium q. 3. Nauar. in man. cap. 21. num. 16. vers. secunda causa. Azor. instit. moral. par. 1. lib. 7. cap. 17. q. 5.* & alij apud eum, & *Reginald. in praxi lib. 4. nu. 209. vers. tertio loco, Bonac. in decalog. disp. vlt. q. 1. punct. vlt. num. 2.* Similiter ex impotentia excusantur Mo-
4 nachi senes; Vndè potest Abbas illos à ieiunandi
5 præcepto soluere. Quia (vt ait *D. August. lib. de catbechizand. rudibus*) Senectus longa infirmitas est & *D. Hieronym. in epistola ad Nepotianum*, In senibus sola crescente sapientia, cæteræ decrescũt vires. Vnde *D. Pater Benedictus cap. 37. Regulæ de senibus, & infantibus*, monet vt, considerata in eis imbecillitate, nullo modo districtio Regulæ teneatur in ali-
6 mentis; sed sit in eis pia consideratio &c. Qui nam autem verè dicendi sint senes, ad hoc vt possint, & debeant à ieiunio solui, Doctores varie sentiunt; quidam enim dicunt, senes dicendos esse, qui quadragesimum sextum annum expleuerunt; alij eos, qui quinquagesimum, alij eos, qui quinquagesimum sextum, alij sexagenerios, alij septuagenarios senes dicendos esse asserunt. Nobis dicendum videtur illos tantum dici debere senes, qui infirmi, & impares extimantur ad ieiunium seruandum. Nam si firmis, & robustis sint viribus, & idonei ad arctam vitam; etiamsi nonagesimum, vel centesimum annum expleuerint, ieiunium seruare debent: adeo vt senectus non sit iusta excusationis causa, nisi simul adsit aliqua cum senectute infirmitas; nam cum non contingat omnes simul eadem ætate senescere; quandoquidem alij alijs tardius senescunt; fit; vt præscriptum non sit certum tempus; in quo debeat quis ex senectute à ieiunio exemptus esse: sed prudentis viri, & exindè in casu nostro ipsius Abbatis arbitrio definiendum relinquatur, qui ratione senectutis legitimè à ieiunio solui possint. Ità *Abulensis in cap. 6. Matthæi q. 147. Valent. tom. 3. disp. 9 q. 2. punct. 5. Roderic. in sum. cap. 24. num. 1. Nauar. in man. cap. 21. num. 16. Reginald. d. lib. 4. num. 209. Sylu. Less.* & alij

apud

apud *Bonac. d. punct. vlt. num. 4. Anton. Perez in Reg. D. P. Bened. d. cap. 37. num. vlt.* & hæc quoad causas, quæ ex impotentia ad excusandum à Ieiunio, pro vt ad rem nostram facit, oriri possunt; Excusantur etiam adolescentes, qui vigesimum primum annum non dum compleuerunt. Sed de hoc supra dictum est.

Secundum caput excusandi à ieiunio, est grauis labor, de qua re videantur *Azor. 1. par. inst. mor. lib. 7. cap. 17. & cap. 20. Abulen. in cap. 6. Matth. q. 141. & 143. Reginald. in praxi lib. 4. num. 201. 213. & 218. Bonac. d. punct. vlt. num. 8 vsque ad n. 15. exclusiuè*, & alijs locis citatis. De tertio capite quod est opus pietatis videbimus in sequenti quæsito.

QVAESITVM VI.

Vtrùm Abbas propter aliquod pietatis, vel misericordiæ opus, siue ob aliquod familiaritatis, vel societatis officium possit se, suosq; Monachos à ieiunio soluere.

SVMMARIVM.

1 *Abbas propter pietatis, & misericordia opera, quando ea nequeunt ieiunando exerceri, potest se, & suos Monachos à ieiunio eximere.*

2 *Pradicantes, vel Confessiones audientes ob mercedem an excusentur à ieiunio, ostenditur.*

3 *Familiaritatis, vel societatis, causa an ieiunium solui possit, ostenditur.*

Vidimus in antecedenti quæsito de causis prouenientibus ex impotentia, vel graui labore, ob quas excusatur quis à ieiunio; videndum restat in præsenti de causis prouenientibus ex opere pieta-
1 tis, vel familiaritatis. In quo dico primo, quòd propter pietatis, & misericordiæ opera, quando scilicet ea nequeunt ieiunando exerceri, potest Abbas se, & suos Monachos à ieiunio eximere *arg. can. non mediocriter, de consecrat. dist. 5.* quia misericordia virtus est melior, quàm abstinentia, vt docet *D. Thom. a. 2. q. 30. art. 4* & ideò opera misericordiæ, & pietatis, meliora sunt ieiunio, ad quod nullo modo obligare intendit Ecclesia; prout est maioris, & melioris boni impeditiuum; quia intentioni promouendi ad bonum (qualis est Ecclesiæ intẽtio) repugnat, vt maius bonum propter minus impediatur; & hoc siuè opera misericordiæ sint corporalia, siuè spiritualia. Ità docent *Caiet. 2. 2. q. 147. art. 3. circa finem, Graff. decis. aur. par. 1. lib. 2. cap. 37. nu. 54. Nauar. in man. cap. 21. num. 17. Tabien. verb. Ieiunium nu. 21. Eman. Sà eod. verbo num. 9. Azor. instit. moral. par. 1. lib. 7. cap. 19. q. 1. Reginald. lib. 4. num. 218. Valent. tom. 3. disp. 9. q. 2. punct. 5. Bonac. in Decalog. disp. vlt. q. 1. punct. vlt. nu. 33.* cum quo dico id verum videri, etiamsi huiusmodi opera ob mercedem suscipiantur, veluti si Ab-
2 bas, vel Monachi prædicarent, aut Confessiones audirent ad hoc, vt pecunias lucrentur: eadem enim
3 ratio militare videtur. Similiter ieiunium solui potest causa familiaritatis, vel societatis iuxtà *Azor. loco citato vers. sed quæstio nobis est*, dicente licere ieiunium, socij, vel amici gratia, vel infirmi alicuius consolandi, vel peregrini excipiendi causâ, soluere; vbi narrat Historiam de quodam viro, qui venit ad Spiridonem Episcopum ex itinere, instante iam Quadragesima, in qua Episcopus ieiunium cum domesticis suis continuabat; certoque die cibum gustabat, & intermedijs diebus ieiunus persistere solebat; & cum nihil haberet ad mãducandum apposuit carnes porcinas, quas domi habebat, & peregrinum vna secum ad mensam sedere fecit, quibus carnibus vesci cœpit, & virum hortatus est, vt ipse quoque eius exemplo carnes comederet, cui recusanti comedere, & dicenti se esse Christianum, respondit Spiridon. *Hoc minus recusare debes, mundis enim omnia munda diuinus sermo pronunciauit;* refert etiam *Reginald. d. lib. 4. num. 221.*

QVAESITVM VII.

Vtrùm Abbas dispensare possit cum suis Monachis super ieiunio, quando non certa, sed dubia dispensandi causa extat.

SVMMARIVM.

1 *Dispensare licitè potest Abbas cum suis Monachis super ieiunio, etiamsi sit dubium, an adsit iusta causa dispensandi.*

2 *Superioris iudicio in dubio standum est.*

1 Respondeo dicendo, quod licitè potest Abbas dispensando suos Monachos à ieiunio eximere, iusta causa existente: non solùm si ea certa sit, & euidens: verum etiam si esset dubia. Prima pars probata est in superiori quæsito. Secunda pars probatur, quia Abbas se dispensando vtitur iure suo, & in dubio melior est ipsius conditio, quoad rem arbitrio suo commissam, sicque in dubio censendum est potius liberum suæ potestatis vsum habere quàm quod debeat ab ea abstinere; tum quia in dubio standum
2 est Superioris iudicio, ità *Nauar. in man. cap. 21. nu. 20. Azor. instit. moral. tom. 1. lib. 7. cap. 29. quæst. 6. Reginald. in praxi lib. 4. num. 228. Bonac. in Decalog. disput. vlt. quæst. 1. punct. vlt. num. 17. & de legibus disp. 1. q. 2. punct. 3. nu. 9.*

QVAESITVM VIII.

Vtrùm Abbas iusta de causa possit se ipsum à lege ieiuniorum soluere in ijs casibus, in quibus potest suos Monachos.

SVMMARIVM.

1 *Dispensare secum potest Abbas in ieiunio in ijs casibus, in quibus potest cum suis Monachis.*

2 *Iurisdictionis actus duplex.*

Videtur dicendum, quòd non; quia Abbas secum in ieiunio dispensando, exerceret propriam iurisdictionẽ in se ipsum; nemo autem potest, propria iurisdictione in se ipsum vti; Nàm aliàs posset se ipsum excommunicare, interdicere, suspendere, absoluere; hoc est falsum, ergò & primum; ergò Abbas non potest se à ieiunio eximere.

1 Ni-

1 Nihilominus his non obstantibus, contrarium asserendum est, nempè posse Abbatem, iusta de causa, se ipsum à ieiunio soluere, in ijs casibus, in quibus potest Monachis sibi subiectis ieiunium relaxare. Permittitur enim ipsi, vt secum eodem iure vti queat, quo cum sibi subditis vti potest, ne sit peioris conditionis, quam illi, ita ex *Caiet. Sylu. & Sot. Azor. instit. moral. par. 1. lib. 7. cap. 18. quæst. 6. Regnald. in praxi lib. 4. num. 226. vers. tertium est.*

2 Ad argumentum respondetur, quod duplex est actus Iurisdictionis. Vnus dicitur actus iurisdictionis inuoluntariæ, qui requirit coactionem, vel sententiam, qua dicitur ius inter partes. Alter dicitur actus iurisdictionis voluntariæ, & gratiosæ. Primus actus non potest exerceri, nisi inter personas distinctas. Vnde non posset Abbas se ipsum absoluere à peccatis; nam absolutio Sacramentalis est vera sententia; nec etiam se ipsum excommunicare interdicere, vel suspendere; quia isti sunt actus iurisdictionis coactiuæ requirentes personam distinctam. Secundus autem actus iurisdictionis voluntariæ, & gratiosæ (qualis est hic, de quo agimus) non requirit distinctas personas, & perconsequens potest illum Abbas in se ipsum exercere & sic potest cum semetipso in ieiunio dispensare.

QVAESITVM IX.

Vtrùm Abbas, & Monachi possint prætextu consuetudinis vesci caseo, butyro, ouis, lacte, vel etiam carnibus tempore ieiunij.

SVMMARIVM.

1 *Ieiunij tempore Abbas & Monachi in locis, vbi adest consuetudo, lacticinijs, & ouis vesci possunt.*
2 *Consuetudo est optima legum interpres.*
3 *Ieiunij tempore Abbas, & Monachi ab esu carnium omnino abstinere debent.*
4 *Carnes, à quibus tempore ieiunij abstinendum est, quæ nam dicantur, ostenditur.*

1 Dico primo, licitum esse Abbati, ac Monachis, tempore ieiunij vesci lacticinijs, butyro, caseo, & ouis: si loci consuetudo id permittat. Nam quoad ciborum delectum in ieiunando iudicandum est ex consuetudine Regionis, in qua versamur, vt id obseruetur, quod ibi legitima consuetudine introductum est. Ità *D. Thomas 2.2. q. 147. art. 8. ad 3. Sylu. verbo Ieiunium num. 18. Nauar. in enchirid. cap. 21. num. 15. Azor. instit. moral. par. 1. lib. 7. cap. 10. quæst. 1. Leonard. Less. de iust. lib. 4. cap. 2. dub. 2. num. 8. vers. porrò hæc tria, Valent. tom. 3. disput. 9. quæst. 1. punct. 3. Regnald. in praxi for. pœnit. lib. 4. num. 147. Graff. decis. aur. par. 1. lib. 2. cap. 37. num. 12. Bonac. in Decalog. disput. vlt. quæst. 1. punct. 2. num. 1.* & alij communiter. Pro-
2 batur. Nam consuetudo est optima legum interpres *l. 37. ff. de legibus*: & sicut potest, legem inducere; ità etiam potest illam abrogare: *can. consuetudo, distin. 1. & can. in his distin. 11.* Et propterea quicquid circa delectum ciborum præcipitur; cum sit tantum Iuris humani, potest legitima consuetudine abrogari.

3 Dico secundò, Ab esu carnium tempore ieiunij Abbas, & Monachi omninò abstinere debent. Hæc conclusio est certa, nam apud Catholicos carnium esus semper tempore ieiunij exclusus, nec vnquam permissus fuit, vt docent communiter non solum Theologi, verum etiam vtriusque Iuris periti, teste *Couar. variar. resolut. lib. 4. cap. 20. num. 15.* & ex Sanctis Patribus, Concilijs, ac Ecclesiæ vsu docet *Azor. instit. moral. par. 1. lib. 7. cap. 10. quæst. 6.* & confirmant alij Doctores supracitati, præcipuè *D. Thom. d. art. 8. in corpore*, cuius ratio hæc est. Nam Ecclesia ieiunium instituit ad carnis concupiscentias reprimendas: & ideo illos cibos ieiunantibus interdixit, qui in comedendo maximam afferunt delectationem, & maximè hominem ad libidinem prouocant: sicuti sunt carnes animantium in terra nascentium, & respirantium, quæ cum magis humano corpori conformentur, plus delectant, magisque ad eiusdem nutrimentum conferunt: & sic illarum esu plus fit superfluitatis, quod vertatur in materiam seminis, cuius multiplicatio maximè ad luxuriam prouocat, & ideò in ieiunio præcipuè carnium esum Ecclesia interdixit. Hæc Sanctus Doctor.

4 Nomine autem carnium intelliguntur illæ, quæ à piscibus contra distinguuntur iuxta communem Christianorum vsum, aut Medicorum iudicium. Quo circa si dubium est de carnibus alicuius animalis, an de prohibitarum numero sint, consulendus est communis fidelium vsus, quod si nihil certi ex vsu constare poterit, consulendi sunt Medici, an talia animalia ad naturam piscium potius, quàm aliorum animalium accedant. Non esset autem leue iudicium attendere, si animalia diù extra aquã viuere nequeunt; vt ex Maiore docet *Azor. d. q. 6. in fin. Regnald. d. lib. 4. num. 143.* maius autem iudicium desumitur ex consuetudine, & communi fidelium vsu. Ideò esus coclearum, ranarum, & testudinum licitus est tempore ieiunij, quia horum carnes communiter à fidelibus tempore ieiunij comeduntur, testibus *Azor. & Regnald. locis citatis, & Bonacin d. punct. 2. num. 1.*

QVAESITVM X.

Vtrùm Abbas possit horam ieiunij Regula assignatam præuenire,

SVMMARIVM.

1 *Ieiunij in die tempus reficiendi est circa meridiem.*
2 *Ieiunij in die qui prandium anticipate, nempe per vnam, aut duas horas antè meridiem sumit, non peccat mortaliter.*
3 *Ieiunij die, qui iusta de causa prandium per notabile tempus antè meridiem sumeret, nec mortaliter, nec venialiter peccaret.*
4 *Circumstantia temporis non videtur de substantia ieiunij.*

PRO intelligentia clariori huius quæsiti notandum, quod in die ieiunij certa hora, cibum sumendi, est tempus circa meridiem; quæ hora etiam

Digitized by Google

etiam ab Abbate, & Monachis seruanda est, licet in Reg. D. Pater Benedictus cap. 41. praescribat, vt ab initio Quadragesimae, vsque ad Pascha Monachi ad Vesperam reficiantur; quia D. Pater locutus est secundum ius antiquum, & iuxta consuetudinem sui temporis, quando etiam Ecclesia, idem, quod ipse in Regula praescribit, communiter obseruabat; vt videre est in can. solent, de consecrat. dist. 5. Cum autem humana fragilitas, & virium debilitas vsque ad eam horam mediam substinere non valuisset; factum est, vt refectionis hora, etiam in Quadragesima sit tempus circa mediam: & sic modò apud omnes est in vsu, etiam omnes fideles circa illud tempus meridie refici consueuerunt. Ità Sylu. verb. Ieiunium num. 14. Azor. instit. moral. par. 1. lib. 7. cap. 11. q. 5. Nauar. cap. 21. num. 27. Reginald. lib. 4.

2 prax. num. 158. His ita notatis pro quaesiti solutione dico: Si Abbas prandium in die ieiunij notabiliter, nempe per vnam, vel etiam per duas horas ante meridiem anticiparet, non peccaret mortaliter, sed tantum venialiter, si hoc absque iusta causa faciat. Ratio est, quia non violaret substantiam ieiunij, quae est tantum abstinentia à cibis interdictis, & etiam abstinentia à seruanda refectione, sed quamdam eius accidentalem circumstantiam, quae salua ieiunij substantia, variari potest, prout cum effectu successu temporis magnam varietatem in Ecclesia habuit; Atq; ideo hanc sententiam amplectuntur Angel. verbo ieiunium, num. 2. Innocent. in rub. de obseruat. ieiun. nu. 3. Tolet. lib. 6. Instruct. cap. 2. num. 5. Less. de iustit. lib. 4 cap. 2. dub. 2. num. 13. & alij apud eum, & Bonac. in Decalog. disput. vlt. quaest. 1. punct 4. num. 3. contra Nauar. in man. cap. 21. num. 27. Couar. variar. resolut lib. 4. cap. 20 num. 16. ad fin. Paludan. & Caiet. apud Less. loc. cit. & apud Azor. dicto cap. 11. quaest. 4. Si autem insta de causa pran-

3 dium per notabile tempus ante meridiem sumeret, nec lethale, nec veniale peccatum committeret. Quia faciens aliquid ex iusta causa prudenter opera-

4 tur. Tùm etiam quia temporis circumstantia non est de necessitate, & substantia ieiunij: Ità Less. Azor. Nauar. Bonac. & alij locis citatis.

QVAESITVM XI.

Vtrùm Abbati, & Monachis carnium esus sit interdictus.

S V M M A R I V M.

1 *Carnium esus in Regula Diui Patris nostri Benedicti prohibitus.*

2 *Carnium esus omnibus Monachis de iure communi prohibitus.*

3 *Monachi possunt comedere carnes in Monasterijs, in quibus adest consuetudo.*

4 *Consuetudo potest, iuris dispositionem immutare.*

1 Videtur primò, quod Abbati, & Monachis sit interdictus carnium esus. Hoc probatur ex Regula S. Benedicti cap. 39. in qua expressè prohibetur carnium esus, his verbis, videlicet. *Carnium verò quadrupedum omninò ab omnibus abstineatur comestio: prater omninò debiles, & agrotos*; ergò &c. nec dicatur, quòd D. Pater Benedictus prohibuit suis Monachis quadrupedum tantùm esus; quia praedicta Regula ampliatur, vt nec etiam possint comedere carnes volatilium: non enim valet inferre, quod praedicta Regula prohibet comestionem carnium quadrupedum; ergò videtur concessa comestio carnium volatilium, nam hoc esset destruere Regulam; sed est desumendum argumetum à minori ad maius, hoc modo: si id, de quo minus videtur inesse, non inest, nec id, de quo magis, vt est tex. in cap. cum in cunctis, iuncta gloss. verb. multò fortius, & ibi etiam per Ioan. Andr. Panor. Ioan. de Imol. & Doct. de elect. & tex. in aut. multò magis C. de Sacrosanct. Eccles. Vnde si per Regulam vetantur carnes quadrupedum quae sunt viliores; multò magis vetari videntur carnes volatilium, quae sunt pretiosiores. Secundò praetereà adest prohibitio Benedicti XII. circa esum carnium, qui imponit poenam ieiunij trium dierum in

2 pane, & aqua Monacho, & Conuerso pro comestione carnis similiter, & Abbati; vt habetur in Collect. priuileg. Cistercien. fol. 19. Tertiò praetereà cunctis Monachis expressè prohibetur in cap. cum ad Monasterium §. in Refectorio, de stat. Monach. ne in Refectorio audeant omninò carnes comedere: vbi sic dicitur, *in Refectorio verò nullus omnino carne vescatur*, & infra, *sed nec extra Refectorium, nisi in Infirmitorio esum carnium credant sibi licere*; vbi notanda sunt illa verba, *nullus omninò*, per quae nec Abbas, nec alius, nec ex causa infirmitatis, nec ex alia id facere potest, vt notant Hostien. ibi num. 10. Ioannes Andrea num. 7. & alij idem habetur ex textus in cap. carnem, de consecration. distinct. 5.

3 Contrarium tamen, his non obstantibus, dicendum est, scilicet posse Abbatem cum suis Monachis carnes comedere, in illis tamen Monasterijs, in quibus adest consuetudo comedendi carnes, scientibus, & patientibus Superioribus, nec peccant edentes, quandò consuetudo est tanti temporis, vt non sit memoria hominum in contrarium, vt docent D. Card. in d. cap. cum ad Monasterium, qui dicit ita se consuluisse, & Panormit. ibidem num. 18. & in c. Deus, qui, nu. 3. de vita, & honest. Cleric. Graff. decis. aur. par. 2. lib. 3. cap. 21. num. 10.

Praetereà adest etiam priuilegium à Sixto IV. Monachis Cistercien. concessum, sub Datum Romę anno Domini 1475. Idibus Decembris Pontif. sui anno 5. quod refertur in Compend. priuileg. eiusdem Ordinis, & à Roderic. in noua collect. Bullar. Apostol. pro Regular. Bulla 47. eiusdem Pontificis, cuius verba sunt haec. *Nos igitur literarum, necnon statuti, concessionis, & inhibitionis huiusmodi tenores, & formas, ac si de verbo ad verbum insererentur praesentibus, pro expressis habentes, ac attendentes humana conditionis fragilitatem, & quod esus, vel non esus carnium de substantialibus Regula eiusdem Ordinis aliàs non est praedictorumq; saluti, ac eorum necessitatibus praemissis, & alijs non expressis, quantum cum Deo possumus, prouidere, & humana fragilitati huiusmodi succurrere cupientes; praefatis rationibus, & alijs rationabilibus animum nostrum mouentibus pensatis, huiusmodi supplicationibus inclinati, statutum, & concessionem*

H

nem quoad esum carnium, & pulmentorum prædictorum infra septa Monasteriorum, necnon inhibitionem, quoad hoc subiunctam, ac prout illa concernunt easdem literas Apostolicas, necnon omnia, & singula alia in in eis contenta, ac inde sequuta, quæcunque auctoritate Apostolica, ex certa scientia, tenore præsentium ratificamus, confirmamus, & approbamus, ac præsentis scripti patrocinio communimus, necnon illa sub pœnis eisdem literis contentis volumus, & mandamus, perpetuis futuris temporibus firmiter obseruari; Et insuper dilectis filijs Capitulo Generali dicti Ordinis, & eo cessante, præfato, & pro tempore existenti Abbati eiusdem Monasterij Cistercien. cum quibuscunque Abbatibus, Monachis, Monialibus, ac alijs personis eiusdem Ordinis præsentibus, & futuris, secundum discretionis eorum arbitrium, & conscientiæ iudicium, super quo eorum conscientias oneramus, quandocunque, & quotiescunque necesse eis, seu alteri ipsorum videbitur, per se, vel alium, seu alios dispensandi, ac eis licentiam concedendi, quod carnibus, & pulmentis huiusmodi etiam extra dictorum Monasteriorum septa in prædictis, & quibusuis alijs locis absque alicuius pœnæ incursu, aut conscientiæ scrupulo vesci, & uti possint, plenam, & liberam facultatem, prædicta auctoritate, præsentium tenore concedimus pariter, & indulgemus. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Monasteriorum, & Ordinis prædictorum iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, necnon præmissis, ac omnibus alijs quæ dictus Benedictus prædecessor in eisdem suis literis voluit non obstare, cæterisque contrarijs quibuscunque. Ex hoc priuilegio patet quid respondendum sit ad argumentum in contrarium adductum de Constitutione Benedicti Duodecimi.

Ad primum, & tertium argumentum respondetur non obstare Regulam, in qua carnium esus est nobis interdictus; nam cùm esus carnium non sit de substantialibus Regulæ, potest ex consuetudine diuturno tempore præscripta abrogari, & contrarium introduci, vt ait *Cardin. citat. in dicto cap. cum ad Monasterium, & dicto cap. carnem;* nam vbi adest consuetudo longi temporis, præsumitur, id ex legitima causa introductum fuisse *argumento*
4 *cap. 1. de constitut. in 6.* Et consuetudo potest iuris dispositionem immutare, *cap. fin. de consuetud. Panormitan. dicto cap. cum ad Monasterium num. 18. Graff. dicto cap. 21. num. 10. Azor. instit. moral. par. 1. lib. 7. cap. 20. quæst. 3.*

D I S P V T A T I O XIII.

De potestate Abbatum, & Prælatorum Regularium quoad casus sibi reseruandos, & absolutionem ab eis præstandam.

Quæst. 1. Vtrùm Abbates, & Prælati Regulares possint sibi casus reseruare.
Quæst. 2. Quos casus possint Abbates, & Prælati Regulares sibi reseruare.
Quæst. 3. Vtrùm Abbas aliquem subditum excommunicans possit eiusdem excommunicationis absolutionem sibi reseruare.
Quæst. 4. Vtrùm Abbas possit circa actus internos casum sibi reseruare.
Quæst. 5. Vtrùm casus ab Abbate reseruati sint etiam pro Nouitijs reseruati.
Quæst. 6. Vtrùm Abbates in prædictos casus congruenter appositos incidere possit.
Quæst. 7. Vtrùm absolutio casuum reseruatorum sit penes Abbatem.
Quæst. 8. Vtrùm Abbas pro reseruatis debeat alios Confessarios in suo Monasterio deputare.
Quæst. 9. Vtrùm Abbas tribuens Confessarijs facultatem absoluendi à reseruatis illis pœnitentias taxare possit.
Quæst. 10. Vtrùm Monachus casu reseruato in vno Monasterio innodatus pergens in aliud Monasterium possit ab illius Abbate absolui.
Quæst. 11. Mortuo, vel ab officio amoto Abbate, vel Prælato, qui casum, vel censuram sibi reseruauit, à quibus nam possit subditus tali casu, vel censura innodatus absolui.
Quæst. 12. Vtrùm Regulares, qui legitimè Bullam Cruciatam acceperunt, possint eius virtute à casibus reseruatis absolui.
Quæst. 13. Vtrùm Abbates, & Prælati, ac Confessarij Regulares approbati, possint à casibus Episcopis, vel Sedi Apostolicæ reseruatis absoluere.

QVAESITVM I.

Vtrùm Abbates, & Prælati Regulares possint sibi casus reseruare.

S V M M A R I V M.

1 *Consuetudo antiqua est in Ecclesia, quod eius Prælati possint sibi aliquos casus reseruare.*
2 *Prælatos Ecclesiasticos habere potestatem sibi aliquos*

aliquos casus reseruandi, est de fide tenendum.

3 Abbates Regulares possunt sibi aliquos casus reseruare, eo modo quo possunt Episcopi, & num. 5.

4 Actus reseruandi casus, est iurisdictionis non Ordinis.

5 Episcopis negantes facultatem sibi casus reseruandi, sicut hæresim incurrunt; ità pariter negantes eamdem auctoritatem Abbatibus hæretici videntur.

7 Potestas reseruandi casus reperitur etiam in Abbatibus localibus.

1 QVicquid dicant hæretici contrà potestatem spiritualem Prælatorum, & præcipuè contrà iurisdictionem ponendi censuras, & casus sibi reseruandi, non est nostrum modo confutare, sed breuiter concludere, & ostendere antiquam esse consuetudinem Prælatis Ecclesiasticis, sibi casus reseruandi. Imò talis potestas reseruandi apertissimè colligitur ex sacra Scriptura pluribus in locis. Idem probatur ex auctoritate text. in can. latorem 33. q. 2. vbi quidam Episcopus mittit Matricidam ad Summum Pontificem adhoc, vt ab eo tanti criminis absolutionem obtineat. Et can. vlt. 26. q. 6. statuitur, vt simplex Sacerdos pœnitentem, qui aliquod graue perpatrauit, inconsulto Episcopo, non absoluat.

2 Tandem hoc est de fide tenēdum; ita enim expressè definiuit Concilium Tridentinum sess. 14. can. 2. per hæc verba. *Si quis dixerit Episcopos non habere ius reseruandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atq; ideo casuum reseruationem non prohibere quo minus Sacerdos à reseruatis verè absoluat, Anathema sit.*

His sic positis, ad quæsiti solutionem deueniendo,
3 dicimus, Abbates Regulares posse sibi aliquos casus reseruare; quod certum est eo modo, quo de Episcopis, alijsq; Prælatis circà personas sibi subiectas idem constat quàmuis enim Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 4. solum Summum Pontificem, & Episcopos nominauerit; tamen sub nomine Episcoporum intelligendi veniunt omnes Episcopalem iurisdictionem
4 habentes; quia actus reseruandi casus spectat ad potestatem iurisdictionis, non autem Ordinis Episcopalis. Tum quia Religiosi cum ab Episcoporum iurisdictione exempti sint, eorum reseruationibus non ligantur; ideò iustum est, illos suorum Prælatorum reseruationibus ligari. Tum etiam, quia, quo specialiori ratione spiritualium parentum munus exercent, suosq; Monachos ad maiorem perfectionem ducere tenentur, eò magis tali statui accommodata, & certo modo debita est hæc reseruatio. Præterea ità in vniuersis Religionibus semper obseruatum fuit, ex generali omnium consuetudine à Summis Pontificibus confirmata, & approbata; eam enim approbasse videtur Alexander VI. qui concessit Guardianis Fratrum Minorum facultatem, sibi casus reseruandi, vt refertur in Monument. Ordin. concess. 66. & confirmauit tandem Clem. VIII. speciali constitutione de hac re edita anno 1593. licet cum aliqua limitatione, de qua in sequentibus latius dicemus.

5 Abbates igitur possunt sibi casus reseruare circà suos subditus, eodem iure, quo Episcopi circà suos. Et ratio est, quoniam Abbates, & omnes Regulares Prælati ergà suos subditos Episcopalem, seu quasi iurisdictionem habent, iuxta gloss. singularem in Clement. 1. verb. proprij, de rebus Eccles. non alienand. Cardinal. ibidem quæst. 34. Abb. in cap. 1. extra eodem tit. qui allegans d. gloss. inquit, Prælatos exemptos habentes iurisdictionem quasi Episcopalem posse in suos subditos ea, quæ possunt Episcopi erga suos. Rodriquez in sua summa tom. 1. cap. 29. num. 3. Nauar. lib. 5. tit. de Regul. cons. 23. qui Prælatos Regularium suos subditos excommunicare posse probat ex iure communi per cap. transmissam, & cap. suffraganeis de elect. & cap. cum ab Ecclesiarum, de offic. Ord. Suar. etiam in 4. tomo disp. 30 sect. 2. num 5. & tomo 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 18. num. 1. supracitatus Roderic. in tom. 1. quæst. Regul.
6 quæst. art. 11. subdens insuper, quod si hæresim incurrunt negantes facultatem Episcopis, sibi casus in foro interiori reseruandi; hæretici etiam videntur negantes eamdem auctoritatem Prælatis Regularibus, & alij communiter. Difficultas autem est, an omnes Abbates tàm supremi, quàm medij, ac etiam inferio-
7 res, vt sunt Conuentuales Abbates, possint sibi casus reseruare, Coriolan. in tract. de casib. reseruat. part. 1. sect. 11 art. 4. negat hanc potestatem reperiri in Guardianis, & Prælatis Conuentualibus; eius ratio est quia dicti Prælati ante decretum Clem. VIII. de iure non poterant sibi casus reseruare; sed post decretum apud eos remanet huiusmodi facultas, apud quos erat de iure; antequam illud emanaret.

Contrarium tamen, & rectiùs dicendum est cum Suar. d. cap. 18 num. 14. scilicet posse etiam Abbates locales circà suos subditos sibi prædictos casus, vel quemlibet illorum reseruare: etiamsi in Religione reseruati non forent; quia Summus Pontifex in prædicto decreto loquitur indefinitè de Superiorioribus Regularium, nec limitat hanc facultatem ad illos, qui antes eam de iure habebant, vt ait Coriolan. sed tantum eam restringit ad hos casus ab ipso Summo Pontifice designatos; vndè cum Abbates, & alij Prælati Conuentuales habuerint anteà priuilegia sibi casus reseruandi, vt fuit illud Alexandri VI. quod refertur in Monumen. Ord. concess. 66. etiam post d. decretum habent eamdem facultatem. Imò, vt inquit Suar. prædicti Prælati etiam ex potestate Ordinaria idem facere possent, cessante prohibitione suæ Regulæ, & Constitutionum Religionis, sunt enim veri Prælati, & potiuntur altiori iurisdictione, quàm Parochi.

Causa antem, propter quàm Prælati casus sibi reseruare cœperunt, fuit Religionis, & Monasteriorum bonum; vt subditi, qui non virtutis amore, sed formidine pœnæ retardantur, ne talia peccata committant: posita casuum reseruatione, fiant ad peccati labem retinentes; vndè dici potest, quod casuum reseruatio sit præseruatiua medicina, & curatiua simul, ac etiam Regularis obseruantiæ terminus. Dum ergò in Monasterijs reseruantur casus ab Abbate; hoc non solum facit, vt oues suas cognoscat; sed etiam vt in magnis morbis peritiores Monachi adhibeantur, quales præsupponuntur esse Abbates, qui vices Christi in Monasterio gerunt, cuius rei habetur expressa figura 18. Exodi in illis verbis. *Constituit eis Principes, qui iudicabant plebem omni tempore; quicquid autem graue erat, referebat ad eum*; scilicet ad Moysem, qui tanquam Princeps, & Prælatus populi Israelitici se habebat.

QVAESITVM II.

Quos casus possint Abbates sibi reseruare.

SVMMARIVM.

1 *Peccata venialia non sunt proportionata reseruationis materia.*
2 *Casus, quos ex decreto Clementis VIII. possunt Abbates sibi reseruare, enumerantur.*
3 *Abbas an possit aliquando vltra prescriptos in predicto decreto, alios casus sibi reseruare.*
4 *Casuum reseruatio clarè, ac distinctè facienda est.*
5 *Reseruatione casuum vocabuli proprietas seruanda est, non extensio.*
6 *Lex quando imponit pœnam actui perfecto, ea pœna non incurritur, nisi actus consumetur.*

CONcilium Tridentinum pluries citato sess. 14. de reformat. cap. 7. præcipit, atrociora, ac grauiora crimina esse à Summis Sacerdotibus reseruanda, ac absoluenda; eius igitur præceptis inhærendo dicimus, non omnia peccata reseruanda esse, sed grauiora tantum, & atrociora, ac ea, quæ magno detrimento Regularibus esse possunt. Quapropter ex hac reseruatione excluduntur leuia peccata, quæ venialia
1 dicuntur. Nam venialia, & leuia peccata tolli possunt sinè Confessione, & sic frustrà ferretur illorum reseruatio; tum, quia peccata venialia non videntur proportionata reseruationis materia, vt ait *Suar. 4. tomo in 3 part. D. Thom. disp. 18. sect. 2.* tum etiam, quia esset contrà mentem Clementis VIII. *in decreto de cas. reseruat. pro Regular.* vbi declarat casus Abbatibus, & alijs Prælatis reseruandos de grauioribus peccatis. Quod de venialibus dicimus, idem dictum intelligatur de mortalibus, de quibus iam confessus absolutionem recepit; tunc enim ea peccata nulli amplius subiacent reseruationi; ex *Suar. loco cit.*
2 Ad peculiares igitur casus deueniendo, Clemens VIII. fel. record. anno Domini 1593. mense Maij statuit quosdam particulares casus, qui ad hoc, vt faciliùs memoriæ teneantur, ad vndecim capita redigi possunt. Ad primum. reducuntur Veneficia, Incantationes, & Sortilegia. Ad secundum Apostasia à Religione, siuè habitu dimisso, siuè retento, quandò eo peruenerit, vt extrà septa Monasterij, seu Conuentus fiat egressio. Ad tertium, nocturna, & furtiua egressio è Conuentu, vel Monasterio, licèt non apostarandi animo facta. Ad quartum, proprietas contrà Votum paupertatis, quæ sit sufficies ad peccatum mortale. Ad quintum, Iuramentum falsum in iudicio Regulari, siuè legitimo, iuratum. Ad sextum, procuratio, auxilium, seù consilium abortus faciendi post animatum fœtum, etiamsi effectus non sit secutus. Ad septimum falsificatio manus, aut sigilli officialium Monasterij, aut Conuentus. Ad Octauum, furtum rerum Monasterij, seù Conuentus eiusmodi valoris, vt ad peccati labem contrahendam sit satis. Ad nonum, lapsus carnis voluntarius opere consumatus. Ad decimum, occisio, aut vulneratio, seù grauis percussio cuiuscunque personæ. Ad vndecimum, maliciosum impedimentum, aut retardatio, aut reseratio literarum, à Superioribus ad inferiores, & ab his ad illos missarum. Reseruet igitur tuto hos omnes quilibet Abbas, siuè eorum nonnullos, prout sibi magis expedire videbitur; ab alijs autem omnino abstineat; nisi aliter necessitas suadeat, vt infrà constabit. Non potest ergò Abbas omnia peccata indifferenter sibi reseruare, nisi tantum prædicta à Cle-
3 mente VIII. constituta. Aliquando tamen in eadem materia supradictorum casuum potest etiã sibi alios casus reseruare, vt exempli gratia in materia lapsus carnis poterit sibi reseruare tactus impudicos, oscula, litterulas, ac munuscula &c. vt plurimum fortasse magnum impudicitiæ incendium excitantia. Ita *Hieronym. à Sorb. in annotat. ad Compend. priuileg. verb. absolutio*, affirmans hoc ab eodem Clemente VIII. sibi declaratum fuisse, facit etiam ad hoc *Coriolan. loco citato*. Aduertendum autem, quod hæc casuum reseruatio clarè, ac distinctè facienda est ab Abbate; nàm illi tantum casum reseruari dicuntur, qui iuxta dispositionem iuris communis, seruata vocabuli proprietate, comprehenduntur in litera, non autem per Doctorum extensionem; quia cum reseruatio odiosa sit, & pœnæ sint restringendæ, & fauores ampliandi, huiusmodi reseruatio non iuxta extensionem, aut verba à Prælato inuenta, sed secundum literam est facienda; quia nisi casus ad mentem præcipientis exprimatur, pro nihilo reputatur, ac omissus relinquitur dispositioni iuris communis, *l. si dote ff. solut. matr. in princip.* vndè opus est, vt iisdem, ac proprijs referatur verbis, quibus à præcipiente Summo Pontifice fuit reseruatus, atque expressus: in qua expressione, ne contingat aliquis error, demandanda erit in scriptis eo fermè exemplo, quo præcipitur. Nota, si aliquis quemlibet ex istis casibus solum attentauerit, non autem consumauerit, illum, licet reseruatum, ac in scriptis traditum non incurret, quia quandò lex imponit pœnam actui perfecto, ea pœna non incurritur, vbi quis ipsius actus exordia sumpserit, dummodo illum non consumauerit. Ita *Ioan. Andr. & Gemin. in cap. mult. fin. de his quæ vi., metuque caus. fiunt, in 6.*

QVAESITVM III.

Vtrùm Abbas aliquem subditum excommunicans, possit eiusdem excommunicationis absolutionem sibi reseruare.

SVMMARIVM.

1 *Absolutionem censuræ sibi reseruare possunt Abbates, contrà subditos à se latæ.*

RAtio dubitandi est, quia in decreto Clementis VIII. de reseruatione casuum pro Regularibus, prohibetur Prælatis Regularibus, vt possint sibi reseruare alios casus ab illis, qui in dicto decreto præscribuntur; sed inter eos non adest prædictus casus; ergo erit prohibitum Abbatibus reseruare sibi absolutionem censuræ ab ipsis latæ.
1 Contrarium tamen dicendum est scilicet per prædictum decretum Clementis VIII. Abbates non fuisse priuatos suo iure reseruandi sibi censuram; quia hoc decretum loquitur de culparum reseruatione in hoc; autem

Digitized by Google

autem casu nō reseruatur absolutio peccati, sed censuræ, quæ est per se distincta, & ad diuersum forum iurisdictionum spectat, & licet per se loquendo non possit dari absolutio à peccato, non ablata censura; hoc tamen per accidens est; nam sufficit, quod non sint idem, vt ab vna ad aliam prohibitio non sit extendenda. Ita *Suar.* quem refert *Coriol. in tract. de casib. reseru. par. 1. sect. 1. art. 6. nu. 1. & 2.* idem *Suar. de Religion. tom. 4. tract. 8. lib. 2. cap. 18. in fine.*

QVAESITVM IV.

Vtrùm Abbas possit circà actus internos casum sibi reseruare.

SVMMARIVM.

1 *Peccata interna reseruari non possunt.*
2 *Ecclesia non iudicat de occultis.*

Soluit in 4. dist. 14. q. 2. art. 5. Suar. 4. tom. in 3. par. D. Thom. disp. 28. sect. 3. Caiet. 2. 2. q. 11. art. 3. Alphons. de Castr. de iust. haret. punit. lib. 2. c. 18. Nauar. de simon. num. 20. & 21. dicunt Prælatos posse sibi reseruare casus circà actus interiores suorum subditorum. Verùm etsi hæc sententia tantorum virorum auctoritate firmata plurimi putanda videa-
1 tur; praxis tamen, ac Ecclesiæ consuetudo contrariam omninò sententiam sentiens, re ipsa comprobat, nonquam enim Ecclesia solita fuit, peccata interna, quæ frequentissima, & abditissima sunt, sibi reseruare; graue enim, & intolerabile esset, singulis temporis momentis ad Superiores recurrere. Quapropter Clemens VIII. cum sibi relatum fuisset à quibusdam Religionū Prælatis nonnullorum casuum circà actus internos reseruationem factam fuisse, determinatos casus reseruandos constituit, intrà quos nullus sanè circà interiores actus numeratur; ergò quod nec Summus Pontifex, nec Ecclesia in mentalibus peccatis etiam grauissimis vnquam fecit, nec etiam Abbatibus licebit. Quamobrem prædictorum sententiam intelligendam dicimus de absoluta Ecclesiæ potestate communicata Prælatis ad absoluendas, tàm externas, quàm internas subditorum culpas. Neque hinc sequitur de facto circà actus merè mentales, casus, vel censuras aliquas posse poni, alioquin non
2 esset verum illud dictum commune, Ecclesia non iudicat de occultis; videatur de hac re *Mirand. tomo 2. manual. Prælator. q. 34. art. 3. & Simanch. de Cathol. institut. cap. 42.*

QVAESITVM V.

An casus ab Abbate reseruati sint etiam pro Nouitijs reseruati.

SVMMARIVM.

1 *Nouitij non ligantur casibus ab Abbate in Religione reseruatis.*
2 *Nouitij in fauorabilibus veniunt appellatione Religiosorum; secus autem in odiosis.*

Partem affirmatiuam tenent *Cordub. lib. 1. q. 3. fol. 242. Thesaur. cap. 2. fol. 127. Bartholom. de Vecch. in praxi pro recipiend. Nouit. disp. 9. dub. 26. num. 2. & seqq.* eorum ratio est, quia licèt Nouitij in rigore Religiosi non sint; tamen cum sint exempti à iurisdictione Episcoporum, vt ait *Syluestr. verbo Religio 2. §. 11. & 12.* & alij, manebunt sub iurisdictione Prælatorum sui Ordinis.

1 Pars tamen negatiua verior est, nempè Nouitios non ligari casibus in Religione ab Abbate, vel alijs Superioribus reseruatis; quia ante professionem non sunt verè, & incommutabiliter Religiosi iuxta *text. in cap. Religioso §. quamuis, de sentent. excommun. lib. 6.* ergò nec Religiosorum legibus adstringuntur.

Nec obstat, quod Nouitij gaudeant priuilegio, *can. si quis suadente diabolo*, sicut & cæteri Religiosi professi, vt *d. §. quamuis*, & gaudeant etiam alijs fauoribus, & priuilegijs Religionis.

2 Nam respondetur ipsos in fauorabilibus dici personas Religiosas, & gaudere fauoribus, & gratijs Religionis. Secus autem in odiosis, quæ restringenda sunt, non amplianda, & sic in his, eum professi non sint, non se habent sicut Religiosi; vndè nec Abbatibus subijciuntur. Atq; ideo hanc sententiam tuentur *Ledesma in summ. cap. 13. de pœnitent. dub. 14. Eman. Sà in Aphor. tit. casus num. 8. Roderic. quæst. Regular. tomo 1. q. 21. art. 11. Ioan. de la Cruz de stat. Relig. lib. 1. cap. 6. dub. 10. conclus. 2. Graff. in append. ad decis. lib. 1. cap. 7. num. 69. Azor. instit. moral. part. 1. lib. 12. cap. 2. q. 10. Mirand. in manual. Prælat. tom. 2. q. 34. art. 16. Franc. Coriolan. de casib. reseruat. part. 1. sect. 3. art. 18. in 2. edit.*

QVAESITVM VI.

Vtrùm Abbates in prædictos casus congruenter appositos incidere possint.

SVMMARIVM.

1 *Abbat non ligatur casibus ab ipso reseruatis, secus est de casibus Generali, vel alteri Superiori reseruatis.*

1 Respondeo negatiuè. Abbates enim solum culpæ Rei fiunt; dummodò casus illi non habeant annexam excommunicationem Generali, Prouinciali, vel alijs maioribus Prælatis reseruatam. Et benè aduertendum est, an Generalis, Prouincialis, & Abbates Superiores sibi reseruauerint illos casus, vel aliquos in decreto Clementis VIII. contentos, in tota Religione, vel Prouincia, vel Monasterio, cuius regimen cuilibet Abbati sit traditum; tunc enim Abbates inferiores in hos, vel aliquos reseruatos incidentes tenentur recurrere per se, vel per alium ad Generalem, aut Prouincialem, vel Superiores Prælatos pro absolutione obtinenda, vt notat *Coriolan. 1. par. cas. reseruat. sect. 1. art. 33.*

QVAESITVM VII.

An absolutio casuum reseruatorum sit penes Abbatem.

SVMMARIVM.

1 *Absoluere à casibus per Abbatem reseruatis spectat ad ipsum.*

Digitized by Google

1 Pluribus supra probauimus quosdã casus ab Abbate reseruari; penes eumdem nunc eorum absolutionem attendendã esse meritò affirmamus. Nam ad illum spectat absolutio, à quo reseruatio casuum facta fuit, sed huiusmodi reseruatio fit ab Abbate, vt supponimus; ergò ab eodem petenda est absolutio. Maior probatur; nam Prælati Ecclesiæ habent auctoritatem ligandi, atque soluendi illos, in quos iurisdictionem habent circa ea, quæ eorum non excedunt potestatem, & limitationem à Summo Pontifice constitutam; & cùm hæ duæ, nempè absolutio, & reseruatio ad inuicem inferantur, vna sinè alia dari non potest. At Abbas sibi casus reseruat; ergò necessè est, vt ab eisdem absoluat. Probatur præterea ex verbis decreti Clementis VIII. & etiam ex relatione *Hieronym. à Sorb. in annot. ad compend. priuil. tit. casus reseruat.* vbi refert se audiuisse à Clemente VIII. facultatem absoluendi à casibus prædictis spectare ad illos ad quos antè decretum spectabat; sed indubitatum est antè decretum ad Abbatem absolutionem casuum reseruatorum spectasse; ergò absolutio est penes Abbatem attendenda; Vide *Franc. Coriol. 2. par. tract. cas. reseruat. sect. 1. art. 23. & Suar. de Relig. tomo 4. tract. 8. lib. 2. cap. 18. & 19. num. 1.*

QVÆSITVM VIII.

Vtrùm Abbas pro reseruatis debeat alios Confessarios in suo Monasterio deputare.

SVMMARIVM.

1 *Confessarios in suo Monasterio deputare tenetur Abbas, quibus, quandò necessitas postulauerit, facultatem à reseruatis absoluendi tradat.*

2 *Confessarius, petens ab Abbate facultatem absoluendi aliquem Monachum à reseruatis, debet illam petere in genere, ne Abbas vllo modo in delinquentis cognitionem veniat.*

3 *Superior peccat in concedenda hac facultate Confessarijs Conuentus difficilem se prabens.*

4 *Abbate negante suam facultatem, potest Confessarius pro illa vice pœnitentem absoluere.*

1 Respondeo affirmatiuè. Probatur ex decreto Clementis VIII. cuius verba ad rem nostram facientia hæc sunt. *Superiores in singulis domibus deputent duos, tres, aut plures Confessarios pro subditorum numero maiori, vel minori; qui sint docti, prudentes, charitate præditi, qui à non reseruatis eos absoluant, & quibus etiam reseruatorum absolutio committatur, quandò casus occurrit, in quo eam debere committi ipse in primis Confessarius iudicauerit;* & eo magis Abbas debet Confessarios deputare, ne Monacho pœnitenti verecundò præbeat ansam non se præsentandi; quia, vt ait *Graffius lib. de casib. reseruat. cap. 10. num. 28.* veretur deinde Monachus, ne toruo oculo ab Abbate aspiciatur. In tali casu pœnitens, qui petit facultatem qua à reseruatis absoluatur, satis est si fateatur, rationabilem causam habere, hanc absolutionem petendi. Ità *S. Thom. opusc. 19.* Nec debet Abbas Monachum ad culpæ declarationem cogere. Quandò autem Monachus nollet Abbatẽ adire, tunc eius Con-

2 fessarius petat facultatem illam absoluendi; sed in genere, ne vllo modo Abbas in delinquentis cognitionem venire possit; quod quidem præcipuè cauendum, ac memoriæ tenendum propter Confessionis sigillum. Aiunt autem *Nauar. in Manual. cap. 7. num. 8. Victor. in summa cap. 4. num. 47. S. Thom. in 4. dist. 7. art. 3.* pietati, ac rationi consentaneum esse, vt Abbas alijs Confessarijs absoluendi à reseruatis tribuat auctoritatem, verba autem *S. Thom. loc. cit.* valdè meo iudicio ad hoc propositum conferentia, sunt hæc, *pec-*

3 *care Superiorem, qui difficilem se præbet in danda hac facultate; quia multi sunt adeò infirmi, vt potiùs sinè Confessione moriantur, quam vt tali Sacerdoti confiteantur.* Nec Abbates his verbis innitentes omninò faciles in hac facultate concedendã se præbeant, sed medium teneant inter nimiam facilitatem, magnumque rigorem, vt docet *Sot. in 4. dist. 18. q. 2. art. 5.* qui ait Prælatos in ea potestate tradenda, nec faciles prorsus, nec difficiles nimis esse debere.

Hic autem notandum, quod si aliquis Confessarius non habens ab Abbate auctoritatem à reseruatis absoluendi, nihilominus ab illis absoluat, est ipso facto excommunicatus, cuius excommunicationis absolutio Papæ reseruatur. Nam Alexander V. in priuilegio concesso Prælatis Regularibus, vt possint sibi casus reseruare, inquit, quod absoluentes à talibus casibus reseruatis post eorum reseruationem nullam faciunt absolutionem, & incidunt in pœnam absoluentium à casibus non concessis, quæ pœna est excommunicationis ipso facto incurrenda, *vt in Clement. Religiosi, de priuileg. in 6.* Confessio igitur taliter facta irrita erit, & nulla.

4 Si tamen Confessarius non habens huiusmodi facultatem illam ab Abbate pro aliquo casu reseruato peteret, & Abbas concedere negaret, posset nihilominus Confessarius, pro illa vice tantùm, pœnitẽtem Regularem etiam facultate non obtenta, absoluere, Ità enim concessit Paulus V. in decretis generalibus pro Regularium reformatione editis, vt refert *Coriolan. in tract. de casib. reseruat. par. 1. sect. 2. art. 17. in fine, Naldus in summa verb. casus num. 2. & verbo Religionis num. 44. in fine.*

QVÆSITVM IX.

Vtrùm Abbas tribuens Confessarijs facultatem absoluendi à reseruatis, illis pœnitentias taxare possit.

SVMMARIVM.

1 *Confessarijs potest Abbas pœnitentias culpis reseruatis iniungendas taxare.*

1 Absque dubio id ab Abbate fieri posse, patet, ex decreto supra citato Clementis VIII. tamen id præcipuè seruandum erit ab illo in pœnitentijs taxandis pro reseruatis. Nec dicatur huiusmodi pœnitentiarum taxationem in Ecclesia Dei nouam esse; quia etiam antiquitùs apud sacros Canones pœnitentiæ taxabantur, vt legentibus, & intuentibus illos perspicuum fiet, quodque de pœnitentijs taxandis dicitur,

dicitur, intelligatur itidem de quacumque ſatisfa-ctione condigna; vt docet *Coriolan. tract. de caſ. reſeruat. par. 1. ſect. 1. art. 19.*

QVAESITVM X.

Vtrum Monachus caſu reſeruato in vno Monaſterio innodatus, pergens in aliud Monaſterium, poſſit ab illius Abbate abſolui, & an valeat abſolutio, ſi abſque contritione eam obtineat.

SVMMARIVM.

1 *Monachus caſu reſeruato in vno Conuentu innodatus, in aliud pergens, poteſt ab illius Prælato abſolui.*

2 *Abſolutio valida eſt à reſeruatis, ac etiam cenſuris, licet pœnitens in eorum Confeſsione contritus, vel attritus non ſit.*

3 *Peccata reſeruata habens, ſi in Confeſsione aliqua ex obliuione omittat, an poſtquam eorum recordatus fuerit, teneatur iterum ſe præſentare.*

1 QVoad priorem huius quæſiti partem reſpondeo, quod Monachus caſu reſeruato in ſuo Monaſterio innodatus ſi pergit in aliud poteſt ab Abbate illius abſolui; quia in omnibus Monaſterijs nunc ſunt iidem caſus reſeruati, quos poſuit, & limitauit *Clemens VIII. in ſuo decreto de caſib. reſeruat. Regular.* Præterea adeſt priuilegium Gregorij XI. Fratribus Ordinis Prædicatorum traditum, vbi concedit Magiſtro Generali, & ſingulis Prioribus Prouincialibus, & Localibus, ac locis ſibi commiſsis, vt Fratribus eiuſdem Ordinis ibi conſtitutis, necnon Fratribus alijs eiuſdem Ordinis interdũ ad eos declinantibus vndecumque abſolutionem, & diſpenſationem indigentibus, abſolutionis, & diſpenſationis beneficium impartiri liberè, & licitè valeant; Ita refert *Coriolan. in tractat. de caſib. reſeruat. part. 1. ſect. 3. art. 10. num. 1.*

2 Ad ſecundam quæſiti partem reſpondeo affirmatiuè, quia cum reſeruatio ſit quid odioſum ſufficit illius cognitio, & reuelatio Superiori, ſiuè alteri ab eo auctoritatem habenti, ac per huiuſmodi confeſſionem, & abſque contritione, vel attritione tollitur eius reſeruatio; nec tenetur ſubditus amplius dicta peccata reſeruata Prælato confiteri. Ità *Sylu. verb. confeſſio 1. q. 19. Caiet. in ſumma verb. caſus reſeruat.* & communiter Doctores. Idem intellige, ſi peccata reſeruata habeant aliquam Eccleſiaſticam cenſuram annexam; nam licèt ob malam pœnitentis diſpoſitionem confeſsio inualida ſit, & ſacramentalis abſolutio cum huiuſmodi defectu nullius ſit valoris; tamen valebit ad hoc, vt caſuũ reſeruatio tollatur, ac deinceps poſsit pœnitens cuilibet Confeſſario confiteri, ac ab ijs abſolutionem recipere. Ità *Mirand. man. Prælat. tomo 2. q. 34. art. 13.*

3 Dices, ſi Monachus in Confeſsione caſuum reſeruatorum ſuo Abbati, ſiuè alteri ab eo facultatem habenti, aliquorum caſuum reſeruatorum obliuiſcatur; tenebitur ne iterum poſtquam eorum recordatus fuerit, illa Abbati, vel alteri facultatem abſolutionis habẽti confiteri? Reſpondeo quòd talem Confeſsionis reiterationem Monachus facere non tenetur, & ratio eſt nam Abbas, vel alter facultatem abſoluendi obtinens omnem reſeruationem ſubſtulit, cum à peccatis abſoluendo, & id ipſum faciendi fuit illius intentio formalis, & virtualis, ab omnibus videlicet eum abſoluendi. Idem intelligi debet de Monacho, qui tempore Iubilei confitetur, eodemque tempore elapſo, alicuius peccati reſeruati recordatur; quia reuera potest abſolui ab illo, virtute tranſacti Iubilei; & putatur, quod quando animaduertiſſet, illud ſuo Confeſſario patefeciſſet; ſimiliter dum Generalis, vel Prouincialis, ſiuè Abbas vel Prælatus Superior in vitatione ab omnibus cenſuris, & pœnis ſuos Monachos abſoluunt, ſatis eſt, illos habuiſſe intentionem abſoluendi ab omnibus peccatis, ex vi cuius intentionis poterũt abſolui Monachi à proprio, ac Ordinario Confeſſario, quoties recordabuntur alicuius peccati ex obliuione omiſsi; Sic docent *Ledeſm. 2. par. 4. quæſt 8. art. 4. 1. aub. 8. Couar. in cap. alma mater prima par. §. 11. num. 12. Nauar. in man. cap. 26. num. 13. Syl. verb. Confeſsio num. 22. Adrian. q. 4. de Confeſſ.* & alij ſecus eſt dicendum; ſi Monachus Abbati ſuo confiteatur, nulla mentione facta, aut habita intentione reſeruatorum *Suar. tom. 4. diſput. 31. ſect. 4. punct. 4.*

QVAESITVM XI.

Mortuo, vel ab officio amoto Abbate, vel Prælato, qui caſum, vel cenſuram ſibi reſeruauit, à quibus nam poſsit ſubditus tali caſu, vel cenſura innodatus abſolui.

SVMMARIVM.

1 *Mortuo, vel amoto Prælato, ſubditus aliqua cenſura ab eo lata detentus adhuc remanet ligatus.*

2 *A quo ſit abſoluendus.*

3 *Prælato mortuo, vel amoto ab officio, poteſt ille, qui aliqua cẽſura tunc innodatus erat, à Priore Clauſtrali, vel Vicario Monaſtery abſolui.*

1 PER mortem Abbatis, vel alterius Prælati, ſeu amotionem ab officio, ſubditus aliquo caſu, vel cenſura per ipſum Prælatum lata innodatus remanet adhuc ligatus, poteſt tamen à ſucceſſore, vel alio de eius licentia abſolui; Ratio eſt, quia ſucceſſor eadem perſona cenſetur eum eo, cui ſuccedit, vt optimè probat *Palud. in 4. diſt 18 q. 5. art. 2.* Dices, ſententia excõmunicationis lata ab homine moritur mortuo latore, aut amoto ab officio, vt docet *Nau. in manuali cap. 1. n. 2.* ergo mortuo Abbate, vel amoto ab officio, Monachus, qui fuerat per Abbatem excommunicatus, remanet abſolutus. Reſpondeo cum *Sayr. de cenſ. lib. 1. cap. 4. num. 22.* ſententiam excommunicationis latam ab homine mori quidem mortuo latore, vel ab officio amoto, quoad illos, qui eam non incurrunt, antequam lator moreretur, vel priuaretur officio, ſi verò ſemel incurratur, manet donec relaxetur; Idem fatentur *Henriq. in ſum. lib. 13. de excom. cap. 2. §. 2. & Vgol. de Eccleſ. Cenſ. tab. 1. c. 9. §. 4.* Quòd verò ille, qui antequã lator cenſuræ moreretur, vel amoueretur ab officio, in cenſuram incidit

Digitized by Google

incidit, absolui debeat ab eiusdem latoris successore, docent *S. Antonin. 3. par. tit. 24. cap. 77. Sylu. verb. absolutio in princip. V golin. de censur. tab. 1. cap. 4. §. 3. num. 1. Innoc. in cap. quarenti in fine de offic. delegati Panorm. in c. pastoralis. §. praeterea nu. 1. de offi. ord.* & hoc valet nõ solum in successoribus propter mortem primi latoris illius censuræ, sed etiam in omnibus ob quamcumquè causam succedentibus, vt probat *Durand. in 4. dist. 18. q. 4. nu. 8.*

3 Præterea mortuo, vel amoto Abbate, vel Prælato Regulari potest ne Monachus, vel subditus Regularis censura aliqua ligatus absolui à Priore Claustrali; vel Vicario eiusdem Monasterij? Respondeo posse, quia Sede vacante Prior ille Claustralis vicem Abbatis gerit, & sub illius cura Monasterium gubernatur, vt habetur in *cap. 1. ne Sede vacante in fine*, quod etiam asseritur *à Franc. Marc. in decis. 1246. num. 2.* vbi ostendit officium Prioris Claustralis non expirare per mortem Abbatis, sicut officium Vicarij Episcopi ex *glos. in Clem. fin. de procurat.* expiraret quidem, si Prior positus esset per Abbatem, secus verò si à Conuentu, vel Capitulo Generali, vel Diffinitorio. Imò Abbate suspẽso deuoluitur potestas ad Priorem Claustralem *ex Clem ne in agro §. Abbate, de statu Monach.* vel ad Vicariũ Monasterij; quia Monasterium nunquam dicitur destitutum aliquo Superiore, qui in Monachos ordinariam iurisdictionem exerceat, aliàs Monachi peioris essent conditionis quàm subditi Episcopi.

QVAESITVM XII.

Vtrum Regulares, qui legitimè Bullam Cruciatam acceperunt, possint eius virtute à casibus reseruatis absolui.

SVMMARIVM.

1 *Regulares nequeunt virtute Bulla Cruciata legitimè accepta à casibus suis Prælatis reseruatis absolui.*
2 *Absoluendi à casibus Apostolica Sedi reseruatis data facultate in Bulla Cruciata, vel alijs Indultis non venit auctoritas absoluendi à casibus Episcopis reseruatis, nisi exprimatur.*
3 *Regulares nequeunt vti Bulla Cruciata, vel alijs Indultis ad effectum sibi Confessarium eligendi, absque suorum Prælatorum licentia.*
4 *Respondetur cuidam obiectioni.*
5 *Ius nullum inducitur nec aliquid immutatum, aut alteratum censetur per simplices Summorum Pontificum declarationes, sed tantum id, quod erat dubium, certũ redditur, ac declaratur.*

Respondeo negatiuè. Ducor primò, quia sub facultate absoluendi à casibus Sedi Apostolicę reseruatis data in Bulla Cruciatæ, vel alijs Indultis, non venit auctoritas absoluendi, à reseruatis Ordinario, quandò de hoc non fit expressa mentio, vt necessariò requiritur, quicquid dicendum esset de Iubileo, in quo talis facultas exprimi solet *Suar. tom. 4. in 3. part. disput. 3 e. sect. 4. num. 26. Io. Bapt. Anton. in Cathec. Neapol. post lib. 6. de praeparat. pro examine fol. 49. Lauor. de Iubileo par. 2. cap. 28. num. 25.* & in terminis nostris *Cordube in annot. ad Compend. priuileg. verbo Cruciata col. 4. §. imò dato lit. D.* negat virtute Bullæ Cruciatæ posse Fratres absolui à reseruatis Ministro Prouinciali, quia talis facultas non exprimitur, vt est necesse, & postea ibidem contrarium opinatur virtute Iubilei; Item facit declaratio Sacræ Congregationis Concilij, sub die 3. Aprilis 1593. quæ censuit illos, qui Confessiones audiũt, posse virtute Iubilei indicti à Summis Põtificibus cum facultate absoluendi à quibuscunque casibus absoluere à casibus Episcopo reseruatis; sed non virtute priuilegiorum Regularibus, seu Confraternitatibus concessorum.

Præterea suadetur rationibus, Nam si concederemus contrarium talis facultas cederet tùm in animarum perniciem ob veniç facilitatem, quç peccandi ansam tribueret; tùm verò in primis in nimiam læsionem, ludibrium, & derisionem Iurisdictionis Prælatorum maiorum reseruandi sibi casus dum eorum reseruatione non obstante, possent subditi quolibet anni tempore etiam illis inuitis absolui à quibuslibet Confessarijs. Quæ rationes maximè procedunt in illis præsertim Regionibus, vbi Sanctæ Cruciatæ concessiones breui tempore non expirant, prout illæ Iubileorum, quæ ob imminentes Ecclesiæ necessitates donantur. Ità *Rota in vna Oueten. Satristia 2. Nouembris 1592. coram Comitulo, & in vna Oxomen Canonicatus 18. Nouembris 1624. §. non prima in fine, coram R. P. D. Merlino* vbi dicitur ob huiusmodi rationes in *extrauag. etsi dominici 2. de pænit. & remiss.* reuocatas fuisse similes concessiones etiam vigore Cruciatæ elargiras.

Ducor secundò, ex mente plurimorum Pontificum, qui declararunt Religiosos non posse vti dd. priuilegijs S. Cruciatæ &c. sine licentia suorum Superiorum vt Iulius II. & Pius V. Fratribus Prædicatoribus, & Leo X. Minoribus, Gregor. XIII. prout nobis idonei testes sunt *Hieron. à Sorbo in annot. ad Comp. priuileg. verb. Cruciata, Ioan. de la Cruz. de Hatu relig. lib. 1. c. 6. dub. 12. concl. 1.* & præsertim Clemens. VIII. in Bulla incip. *Romani Põtificis* anno 1599. 23. Nouembris, qui auctoritate Apostolica perpetuò declarauit concessionem S. Cruciatæ, & aliorum Indultorum particularium minimè locum habere, neque censeri ad effectum eligendi Confessorem, & absoluendi à casibus reseruatis eum Fratribus, & Monialibus quorumcunque Ordinum, & Congregationum cuiusuis Instituti Mendicantium, & non Mendicantium, tàm Prouintiæ Hispaniæ, quàm extra eam vbilibet, sed suæ intentionis existere quod ijdem Fratres, & Moniales, quantum ad Sacramentum Pœnitentiæ, seu ad Confessionis administrationem dispositioni suorum Prælatorum subiecti sint, quas omnes Constitutiones supra Disput IX. Quæs. VII. retulimus agentes, an Regulares virtute Bullæ Cruciatę, vel aliarum huiusmodi Indulgentiarum possint alijs, quàm Confessarijs ab Abbate destinatis confiteri. Idem confirmat in terminis *Coriolan. part. 1. sect. 3. art. 15. in 3. edit. Acosta ad Bull. Cruciat. q. 107.*

Non obstat superfluè igitur opponi in Bulla Cruciatę illam Clausulam. *Che de gli altri peccati, che non sono reseruati alla medesima Sede Apostolica li possano assoluere il detto Confessor tante volte, quante si con-*

Digitized by Google

si confessera; Cum neminem lateat quemlibet Confessarium ab Ordinario approbatum, nullo priuilegio suffragante, posse absoluere pœnitentes à quibusuis peccatis non reseruatis. Nam respondeo, superfluitatem cessare, ex eo, quod illa absoluendi potestas ordinatur ad Indulgentiam pleniariam, vt per bellè *Suar. de Relig. tom. 4. tract. 8. lib. 2. cap. 19 num. 23.*

Non obstat secundò dictas concessiones, seù declarationes reuocatorias tolli per nouas Bullas Sanctæ Cruciatæ, quia par in parem non habet imperium *Cordub. vbi suprà col. 20. §. item apposito, Sorb. vbi supra col 3. §. et quia.* Nam respondetur primò eas Bullas iure non fuisse concessiones, sed simplices declarationes iuris dubij, seù verborum dubiorum, in dicta Bulla Cruciatæ, vt liquidò constat ex illis præsertim Pij V. & Clementis VIII. ibi, *sed nostra intentionis exister &c. perpetuo declaramus*. Perquas simplices declarationes nullum ius induci, nec aliquid immutatum, aut alteratum censeri, sed tantum quod indubium vocabatur, certum reddi, ac declarari docent *Apostill. ad Philipp. Dec. in cap fin. num. 13. verbo dubium de constitut. Castren. cons. 339. num. 2. vers. pro declaratione lib. 1.* & alij multi, quos approbat *Rota in vna Lauretana Iurisdictionis 1. Iunij 1618. coram Sacrato, & in vna Cæsaraugustana preeminentiarum Ecclesia S. Mariæ Maioris de Pilari 22. Martij 1609. & 10. Nouembris 1623. & 15. Nouemb. 624 coram* Reuerendiß. *D. Coccino Decano.* Vndè cum sequentes concessiones S. Cruciatæ nullam ampliorem clausulam contineant in casu, de quo agimus, quam continerent illæ, quas declararunt prædicti Summi Pontifices, per consequens non licet hodiè ab illis declarationibus vllo modo discedere, vt in simili dixit *Azebd ad Bullam Cruciat. q. 610. col. ult. in princ. Rota in d. Oxomen. Canonicatus coram Merlino §. & hinc perfectum.* Et maximè stante verbo *perpetuò*, quod comprehendit omne tempus futurum *Breuiar. a Sole in loc. commun. in verbo Dictio nu. 10. & Rot. in d. Cæsaraugustana 23. Martij 1609. coram Coccino*, quod forsan sibi locum non vendicaret, si apponeretur clausula similis ei, quam Pius IV. anno 156. apposuit, quamq; deinceps vsq; in hodiernum diem fuisse sublatam testatur *Sorb. vbi sup. col. 2. lit. B.* nempè. *Vt possent Religiosi sine licentia suorum Superiorum Bullam accipere.* Videatur *Barthol. de Vecch. in tract. de monit. disp. 9. dub. 3. n. 7.*

QVAESITVM XIII.

Vtrum & quando Abbates, & Prælati, ac Confessarij Regulares approbati possint à casibus Episcopis, vel Sedi Apostolicæ reseruatis absoluere.

SVMMARIVM.

1 *Priuilegia recensentur per qua Religiosis Confessarijs facultas à quibuscunque casibus, etiam Sedi Apostolica reseruatis absoluendi conceditur.*

2 *Quid super hoc à Sacra Congregatione Illustrissimorum Cardinalium iussu Clementis VIII. statutum fuerit, ostenditur, & num. 3.*

4 *Decretum aliud eiusdem Sacra Congregationis refertur, super eadem re Pauli V. iussu editum.*

5 *Reseruatio casuum an cesset per obitum Episcopi, qui eos sibi reseruauit.*

6 *Excommunicatus à Delegato Papa, per annum perseuerans in excommunicatione, anno delegationis finito à solo Papa absoluitur.*

7 *Clerici, qui scienter, & sponte admittunt excommunicatos a Papa ad Diuina Officia, & ad Sacramenta, sunt excommunicati, concurrentibus tamen quinque requisitis.*

8 *Incendiarij excommunicati, & publicati à solo Papa absoluuntur.*

9 *Ecclesiam frangentes, & spoliantes ante denunciationem paratos restituere, & iniuriam resarcire, potest Episcopus absoluere, at post denunciationem solus Papa absoluit, & Ecclesiarum nomine veniunt etiam Monasteria, Hospitalia, & alia loca pia.*

10 *Eligentes in Senatorem Vrbis Roma, Imperatorem, Regem, Principem, Marchionem, Comitem, &c. incurrunt excommunicatione Papalem.*

11 *Excommunicantur excommunicatione Papali tribuentes facultatem vexandi, capiendi, & interficiendi personas Ecclesiasticas &c. insecutoresq; Cardinalium, Clerici, aut Religiosi, seu familiarium Papa, necnon dantes consilium &c. receptatores, & defensores.*

12 *Inquisitores alicui falsa hæresis crimina imponentes, innocentesq; infamantes à solo Papa absoluuntur.*

13 *Religiosi Sacramentum Extremæ vnctionis, vel Eucharistiæ Clericis, vel laicis ministrantes, Matrimonia sine speciali licentia Parochi solemnizantes, excommunicatosq; à Canone, & à sententijs latis in Concilijs Prouincialibus &c. præterquam à iure sibi concessis absoluentes sunt excommunicati excommunicatione Papali.*

14 *Clerici inducentes aliquem ad vouendum, iurandum, & promittendum ad sepulturam in eorum Ecclesia eligendum, vel vt electam non mutet excommunicantur per Clement. cupientes, de pœnis, & à solo Papa absoluuntur.*

15 *Domini temporales, & quicunque alij cogentes personas Ecclesiasticas in loco interdicto celebrare, populumq; ad illic Diuina audienda cogentes, vel aliquem, aut aliquas ad Diuina illa audienda ducentes, publicosq; excommunicatos, & interdictos, vt ab Ecclesia moniti exeant, prohibentes excommunicantur per Clement. grauis, de sentent. excommunicat. qua excommunicatio est Papa reseruata.*

16 *Minores tempore interdicti admittentes Fratres Tertij Ordinis ad audienda Diuina incurrunt excommunicationem Clement. cum ex eo, de sentent. excommunicat.*

17 *Cadauera hominum incidentes, elixantes, carnes ab ossibus separantes excommunicantur per extrauag. detestanda, de sepult.*

18 *Fratres cuiuscunque Ordinis Mendicantium sine licentia Sedis Apostolica ad aliam Religionem non Mendicantium transeuntes sunt excommunicati per extrauag. ambitiosa, de Regul.*

19 *Violantes Ecclesiasticam libertatem, seu interdictum Ecclesiasticum, conspirantes contra Papam, Episcopum, aliosq; Prælatos offendentes excommunican-*

Digitized by Google

nicantur per extrauagant. si dominici.

20 *Largientes, accipientes, vel aliquid in Curia Romana promittentes ad obtinendam iustitiam, & gratiam excommunicantur per extrauagantem 1. de sentent. excommun.*

21 *Rapientes bona Cardinalium in Conclaui existentium, seu electi in Papam excommunicantur excommunicatione Papali.*

22 *Prouisus de Ecclesia, vel Monasterio vacante si aliquid nunciatoribus dederit excommunicatur.*

23 *Laicus relegans, vel proscribens, & qui proscriptionem scripserit est excommunicatus, eadem excommun. Papali.*

24 *Persona Ecclesiastica alium Ecclesiasticum ad forum laicale trahens, necnon laicus in hac re dans fauorem, auxilium, &c. excommunicatur excommunicatione Papali.*

25 *Ministri Papæ, & omnes Officiales accipientes munera in terris Ecclesiæ sunt excommunicati.*

26 *Lapides, & alia ornamenta de Ecclesia auferentes, necnon dantes auxilium, &c. sunt excommunicati.*

27 *Fingentes se nepotem, familiarem, & commensalem Cardinalis, vt literas Apostolicas gratias expediant.*

28 *Miracula falsa prædicantes, scandalosè Prælatis detrahentes.*

29 *Impedientes quemcunque Officialem in Officio Sanctæ Inquisitionis, necnon Episcopos in tali Officio perturbantes, Aduocatum, & alios pro tali causa perterrentes, & qui in his consilium, auxilium, & fauorem dederit.*

30 *Occultantes, retinentes libros, & alias scripturas Cameræ Apostolicæ, aliaq; bona ad dictam Sedem spectantia, necnon scientes, & non reuelantes, alijq; Ministri dictæ Cameræ rationes integras non reddentes.*

31 *Supponentes se in examine pro alio, vt Ecclesiasticum beneficium obtineat, vel annuas pensiones offerentes, vt beneficia impetrent, beneficiaq; pro alijs impetrantes, vt ab eis aliquid consequantur, vel pro se ipsis, vt alijs resignent.*

32 *Tractantes de noua Papæ electione, alio viuente; ac eorum complices, & fautores.*

33 *Excommunicantur omnes cuiuscunque dignitatis existant, pactiones, conuentiones, & contractum aliquem super vita, aut morte Sum. Pont. facientes, necnon super futura creatione dicti Summi Pontificis, vel Cardinalium, necnon permittentes talia fieri in terris suis, vel dantes auxilium, &c.*

34 *Cardinales simoniacè Papam eligentes excommunicantur per Constit. Iulij II.* cum Diuino.

35 *Literas, nuncium, aut signum mittentes ad eos, qui sunt in Conclaui, necnon talia recipientes, vel è contrà in Cõclaui existentes ad eos foris scripserint.*

36 *Ecclesiæ bona, seu personas conuertentes in proprios vsus per vim.*

37 *Ecclesiarum bona, fructus, & iura per vim occupantes, necnon Clerici in hoc desentientes.*

38 *Commissarij delegati ad cognoscendum de alienatione, si cedat in euidentem vtilitatem, & timore, vel amore alienationi consentiunt.*

39 *Clerici prouisi de Ecclesia, non seruantes iuramentum de residendo intrà tempus præscriptum, vel in quorum fauorem beneficia resignantur.*

40 *Glossantes Concilium Tridentinum excommunicantur per Constit. Pij IV.*

41 *Nuncius Apostolicus procurans literas commendatitias pro dignitate obtinenda à Principibus excommunicantur excommunicatione Papali, sed talis excommunicatio nullibi est reseruata.*

42 *Mulieres ingredientes Monasteria Regularium, & Mendicantium.*

43 *Monialis a clausura exiens, vel dans illi licentiam exeundi, comitantes, & receptantes.*

44 *Officiales Officij Pœnitentiariæ Romanæ, Procuratores, & scriptores aliquid etiam spontè oblatum pro labore accipientes sunt excommunicati.*

45 *Ecclesias, & beneficia Ecclesiastica palam, vel occultè retinentes, aut recipientes in confidentiam, sunt excommunicati, à qua excommunicatione nec Cardinales excipiuntur.*

46 *Qui de fructibus dignitatum vacantium applicandis mensæ Episcopali, aut in communem vsum cedendis, disponit est excommunicatus.*

47 *Gubernator Status Ecclesiæ dans licentiam ferendi arma breuiora tribus palmis est excommunicatus.*

48 *Christianus in terris Turcarum capiens alium Christianum pro mancipio, siue eius bona surripiens est excommunicatus, necnon & qui ex partibus Infidelium ad partes Fidelium alumina deferunt.*

49 *Publicani exigentes gabellam à Regularibus Ordinum Mendicantium, vel aliquid aliud pro reficiendis pontibus, & qui eorum colonos immunes ab omnibus exactionibus non demiserint.*

50 *Gubernator Status Ecclesiastici reuocans homicidam, & exulem ab exilio, vel saluum conductum, etiam ad diem vnum ei fecerit, necnon Ciues Romani receptantes huiusmodi exules.*

51 *Confessarij vigore priuilegij Sixti IV. commutantes vnum ex quinque Votis excommunicantur per extrauag. & si Dominici ... ponit.*

52 *Princeps, vel Baro in Regno Neapolitano receptor homicidam, vel exulem Romanæ Ecclesiæ. Item omnes Ecclesiastici tàm seculares, quàm Regulares in dicto Regno receptantes bannitos sunt excommunicati.*

53 *Baro, vel Princeps subiectus Sedi Apostolicæ emens frumentum, & alias fruges vltrà vsum sibi, & suæ familiæ necessarium.*

54 *Episcopus, aut Patronus, tàm Ecclesiasticus, quàm laicus à præsentatione suspensus, beneficium conferens, præsentans, vel instituens.*

55 *Frater quilibet Sancti Francisci de Obseruantia in electione Ministri Generalis, Prouincialium, Custodum, subornans, tàm pro se, quàm pro alio, & qui fauorem pro hac re extrà Religionem procurauerit.*

56 *Oppidum, & locum ad Romanam Ecclesiam pertinentis quicunque egerit de infeudando, ex eo, quia vacauerit.*

57 *Agnos Dei consecratos à Romano Pontifice quicunque depinxerit, vel vendiderit.*

58 *Monasteria Monialium ingredientes sine necessitate vrgente prætextu facultatum Apostolicarum, vel Episcopi licentia, necnon, & Regularium Superior*

ingredi

ingredi permittens sunt excommunicati.

59 *Sal externum portans in Vrbes, & Oppida Sedi Apostolica subiecta.*

60 *Frumenta, legumina, & animalia cuiusuis generis exportans extra statum S. Romana Ecclesia.*

61 *Religiosus Sancti Francisci de Obseruantia contemptis Superioribus suis ad alia tribunalia appellans.*

62 *Frater quicunque Sancti Augustini Congregationis Lombardia, qui neglexerit obedire Constitutioni de exemptione Monialium eiusdem Ordinis.*

63 *Monachus Cisterciensis aliquid committens contra Constitutionem de exemptione Monialium ab eodem Ordine.*

64 *Subiectus ditioni Ecclesiastica qui receperit homicidas, grassatores, & damnatos de crimine capitali, & impedierit nè capiantur.*

65 *Reliquias ad prouinciam Mediolanensem sine licentia Summi Pontificis asportans, & qui ab vna ad aliam Ecclesiam transtulerit, & aliquam particulam concesserit.*

66 *Iurare facientes illicita, vel de obseruandis statutis contrarijs Decretis Concilij Tridentini.*

67 *Institutum, & Constitutiones Societatis Iesu impugnantes. Necnon Religiosi omnes, exceptis Carthusianis, recipientes aliquem Religiosum Societatis Iesu, sunt excommunicati.*

68 *Libros mouentes ex Bibliothecis Ordinis Fratrum Carmelitarum.*

69 *Fratres Ordinis Pradicatorum S. Dominici procurantes fauorem extra Religionem ad consequendum officium Magistri Generalis.*

70 *Confessionem, & absolutionem Sacramentalem posse fieri inter absentes qui asserunt.*

71 *Armatorum collectas, & caualcatas, qui faciunt.*

72 *Regulares ex Insulis Philippinis, & partibus Indiarum ad Iapponicas commeantes.*

73 *Fratres Ordinis Beata Maria de* Monte *Carmelo ad tribunalia secularia appellantes, & confugientes.*

74 *Delinquentes à locis sacris extrahentes praterquam in casibus concessis per Gregorium XIV.*

75 *Superiores non denunciantes Religiosos sollicitantes mulieres in Confessione Inquisitoribus.*

76 *Prasidentes, & Officiales omnes Montium Pietatis Status Ecclesiastici deponentes pecuniam ad alios, quàm ad pauperum vsus.*

77 *Mortaliter peccare qui asserunt, vel esse hareticos, defendentes Beatissimam, & gloriosissimam Virginem Mariam esse conceptam in peccato originali, vel è contrà sunt excommunicati.*

78 *Confessarij* Regulares *possunt absoluere virtute suorum priuilegiorum ab excommunicatione incursa ob procurationem ad duellum si effectus inde secutus non sit.*

79 *Confessarij Regulares possunt in virtute priuilegiorum absoluere mulieres intrantes Monasteria Regularium sub pratextu cuiuscunque priuilegij.*

1 Ratio dubitandi est, quia plura sunt priuilegia Ordinibus tàm Mendicantibus, quàm non Mendicantibus concessa per quæ facultas eorum Confessarijs à quibuscunque casibus etiam Sedi Apostolicæ reseruatis absoluendi traditur, huiusmodi priuilegium fuit concessum à Paulo III. Societati Iesu anno 1545. relatum à *Roderico tom. 1. quæst. Regular. q. 61. art. 5. & à Suarez de Relig. tom. 4. tract. 10. lib. 9. cap. 2. num. 1.* in hæc verba. *Necnon illis ex vobis qui Presbyteri fuerint, quorumcunque vtriusque sexus Christifidelium ad vos vndecunque accedentium Confessiones audiendi, & Confessionibus diligenter auditis, ipsos, & eorum singulos ab omnibus, & singulis eorum peccatis, criminibus, excessibus, & delictis quantumcunque grauibus, & enormibus, etiam Sedi Apostolica reseruatis, & à quibusuis ex ipsis casibus resultantibus sententijs, censuris, & pœnis Ecclesiasticis (exceptis contentis in Bulla, qua in die Cœna Domini solita est legi) absoluendi, ac pro eis commissis pœnitentiam salutarem iniungendi liberam facultatem, auctoritate Apostolica per præsentes ad nostrum, et Apostolica Sedis beneplacitum concedimus.* Simile priuilegium concessum est Religiosis Ordinis Minimorum à Leone X. in Bulla incip. *etsi cuncta*, anno Domini 1518. Kalend. Iulij, quod refertur in *lib. priuileg. d. Ordinis fol. 124.* alia huiusmodi priuilegia referuntur à *Collect. priuileg. Mendicant. verb. absolutio quoad seculares, & à Roderic. d. q. 61. art. 3. & 4.* quorum vigore Prælati, ac Religiosi ad fidelium Confessiones audiẽdas ab Ordinarijs approbati possunt à casibus non solum Papæ, verùm, & multò magis Episcopis reseruatis absoluere, quia per illa generalia verba, *ab omnibus, & singulis eorum excessibus &c. quantumuis grauibus, & enormibus,* satis est, vt comprehendantur casus Episcopis reseruati; tum quia si casus Apostolicæ Sedi reseruati eis committuntur, multò fortiùs reseruati quibusuis alijs inferioribus Prælatis, quod præterea fortius probatur per ea, quæ congerit *Serbus in resolut. matr. absolut. & in tit. Nouitius*, vbi de absolutione, & dispensatione Nouitiorum, *Ioan. de la Cruz de stat. Relig. lib. 1. cap. 6. dub. 15. concl. 3. 4 & 5. Sanch. in Decalog. lib. 6. cap. 17. num. 41. Suarez d. tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 20. num. 12. & cap. 21. per tot. & cap. 25. à num. 5. Zenard. in direct. Theolog. part. 2. cap. 17. vers. 8. Nald. in summa tit. Nouitius, num. 7. & tit. reseruatio in fine.*

Verum hodie hæc facultas Religiosis per prædicta Apostolica indulta concessa sublata, ac reuocata fuit magna ex parte per subsequentes declarationes Sacræ Congregationis, ac Summorum Pontificum Clementis VIII. & Pauli V. decreta, quæ referunt *Quaranta in summa Bullar. verb. casus reseruati, Nald. in summa verb. casus in fine, D. Barbos. de offic. & potest. Episcopi part. 3. alleg. 50. num. 186. Castellin. in tract. de elect. Prælat. cap. 20.* ea autem, vt ad rem conducentia, & vt præ manibus habeantur, nec curiosus Lector illa aliunde quærere cogatur, hic etiam referre visum fuit.

2 Sacra Congregatio S.R.E. Cardinalium, negotijs, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, iustis, & grauibus de causis id exigentibus, ac de Sanctiss. Domini nostri Clementis Papæ VIII. speciali mandato, viuæ vocis oraculo desuper habito, Sacerdotibus omnibus tàm secularibus, quàm Regularibus per vniuersam Italiam extra Vrbem degentibus, ad Confessiones audiendas probatis, quorumuis Ordinum, etiam Mendicantium, Militarium, aut Congregationum etiam Societatis Iesu, & generaliter quo-

ter quorumcunque aliarum, quouis nomine nuncupentur, iubet, & præcipit; ne quis eorum sub prætextu priuilegiorum, indultorum, aut facultatum, generalitèr, vel specificè scripto, aut viuę vocis oraculo, vel per communicationem à Sede Apostolica, vel eius auctoritate eorum Ordinibus, Congregationibus, Collegijs, vel Societatibus, aut Archieonfraternitatibus secularium, aut singularium personis, seù aliàs quomodocumque sub quibusuis tenoribus, formis, & clausulis, etiam derogatoriarum derogatorijs ad cuiusuis etiam Imperatoris, Regum, aut aliorum Principum instantiam concessarum, seù confirmatarum, alicui cuiusuis status, gradus, & conditionis, aut dignitatis tàm Ecclesiasticæ, quàm secularis, etiam Regiæ, vel Imperialis ab vllo ex casibus clarè, vel dubiè in Bulla die Cœnæ Domini legi solita, contentis, vel alijs quomodocumque Sedi Apostolicæ reseruatis, aut in futurum per Sanctitatem suam, eiusuè Successores pro tempore, in eadem Bulla, vel aliter reseruandis, nec etiam à casibus, quos Ordinarij locorum hactenus reseruarunt, vel in posterum sibi reseruabunt nullo casu etiam necessitatis, vel impedimenti, nisi mortis articulo, seù cum noua, & speciali Sanctitatis suæ, aut Successorum suorum, vel Ordinariorum, quoad casus ab ipsis tantum reseruatos, respectiuè impetrata in scriptis licentia, Ordinarijs locorum exhibenda absolutionis beneficium de cætero impedire audeat, vel præsumat, sed cum opus fuerit, pœnitentes ad Superiores, legitimosq; Iudices suos accedere consulant; sub pœna contrafacientibus tàm Regularibus, quàm secularibus excommunicationis priuationis officiorum, & dignitatum, aut beneficiorum, inhabilitatis item audiendi Confessiones; & ad quæcumque officia, Prælaturas, beneficia in posterum obtinenda ipso facto, absque vlla alia declaratione incurrenda, super quibus à nemine, nisi à Romano Pontifice habilitatio dispensatioue, aut absolutio, præterquam in mortis articulo, possit impartiri; Sanctitas enim sua (quatenus opus sit) facultates, & concessiones, ipsas in hac parte vti cassas, & irritas haberi, de cætero voluit, & vult, non obstantibus quibuscunque.

Prætcrea nouerint pœnitentes, absolutionem, si quam obtinebunt, contra huiusmodi prohibitionem, esse nullam, nullinsq; roboris, & momenti.

Et ne locorum Ordinarij, quibus ius hoc reseruandorum casuum competit, plurium, quàm opus sit, reseruatione subditis, aut Confessarijs in animarum salute procuranda cooperatoribus sint onerosi, moneantur omnes, vt paucos, eosq; tantum, quos ad Christianam disciplinam retinendam, animarumq; sibi creditarum salutem pro cuiusuis Diœcesis statu, qualitate necessariò reseruandos esse iudicauerint, reseruent, in quorum fidem &c. Datum Romæ die 9. mensis Ianuarij anni 1601.

3 Cum autem dubia quædam, ac difficultates circa eiusdem decreti interpretationem, atque obseruationem emersissent, eadem Congregatio, ne vllus deinceps obscuritati, scrupulo, ambiguitatiuè locus relinquatur, & vt clarius appareat, in quibus casibus vigore eiusdem decreti reseruatis, intelligatur prohibita absolutio; speciali mandato, eiusdem Sanctissimi Domini nostri Clementis Papæ VIII. similiter viuæ vocis oraculo super ea re habito, ipsum decretum ita moderatur, ac declarat, videlicet, sub eiusdem prohibitione illos tantum in posterum comprehendi casus, qui Bulla die Cœnæ Domini legi consueta continentur. Ac præterea violationis, Immunitatis Ecclesiasticę in terminis constitutionis fel. rec. Gregorij XIV. quæ incipit. Cum alias nonnulli violationis clausuræ Monialium ad malum finem. Prouocantium, & pugnantium in duello iuxtà decretum Sacri Concilij Tridentini, & constitutionem fel. rec. Gregorij Papę XIII. incipientem ad tollendum; Iniicientium violentas manus in Clericos, iuxta *canonem, si quis suadente &c. 17 q. 4.* ac iuris dispositionem. Simoniæ realis scienter contractæ, atq; etiam confidentiæ beneficialis. Item omnes casus, quos Ordinarij locorum sibi reseruarunt, vel in posterum reseruabunt, In quibus omnibus iam enumeratis casibus dumtaxat, & sublata etiam pœna, inhabilitatis audiendi Confessiones, eadem Sacra Congregatio vult, & mandat dictum decretum in sua firmitate, & pristino robore permanere; ac præterea declarat eos quidem Sacerdotes, tàm seculares, quàm Regulares, qui aliquo ex priuilegijs, indultis, & facultatibus, in supradicto decreto expressis, suffulti fuerint, posse iuxta eorum priuilegia, indulta, & facultates, vsu ante idem decretum, receptas, & quæ sub alijs reuocationibus non comprehenduntur tantum, & nō alias absoluere à casibus in præsenti declaratione non comprehensis, alijs verò Sacerdotibus huiusmodi priuilegia non habentibus, nihil de nouo concepi, sed ne locorum Ordinarij, ad quos casuum reseruatio spectat, ea in re modum excedant; eadem Sacra Congregatio illos rursus magnopere admonendos censet, vt non passim, sed cum id videbitur communi bono expedire, atrociorum tantum, & grauiorum criminum absolutionem sibi reseruent, quorum reseruatio ad Christianam disciplinam retinendam conferat in ædificationem, non autem in destructionem cedat, ne alioquin Sacramenti Pœnitentiæ Ministrorum coarctata potestate Sanctæ Matris Ecclesiæ piæ menti contrarius effectus, subsequatur. Prohibet etiam, ne sibi superfluè reseruent casus in Bulla die Cœnæ Domini legi consueta contentos, neque alios Sedi Apostolicæ specialiter reseruatos. Facultatem verò, & licentiam absoluendi à casibus reseruatis, quam in scriptis tantum concedi permittebatur, etiam sola viua voce concedi posse declarat. Cæterum, ne quis Sacerdotum secularium, aut Regularium sub prætextu, quod per primo dictum decretum non fuerit sufficienter eorum specialibus priuilegijs derogatum, eidem decreto, sic, vt præfertur, declarato, contrauenire audeat, Sanctitas sua, constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis omnibus in fauorem quorumcumque Ordinum, seù Institutorum Regularium, aut Sacerdotum, tàm secularium, quàm Regularium editis, necnon eorumdem Ordinum, seù Institutorum, ac etiam Ecclesiarum, & Monasteriorum, & aliorum secularium, seù Regularium locorum quorumcumque etiam iuramento confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & literis Apostolicis etiam Mari magno, seù Bulla aurea, aut alias nuncupatis, eisdem Ordinibus, seù Insti-

Institutis, ac etiam Ecclesijs, & Monasterijs, secularibus, seu Regularibus locis, aut personis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsq; efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & alijs decretis, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet etiam per viam communicationis, seu extensionis concessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis, & innouatis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumq; totis tenoribus, & formis, specialis, specifica, expressa, & indiuidua, ac de verba ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma seruanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata inserti forent, præsentibus pro expressis habens, quoad ea, quæ præsentibus aduersantur, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter, & expressè derogat, contrarijs quibuscumque non obstantibus, Romæ die 26. Nouembris 1602.

Aliud decretum eiusdem Sacræ Congregationis de Sanctissimi Domini nostri Pauli Papæ V. mandato editum.

4 QVoniam Sacra Congregatio Cardinalium negotijs Episcoporum, ac Regularium præpositorum nuper accepit, quamplures Regulares, tantum facultatis, seu priuilegijs ab Apostolica Sede sibi concessum profiteri, vt etiam à casibus locorum Ordinarijs in eorum Diœcesibus reseruatis, absque alia ipsorum Ordinariorum licentia, pœnitentes absoluere minimè dubitent, nonnullosq; alios in decreto prohibitionis absolutionis à casibus Sedi Apostolicæ, vel locorum Ordinarijs reseruatis die 9. Ianuarij 1601. fel. record. Clementi Papæ VIII. iussu edito, necnon in declaratione illius eodem Clemente Pontifice iubente die 26. Nouembris 1602. promulgata excommunicationes Sedi Apostolicæ, vel Ordinarijs prædictis reseruatas, minimè comprehensas asserere. Vnde fit, vt metus, quo homines à peccando coercentur, absolutionis facilitate exolescat. Ideo Sacra eadem Congregatio de Sanctissimi Domini nostri Pauli Papæ V. speciali mandato, viuæ vocis oraculo desuper habito, decretum huiusmodi, illiusque declarationem, necnon censuras, & pœnas in eisdem contenta omnia, confirmanda, atque innouanda, operæpretium duxit, prout per præsentes confirmat, atque innouat, ab omnibusque Sacerdotibus tàm secularibus, quàm Regularibus, quorumuis Ordinum, etiam Mendicantium, Militarum, Congregationum, aut cuiusuis alterius instituti, etiam necessariò exprimendi, quouis nomine nuncupetur, inuiolabiliter obseruari, ac insuper, vt nulli ex Sacerdotibus prædictis quibuscumque priuilegijs, indultis, & facultatibus suffulti ab excommunicationibus, vel à casibus eiusdem Ordinarijs, vel Sedi Apostolicæ reseruatis, tàm ad forum contentiosum eorumdem Ordinariorum deductis, quàm non deductis, præterquam in mortis articulo, absoluere audeant, vel præsumant, vel eorum aliquis audeat, vel præsumat, sub eisdem censuris, & pœnis eo ipso, & absque alia declaratione incurrendis, mandat, ac præcipit. Non obstantibus omnibus, quæ idem Clemens VIII. in decreto, & declaratione huiusmodi voluit non obstare. Datum Romæ 7. Ianuarij anno 1617.

Referunt hoc Decretum *Molfes. in summa Theologiæ moralis tract. 7. cap. 18. num. 23. D. August. Barbosa de officio, & potestate Episcopi par. 3. alleg. 50. num. 287. secundum* Lugdunen. *impress.* vbi alia Decreta circa casuum reseruationem refert.

Ex his patet Religiosis ademptam fuisse facultatem absoluendi à casibus, quos sibi Episcopi specialiter reseruant. Notandum tamen, quod Regulares Confessarij possunt familiares, seu famulos laicos intra Monasterij septa cohabitantes à casibus locorum Ordinarijs reseruatis, & pro tempore reseruandis absoluere, non obstantibus eisdem dictis Sacræ Congregationis decretis, & hoc ex indulto Clementis VIII. Carthusiensibus concesso die 26. Maij 1602. vt refertur in *Compend. priuileg. Congregationis Beatæ Mariæ Fuliensis, tit. casuum reseruatio, §. 1. Peregrin. 1. part. sui compend. tit. absolutio quoad seculares, §. 3. Laurent. de Peirin. tom. 1. priuileg. Ordin. Minim. in annotat. ad constitut. 1. Iulij 11. num. 14.* Qui autem dicantur familiares, diximus supra.

5 Hic oritur dubium; An per obitum Episcopi cesset Casuum reseruatio? cui satisfit, si dicamus, quod si Episcopus sibi reseruauit Casus, sicut communitèr solent Episcopi, quando his vtuntur verbis. *Nobis reseruamus, &c.* talis casus reseruati per mortem Episcopi expirant ratio est, quia sunt ab Episcopo, tamquam ab homine lati, & ideo illo mortuo auferuntur, secùs dicendum est de casibus à iure, & Episcopo reseruatis, de quibus agit *Syluest. in verbo Casus num. 3.* huiusmodi enim per Episcopi obitum non expirant, & eorum absolutio ab Episcopi successore, vel à Capitulo Sede Vacante in mortui Episcopi iurisdictionem succedente petenda est, idem dicendum est de casibus, quos sibi reseruat Episcopus per modum statuti, seu perpetuæ constitutionis determinando quod absolutio ab illis nullatenus fiat nisi ab eo, vel ab Episcopo, qui suo tempore fuerit, vel reseruando absolutionem Curiæ Episcopali; Vnde talis reseruatio non expirat nisi facta fuerit reuocatio à successore, vel à Capitulo Sede vacante, ad quæ facit *text. in cap. final. de offic. Legat. in cap. statuto, de const. in 6. & Nauar. in manual. cap. 27. num. 12. Ita Stephan. Quarant. Laurent. Peirin. & Luc. Castell. loc. cit.*

Quo verò ad excommunicationes Sedi Apostolicæ reseruatas notandum, quod multæ extant vltra eas in Bulla Cœnæ Domini contentas, à quibus per consequens Religiosi per supradictas Sacræ Congregationis declarationes non prohibentur, quin virtute suorum priuilegiorum absolutionem præstare possint; eas autem hic recensere visum fuit.

6 Prima, est contra eum, qui excommunicatus à Delegato Papæ per annum manet in excommunicatione, nam post annum absoluitur à solo Papa, *cap. quærenti, de offic. delegat. cap. studuisti, de offic.*

Digitized by Google

offic. Legat. Memorial. Clericorum cap. 9. excommunicat. 2.

7 Secunda, est contra Clericos scienter, & sponte admittentes excommunicatos à Papa ad Diuina (Officia scilicet, vel Sacramenta) in his eum illis communicando, *cap. significauit, de sent. excommunicat. Nauar. cap. 27. num. 93. Sayr. lib. 3. cap. 19. num. 5. Suar. de censur. disput. 22. sect. 2. num. 22. Tolet. lib. 1. cap. 25. num. 2.* quæ vt subeatur, quinque requiruntur; primò, quod qui communicat sit Clericus; secundò, quod communicet cum excommunicato à Papa per sententiam nominatim denunciato iuxta *Extrauag. Martini V. ad euitanda*; tertiò, quod communicatio sit in Diuinis, admittendo eum ad Diuina Officia; quartò, quod id sic faciat scienter; quintò, quod nullus subsit timor sic faciendi; Ità *Couar. in cap. Alma mater par. 1. §. 3. num. 4. Clar. lib. 5. §. fin. q. 77. num. 18. Paul. Comitol. respons. mor. lib. 9. q. 29 num. 5. Coninck. de censur. tom. 2. disp. 18. num. 33. & num. 136. Valer. Reginald. in praxi fori pœnitent. lib. 32. tract. 1. num. 94.* quamuis Papa non exprimat extendi ad participantes, *Henriq. in sum. lib. 13. de excommunic. cap. 8. §. 7.*

8 Tertia, est contra incendiarios excommunicatos, & publicatos, *cap. tua nos 19 de sent. excom. Clar. lib. 5. §. fin q. 73. nu. 19. Nauar. cap. 27. nu. 94. Tolet. lib. 1. cap. 35. nu. 5. Suar. disp. 22 sect. 2. nu. 15. Memor. Cler. cap. 8. excom 3. Farin. in praxi crim par. 3. q. 110. nu. 35.* latè *Sayr. de censf. lib. 3. cap. 29. nu. 7. cum seqq.* vbi *nu. 8.* resoluit quod mulier incendiaria semel denunciata excommunicata à solo Papa absolui potest, & *nu. 10.* quod incendiarij Ecclesiarum denūciati à Legato à Latere regulariter absolui nequeunt, & *nu. 12.* quod incendiarij, vt à solo Papa absoluantur, in speciali nomine expressò denunciari debent, nec sufficit denunciatio generalis.

9 Quarta, est contra excommunicatos ob Ecclesiæ fractionem cum spoliatione post denunciationē, quia eos solus Papa absoluit, *cap. conquesti 22. de sent. excom. Clar. d. q. 77. nu 20. D. Antonin. par. 3. tit. 24. cap. 12. Nau. cap. 27 nu. 94. 8. Tolet. lib. 1. cap. 35. num. 6. Suar. d. disp. 22. sect. 2. n. 5. Mem. Cler. cap. 9. excom. 4.* optimè *Sayr. lib. 3. cap. 29. nu. 13. cum seqq. & nu. 14.* resoluit Ecclesiam frangentes, & spoliantes ipso iure excommunicationem incurrere, & *nu. 15.* asserit quod Ecclesiam frangentes, & spoliātes antè denunciationem Episcopus absoluere valet, dummodo satisfacere velint iniuriam passis, & *nu. 16.* dicit quod Ecclesiam aperiens, vel frangens, vt spoliet, sed non spoliās in excommunicationem non incidit, & *nu. 18.* quod Ecclesiarum nomine in præsenti veniunt etiam Monasteria, Hospitalia, & alia loca pia; ita etiam hæc omnia tradunt *Fr. Emm. qq. Reg. tom. 2. q. 38. art. 2. & q. 5. art. 2. Azor. instit. mor. par. 1. lib. 9. cap. 27. q. 12. Valer. Regin. in prax. fori pœn. lib. 19. num. 60.* vbi etiam cum *Suar. de cens. disp. 22. sect. 2. num. 11.* resoluit effringentem, seu expoliantem Sacristiam, si ipsa sit coniuncta Ecclesiæ excommunicationem huius textus incurrere.

10 Quinta, prohibet nè eligatur in Senatorem, vel in officium aliud Gubernationis Vrbis Romæ, vllus Imperator, Rex, Princeps, Dux, Marchio, Comes, &c. aut alius potentia, vel dignitate insignis, aut vllus frater, aut filius eius, &c. contrafacientes sunt excommunicati excomm. reseruata Summo Pontif. *cap. fundamenta, de electione lib. 6. Memor. Clericor. cap. 9. excommun. 6.*

11 Sexta, est contra tribuentes facultatem vexandi, capiendi, interficiēdi personas, seu eorum, suorumq; res, eo quod tulerint excommunicationis, suspensionis, seu interdicti sententiam, *cap. quicumque 11. de sentent. excommun. Henriq. in sum. lib. 13. cap. 43. §. 3. lit. F.* & contra insecutores hostiliter Cardinalium, vel alicuius Clerici, aut Religiosi de familia Domini Papæ, vel Cardinalium, percutientes, capientes eosdem, & dantes consilium, auxilium, & fauorem, receptatores, & defensores talium, *cap. felicis, de pœnis in 6.*

12 Septima est, Inquisitores si alieni crimen hæresis falsò imponant (quod nunquā contigisse credendum est) & innocentes infament, præter alias pœnas, quibus pro mensura criminis puniēdi sunt, in sentētiam etiam excommunicationis maioris incurrunt, neque absolui possunt ab alio, quā ab ipso Papa, præterquam in mortis articulo; quo casu satisfactionem prius offerre debēt, *Clem. 1. §. verum, de hæret. Cou pract. cap. 36. num. 21. Nauar. cap. 27. nu. 100 Suar. tom. 5. disp. 22. sect. 3. Sayr. lib 3 cap. 19. nu. 25. Tolet. lib. 1. cap. 36. num. 1. Memor. Cleric. cap. 7. excom. 1.* Ad hoc vero, vt contrahant hanc excommunicationem Inquisitores, & substituti ab Episcopis (Episcopi enim contrahunt tantum suspensionem ab officio per triennium, vt in eod. tex.) debent tria concurrere; primò, vt faciant contra iustitiam; secundò, vt faciant scienter; tertiò, quod faciant amore, odio, &c, prout in text. vno hōrum deficiente, non incurrunt hanc censuram, *gloss. verbo obtentu, in d. §. verum.*

13 Octaua, est contra Religiosos, qui Clericis, aut laicis Sacramentum Vnctionis Extremæ, vel Eucharistiæ ministrant, aut Matrimonia eorum solemnizant, non habita prius à Parocho speciali licentia; aut absoluant excommunicatos à Canone, præterquam in casibus à Iure expressis, vel priuilegio Apostolico concessis; aut etiā à sententijs latis in Concilijs Prouincialibus, aut Synodalibus, aut absoluunt à peccatis, à pœna, à culpa, cuius excommunicationis absolutio Sedi Apostolicæ est specialiter reseruata, ita habetur in *Clem. 1. de priuileg.* quo autem ad Matrimoniorum solemnizationes videnda sunt ea, quæ diximus in *disp. de potest. Abbatum, &c. circa Sacramentum Matrimonij quæsit. 8.* vbi resoluimus Religiosos, absque Parochorum licentia Matrimonia solemnizantes non incurrere excommunicationem, *d. Clem.* sed tantùm suspensionem in *Concilio Trident. sess. 24. de reformat. Matrimon. cap. 1.* positam.

14 Nona, est contra Clericos, & Religiosos, qui violant constitutionem illis prohibentem aliquem inducere ad vouendum, iurandum, aut promittendum, vt sepulturam apud eorum Ecclesiam eligant, vel electam non mutent, *Clem. cupientes, de pœnis, Sayr. lib. 3. cap. 26. num. 39. Tolet. lib. 1. cap. 36. num. 3. Memor. Clericorum cap. 2. excommunicat. 2.* Hanc censuram non incurrit Religiosus vnius Ecclesiæ inducens ad iurandum &c. eligere sepulturam alterius Ecclesiæ, *Nauar. d. cap. 27. num. 103.*

15 Decima, est cōtra Dominos tēporales, & quoscūq; qui

qui quomodolibet cogunt aliquem in loco interdicto celebrare Diuina, & qui per præcones faciunt conuocare populum ad illa audienda, & qui nunc hos, nunc illos ad eadem audienda conducunt, & qui prohibent nè publici excommunicati, vel interdicti hac de re per illos, qui Miſſas celebrant, moniti exeant ab Eccleſia, ſimiliter ipſi nominatim moniti, cum ſint excommunicati, non exeuntes contrahunt excommunicationem Papæ reſeruatam, *Clem. grauis, de ſent. excom. Tolet. lib. 1. cap. 36. num. 4. Suar. de cenſur. diſp. 22. ſect. 4. num. 27. Memor. Clericorum cap. 7. excom. 1. Nauar. d. cap 27. num. 104. Henriq. lib. 13. cap. 43. §. 3. litera E. Sanchez de matrimon. lib. 4. diſput. 4. num. 8.*

16 Vndecima, & contra Minores, qui tempore Interdicti admittunt in ſuis Eccleſijs Fratres Tertij Ordinis ad audienda Diuina Officia: hæc excommunicatio, vt habetur in *Clem. cum ex eo, de ſent. excom.* ſatisfactione præmiſſa tollitur ab Epiſcopo, alias reſeruatur Papæ. *Memor. Clericor. cap. 3. excom. 10.*

17 Duodecima, fertur in eos, qui cadauera hominum exenterant, incidunt in fruſtra, elixant, carnes ab oſsibus ſeparant, vt oſſa transferant in ſepulturam diſtantem, niſi hoc fieret in terris Infidelium, vt oſſa in terras Fidelium portentur, *extrauag. deteſtandæ, de ſepultur.* quam quidem excommunicationem non incurrit, qui hoc facit cadaueri nè fœtar, aut anathomiam faciens, *Nauar. d. cap. 27. num.* 105. ſicut etiam illam non incurrunt mandantes, conſulentes, conſentientes &c. idem *Nau. conſ. 54. de ſent. excom.*

18 Decimatertia, eſt contra omnes Fratres cuiuſcumque Ordinis Mendicantium, transeuntes ad Religionem non Mendicantium, excepta Religione Carthuſiana, ſine licentia Sedis Apoſtolicæ, necnon & tales recipientes, *extrauag. viam ambitioſæ, de Regular. Azor. inſtitut. moral. par. 1. lib. 12. cap. 16. quæſt. 12. verſ. inter extrauag. & quæſt. 16. Memor. Clericor. cap. 3. excomm. 5. Suar. de cenſur. diſput. 22. ſect. 5. num. 16. Sayr. eod. tract. lib. 3. cap. 30. num. 8.*

19 Decimaquarta, eſt contra Eccleſiaſticam libertatem, aut interdictum Sedis Apoſtolicæ violantes, & contrà conſpirantes in perſonam, vel Statum Papæ, aut offendentem Epiſcopum, vel alium Eccleſiæ Prælatum, *extrauag. & ſi Dominici, de pœnitent. & remiſſ. inter com.*

20 Decimaquinta, fertur contra eos, qui largiuntur, vel accipiunt aliquid, vel promittunt in Curia Romana ad obtinendum iuſtitiam, vel gratiam in eadem Curia Bonif. VIII. in *extrauag. in de ſentent. excom.* quæ eſt in *Bull. 1. in ord. pag. 139. tom. 1.* quam renouauit maioribus pœnis Gregorius XIII. in ſua conſtit. 28. incip. *Ab ipſo Pontificatus noſtri,* & exornauit ſuis comment. *Nauar. in tract. de datis & promiſſis,* & vide eumdem in *Man. cap. 27. num. 106. verſ. vigeſimatertia, Sayr. in Claui Regia lib. 3. cap. 8. num. 13. verſ. alij vero, Paul. Comitol. reſponſ. moral. lib. 6. quæſt. 9. Farinac. in praxi crimin. par. 3. quæſt. 11. num. 91. cum ſeqq. Memor. Clericorum cap. 9. excomm. 25.*

21 Decimaſexta, eſt contra rapientes bona Cardinalium, dum in Conclaui ſunt, ſeù electi in Papam, *Concil. Conſtantien. ſeſſ. 41. in cap. incip. omnis status,* refert *Memor. Clericorum cap. 9. excomm. 33.*

22 Decimaſeptima, contra eum, qui prouiſus, de Eccleſia, vel Monaſterio vacante à Sede Apoſtolica, earum prouiſionum nunciatoribus aliquid dederit, promiſerit, promiſſumuè ſoluerit, ex conſt. 3. vel 4. Gregorij XI. incip. *Solicitè,* de qua *Iacob. de Graff. lib. 4. cap. 23. num. 3. Memor. Cleric. cap. 1. excom. 8.*

23 Decimaoctaua, contra laicum, qui Eccleſiaſticum releganerit, aut proſcripſerit, & qui proſcriptionem ſcripſerit Vrban. VI. conſtit. 6.

24 Decimanona, fertur contra quemcumque Ordinis Eccleſiaſtici, qui alium Eccleſiaſticum ad forum laicale traxerit, & contra quemcumque laicū auxilium, conſilium, fauorem, in ea re dantem, conſt. 4. alias 5. Martin. V. incip. *Ad reprimendas, Nauar. cap. 27. num. 71. Memor. Cleric. cap. 5. excomm. 6.* vbi dicunt hanc excommunicationem eſſe in *Bulla Cœnæ,* ſi fiat auctoritate iudiciali laica.

25 Vigeſima, eſt contra Miniſtros Papæ, & omnes Officiales, etiam Epiſcopali dignitate præditos in terris Eccleſiæ Officium quodcumque exercentes, qui munera accipiunt, præter eſculenta, & poculenta, quæ biduo conſumi poſſunt, Paul. II.

26 Vigeſimaprima, eſt contra quoſcūque de Eccleſia, vel locis ſacris, lapides, & alia ornamēta auferentes; & contra eos, qui auferenti, ſeruanti, retinenti auxilium, vel fauorem dederint, Sixt. IV. conſt. 3. *Memor. Clericorum cap. 9. excomm. 14.*

27 Vigeſimaſecunda, eſt contra illos, qui ſe finxerunt nepotem, aut familiarem, ſeù commēſalem Cardinalis, vel aſsiſtentis, vt literas Apoſtolicas gratis expediant, Innoc. VIII. conſt. 7. alias 11. incip. *Cum ſicut,* die 18. menſis Auguſti ann. 1487. in *Bullar. tom. 1. fol. 382.* Leo X. conſt. 27. incip. *Inhærendo,* die 20. Februarij ann. 1517. in *Bullar. tom. 1. pag 520. Memor. Clericorum cap. 9. excomm. 13.*

28 Vigeſimatertia, fertur contra quoſcumque in ſermonibus, & prædicationibus miracula falſa, incertanè populo renunciātes, vel prophetias ex ſacra Scriptura non deſumptas prædicare audentes, Eccleſiæuè Prælatis ſcandaloſè detrahentes, *Leo X. in Conc. Lateranen. ſeſſ. 9. & 11. incip. Supernæ Maieſtatis, Mem. Clericorum cap. 5. excomm. 5.*

29 Vigeſimaquarta, contra quoſcumque in Officio Sanctæ Inquiſitionis impedientes, vel perturbantes Epiſcopos Inquiſitores hereticæ prauitatis. Iulius III. conſt. 16. & Pius V. conſt. 83. vbi eam profert contra illum, qui aliquem Inquiſitorem, aduocatum, promotorem, notarium, aliumuè Miniſtrum Officij Sanctæ Inquiſitionis, aut denunciatorem, accuſatorem, aut teſtem in cauſa fidei perterrere fecerit, occiderit, verberauerit, deiecerit, aut eiuſdem Sacræ Inquiſitionis, aut Miniſtrorum ædes, aliaſuè res expugnauerit, inuaſerit, incenderit, aut eiuſdem libros, exemplaria, literas, & alia quæcumque ſcripta combuſſerit, diripuerit, interuerterit, aut quocumque modo aſportauerit; & qui in his conſilium, auxilium, vel fauorem præſtiterit, aut qui contra Sacræ Inquiſitionis Officium delinquentibus veniam petere, aut pro illis intercedere tentauerit.

30 Vigeſimaquinta, contra quoſcūque Cameræ Apoſtolicæ libros, vel ſcripturas occultātes, aut retinentes, Iulius II. conſt. 14. incip. *Cum ſicut,* 15. Kal. Sept. ann. 1507. in *Bull. tom. 1. pag. 42.* & conſt. 36. Sixti V.

incip. *Non sine maxima*, die 17. Aprilis 1587. in *Bullario pag. 573. tom. 2. Memor. Clericorum cap. 9. excomm. 15.* & contra detinentes iocalia, & alia quæcumque bona ad Sedem Apostolicam spectantia, ac scientes, & non reuelantes in const. 4. Pij IV. incip. *Pastoralis officij*, 3. Aprilis 1563. in *Bullar. pag. 5. tom. 2.* & contra alios, qui cum Ministri Reu. Cam. Apost. sint, rationes integrè, & fidelitèr non reddunt in const. 40. Pauli III. incip. *Cum sicut accepimus*, die 21. Aprilis 1544. in *Bull. tom. 1. pag. 679.*

31 Vigesimasexta, contra illos, qui vi beneficium Ecclesiasticum impetrent, se pro alio in examine supposuerint, vel annuas pensiones offerunt, aut beneficia impetrant pro alijs, vt ab eis aliquid consequantur, vel pro se ipsis, vt alijs postea cum pensione resignent. Paul. IV. const. 12. incip. *Inter cæteras*, die 25. Nouembris 1577. in *Bullar. tom. 1. pag. 731.* & contra exigentes, vel petentes aliquid in collatione, aliauè prouisione beneficiorum Ecclesiasticorum, vel ad illorum possessionem admissione, exeat const. 104. Pij V. incip. *Durum nimis*, Kalend. Iunij 1570. in *Bullar. tom. 2. pag. 310.*

32 Vigesimaseptima, contra tractantes de nouo Papa eligendo, viuente alio, ac eorum complices, & fautores, Paul. IV. constit. 16. incip. *Cum secundum*, 17. Kalend. Ian. 1558. in *Bullario pag. 735.*

33 Vigesimaoctaua, contra omnes cuiuscumque gradus, etiamsi Imperatores, aut Cardinales sint, qui promissiones, stipulationes, conuentiones, aut pacta, aut contractum aliquem faciunt super vita, aut morte, aut super futura creatione Summi Pontificis, vel vacante Sede Apostolica, aut etiam super futura creatione Cardinalium, quam etiam sententiam incurrunt permittentes huiusmodi tacitè, vel expressè fieri in Terris, Ciuitatibus, locis, & dominijs suis, vel consilium, auxilium, aut fauorem in prædictis dantes. Greg. XIV. in *extrauag.* edita 21. Martij 1591.

34 Vigesimanona, contra Cardinales, qui Sede vacante contrauenerint ijs, quæ ordinata sunt à Iulio II. vt sine simonia eligatur Papa, in const. eiusdem Iulij incip. *Cum tàm diuino*, quæ est 2. *Nau. d. cap. 27. num. 111. vers. trigesima prima, Suar. tom. 5. disp. 22. sect. 6. num. 2. Sayr. lib. 3. cap. 31. num. 3. in fine.*

Item contrà Cardinales reuelātes aliquid de actis secretè in Consistorio, existente præcepto Papæ, vt non reueletur, habetur in *Conc. Lateran. sub Leone X. sess. 9. Nauar. d. cap. 29. num. 110. & seq.*

35 Trigesima, contra quoscumque literas, aut scripturas cuiusuis generis, aut nuntium, vel signum ad eos, qui sunt in Conclaui, mittentes, & contra eos, qui receperint, & quiè contra è Conclaui ad eos, qui foris sunt, scripserint, vel miserint, etiamsi Cardinalatus honore fulgeant, Pius IV. const. 81. alias 62. incip. *In eligendis*, id. Octobris 1562. in *Bullar. tom. 2. pag. 93. Memor. Clericorum cap. 9. excom. 19.*

36 Trigesimaprima, est contra omnes, qui in proprios vsus conuertunt per vim, vel suppositas personas bona Ecclesiæ *Concil. Tridentin. sess. 22. cap. 11. Memor. Clericorum cap. 9. excomm. 34.*

37 Trigesimasecunda, est contra omnes, qui per vim, metum, vel fraudem, bona, fructus, aut iura Ecclesiarum, locorumuè piorum occupant. Clericos item, qui nefandæ huius fraudis, & vsurpationis fabricatores eidemuè consentientes fuerint.

38 Trigesima tertia, est contra Commissarios, & Delegatos ad cognoscendum, an alienatio bonorum Ecclesiæ sit in euidentem eius vtilitatem, vel non; qui amore, vel timore alienationi consentiunt, aut auctoritatem præbent tali alienationi, habentur in *extrauag. cum omnibus, Pauli II. Nauar. cap. 27. num. 108. Memor. Clericorum excomm. 3.*

39 Trigesimaquarta, contra quoscumque Clericos inferiores Episcopis de Parochiali Ecclesia prouisos iuramentum de residendo intrà tempus præscriptum non seruantes. Et hæc excommunicatio est etiam contra illos, in quorum fauorem beneficia dicta resignantur, seù dimittuntur, & qui ad id præstant auxilium, &c. Pius IV. const. 92. alias 87. incip. *Inter multiplices curas, Sayr. lib. 3. cap. 31. num. 5. Memorial. Clericorum cap. 2. excomm. 3.*

40 Trigesimaquinta, est contra quemcumque ad interpretationem Concil. Tridentin. commentarios, glossas, annotationes, & scholia edentes Pius IV. constit. 97. vide *Franc. Leo in Thesauro fori Eccles. par. 3. cap. 9. num. 43. Henriq. in summ. lib. 7. de Indulgentijs, cap. 29. §. 4. Emman. quæst. Regular. tom. 1. q. 11. art. 4. Reginald. in praxi fori pœnitent. lib. 20. num. 53. in fine*, vbi etiam dicit, in hac Bulla non esse sermonem de interpretationibus, quæ in scholis fiunt docendo.

41 Trigesimasexta, est contra quemcumque Nuncium Apostolicum, qui à Principibus, ad quos mittitur, dignitatis, aut gradus obtinendi causa literas commendatitias, quouis modo ambierit, siuè eorum studio, & fauore pro se, aut consanguineis suis vti audet, Pius IV. constit. 133. alias 124. incip. * Els Romanum* quam tamen nemini reseruari asserit *Memorial. Clericorum cap. 1. excomm. 11.*

42 Trigesimaseptima, contra quamcumque mulierem, quæ Monasteria Regularium etiam Mendicantium ingredi ausa fuerit, Pius V. constit. 47.

43 Trigesimaoctaua, contra quamcumque Monialem à Clausura exeuntem, & contra exeundi licentiam dantes, comitantes, Pius V. constit. 20. incip. *Regularium*, die 24. Octobris ann. 1566. in *Bullar. pagina 198.*

44 Trigesimanona, contra quoscumque Officij Pœnitentiariæ Romanæ procuratores, scriptores, correctores, aliosuè officiales, aliquid etiam sponte oblatum, aut alias, siuè pro expeditionis celeritate, siuè pro alio extraordinario labore accipientes, Pius V. constit. 84. incip. *In earum*, 14. Kalend. Iunij 1569. in *Bullar. tom. 2. pag. 282.* de qua *Sayr. lib. 3. cap. 31. num. 8. Memor. Cleric. cap. 8. excommun. 1.*

45 Quadragesima, contrà qualcumque Ecclesias, & quæuis beneficia Ecclesiastica palàm, aut occultè retinentes, aut recipientes in confidentiam, ex const. 83. Pij IV. incip. *Rom. Pont.* die 26. Nouemb. 1564. in *Bullar. tom. 2. pag. 121.* & latius pœnis maioribus Pius V. const. 85. incip. *Intolerabilis*, Kalend. Iunij 1569. in *Bullar. tom. 2. pag. 283. Nauar. cap. 23. num. 110. Suar. tom. 5. disp. 22. sect. 6. num. 25. & lib. 4. de sim. cap. 43. Less. de iustit. lib. 2. cap. 35. dub. 26. Sayr. lib. 3. cap. 31. num. 6.* qui non rectè excipit Cardinales, nam etiam hi expressè comprehenduntur, vt notat *Flamin. de confident. q. 27. num. 27.*

46 Qua-

46 Quadragesimaprima, contra illum, qui vacantibus Ecclesiarum dignitatibus, Canonicatibus, & præbendis huiusmodi vult, disponit, aut statuta consuetudine seruat de fructibus, & distributionibus, etiam primo ab ipsa vacatione anno perueenturis, mensæ Episcopali, capitulariuè applicandis, aut in communem vsum cedendis, qui item de his iuramentum præstari ordinat, aut qui promissum de his seruandis induxerit, aut possessionem impedit ei, qui talia præstare noluerit, Pius V. constit. 104. alias 106. incip. *Durum nimis*, *Nauar. cap. 27. num. 150. §. 64. Sayr. lib. 3. cap. 31. num. 14. Philiarch. de offic. Sacerdot. lib. 3. cap. 30. casu 25.*

47 Quadragesimasecunda, contra Gubernatorem locorum Status Ecclesiæ, qui licentiam ferendi arma tribus palmis breuiora, etiam ad breuissimum tempus concesserit, Pius V. constit. 145. incip. *Cum vices*, die 13. mensis Februarij anno 1572. in *Bullar. tom. 2. pag. 358.*

48 Quadragesimatertia, contra quemcumque Christianum, qui alium Christianum in terris Turcarum habitantem tanquam mancipium ceperit, aut eius bona diripuerit, Pius V. constit. 148. incip. *Licet omnibus*, die 1. Maij anno 1572. in *Bullario tom. 2. pag. 361.* & contra omnes, qui ex partibus Infidelium ad partes Fidelium alumina deferunt. Pius V. in constitut. incip *Ex Apostol. seruitutis*; *Memor. Clericorum cap. 9. excomm. 18.* & contra omnes, qui non permittunt Christianos captiuos apud Turcas postquam illos ceperint, libere abire cum suis liberis, coniugibus, & bonis, refert *Memor. Clericorum cap. 9. excomm. 36.*

49 Quadragesimaquarta, contra publicanos, qui pedagium, gabellam, vectigal à Regularibus Ordinum Mendicantium exegerint, & qui ab eisdem pro reficiendis pontibus, vijs, aquæ ductibus, & fluminibus aliquid impensæ, aut contributionis exegerint, & qui eosdem Mendicantes, eorum bona, colonos exemptos, & immunes ab omnibus exactionibus non dimiserint, Pius V. constit. 16.

50 Quadragesimaquinta, contra Gubernatorem Ecclesiastici status, & officialem, qui aliquem homicidam, aut exulem ab exilio reuocauerit, vel saluum conductum ei fecerit etiam ad diem vnum, noctemuè vnam, & contrà subditos Ciues Romanos, huiusmodi exules subditos Sedis Apostolicæ receptauerit, idem, qui iniuriæ vlciscendæ causa domum communierit, armatos receptauerit, aut aluerit, aut turbam eo nomine excitauerit Pius V. constit. 19.

51 Quadragesimasexta, contra Confessarios, qui ex priuilegio Sixti IV. commutant aliquod istorum quinque Votorum, Peregrinationis ad Vrbem, vel Compostellam, vel Hierusalem, Religionis, & Castitatis; *Extrauagant. etsi Dominici 2. de pœnitent. Nauar. cap. 27. num. 105. Memor. Clericorum cap. 5. excomm. 2.*

52 Quadragesimaseptima, contra Baronem, vel Principem in Regno Neapolitano, qui homicidam, aut exulem Romanæ Ecclesiæ receptauerit, protexerit, atque auxilium, consilium, vel fauorem quouis quæsito colore dederit, Pius V. Item contrà omnes Ecclesiasticos, tàm seculares, quàm Regulares, qui in Regno Neapolitano bannitos viarum grassatores receperint, in const. Sixti V. de qua *Quaranta in summ. Bullarij verb. bannitorum fautores.*

53 Quadragesimaoctaua, contra quemcumque Baronem, & Dominum Sedi Apostolicæ subiectum, qui frumentum fruges vltra vsum sibi, familiæq; suæ necessarium, emerit, Pius V. constit. 26.

54 Quadragesimanona contrà quemcumque Episcopum, aut patronũ, tàm Ecclesiasticum, quàm laicum, qui à collatione, aut præsentatione suspensis beneficium contulerit, ad id præsentauerit, vel instituerit, Pius V. constit. 58. incip. *Quanta Ecclesia Dei*; *Suar. tom. 5. disput. 22. sect. 6. num. 21. Memor. Clericorum cap. 1. excomm. 5.*

55 Quinquagesima, contra quemcumque Fratrem S. Francisci de Obseruantia, qui in electione Ministri Generalis, Prouincialium, Custodum pro se, aut pro alio subornauerit, qui item subornatus est, qui subornantē non detulerit, qui pro hac re quemuis fauorem extra Religionem procurauerit, Pius V. const. 170.

56 Quinquagesimaprima, contra quemcumque, qui cum aliquod Oppidum, locumuè ad Romanam Ecclesiam pertinens vacauerit, de eo infeudando aliquo modo egerit, Pius V. const. 35. incip. *Admonet*, 4. Kal. Aprilis 1567. in *Bullar. tom. 2. pag. 221. Memor. Clericorum cap. 9. excomm. 24.* & Gregorius XIII. constit. 3. incip. *Inter cæteras*, 6. Kal. Iunij 1572. in *Bullar. tom. 2. pag. 236.*

57 Quinquagesimasecunda, contra eum, qui Agnos Dei à Summo Pont. consecratos, depinxerit, aliquo colore infecerit, minio notat, qui item venales proposuerit, Gregor. XIII. constit. 2. incip. *Omni certè studio*, 5. Kal. Iunij 1572. in *Bullar. tom. 2. pag. 363.* Nemini tamen reseruari asserunt *Sayr. lib. 3. cap. 35. num. 23. Memor. Clericorum par. 9. excomm. 62.*

58 Quinquagesimatertia, contra eum, qui prætextu facultatum Apost. quæ à Pio V. & Gregorio XIII. erogatæ sunt, Monialium, Monasteria ingreditur: necnon contra Regularium Superiorem, qui earumdem licentiarum prætextu eò aliquem ingredi permiserit, & qui prætextu licentiarum Episcopalium eò ingreditur, necessitatibus non vrgentibus. Gregor. XIII. constit. 28. incip. *Quæ sanctimonialium*, de anno 1584. Sixtus V. in alia, incip. *Sanctimonialium*, de anno 1589.

59 Quinquagesimaquarta, contra quemcumque, qui sal externum in Vrbes, & Oppida, atque loca Sedi Apostolicæ subiecta asportauerit, Gregor. XIII. 17. Decemb. 1577. in *Bullar. tom. 2. pag. 419.*

60 Quinquagesimaquinta, contra quemcumque, qui frumenta, fruges, legumina, & animalia cuiusuis generis extra Statum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ quouis modo asportauerit, Gregor. XIII. constit. 94. incip. *Non sine graui*, die 10. Decembris anni 1584. in *Bullar. pag. 485. Memorial. Clericorum cap 9. excomm. 32.* & nouissimè innouauit, & extendit cum reuocatione indultorum omnium, & licentiarum quomodolibet similia extrahendi concessarum Paulus V. constitut. 32. incip. *Inter grauissimas*, de anno 1606.

61 Quinquagesimasexta, contra quemcumque Religiosum S. Francisci de Obseruantia, qui contemptis Superioribus suis ad tribunalia appellauerit, & ad ea cõfugerit, Greg. XIII. const. 27. incip. *Quoniam nostro*,

die 8. Aprilis ann. 1579. in Bullar. tom. 2. pag. 393.

62 Quinquagesima septima, contra quemcumque Fratrum Eremitarum S. Augustini Congregationis Lombardiæ, qui obedire constitutioni neglexerit de exemptione Monialium eiusdem Ordinis Greg. XIII. constitutio 17. incip. Pro nostri, die 26. Maij, in Bullar. tom. 2. pag. 386.

63 Quinquagesima octaua, contra quemcumque Monachum Cisterciensem, qui aliquid commiserit contra constitutionem editam de exemptione Monialium ab eodem Ordine, Greg. XIII. constit. incip. *Vniuersi*.

64 Quinquagesima nona, contra quemcumque qui subiectus ditioni Ecclesiasticæ, homicidas, grassatores, & damnatos crimine capitali exules receperit, recipi permiserit, qui item impedierit nè capiantur, qui etiam fecerit, vt capti euadant, qui præterea impedierit iustitiæ ministros, aut eos aliquo modo perturbauerit, Greg. XIII. constit. 65. incip. *Tanta*, 5. Idus Iulij ann. 1580. in *Bullar. tom. 2. pag. 467*.

65 Sexagesima, contra quoscumque qui, sine concessione Summi Pontificis, ab Prouinciam Mediolanensem Reliquias asportauerit, qui item ab vna Ecclesia ad aliam transtulerit, qui aliquam earum particulam concesserit, donauerit, qui item acceperit, Gregor. XIII. in constit. incip. *Pontificia sollicitudinis*.

66 Sexagesima prima, contra facientes iura sollicita, vel de obseruandis ordinationibus, & statutis contrarijs decretis Concilij Tridenti. Greg. XIII. constit. 203. incip. *Inter Apostolicas*, de ann. 1584. nonis Septembris, *Memoriale Clericorum cap. 9. excomm. 26*.

67 Sexagesima secunda est contra omnes cuiuscumque status, & præeminentiæ existant, qui Societatis Iesu institutum, constitutiones, &c. quouis disputandi, vel etiam veritatis indagandæ quæsito colore, directè, vel indirectè impugnare, vel eis contradicere audent, Greg. XIII. in constit. 100. quæ incipit *Ascendente Domino*. Item contra Religiosos omnes, exceptis Carthusianis, qui recipiunt aliquem Religiosum Societatis Iesu, sine licentia sui Superioris, & hæc excommunicatio est etiam contra ipsos Iesuitas ingredientes Religionem aliam à Carthusiana, & contra dantes auxilium &c. ex constit. Pij V. incip. *Æquum reputamus*, quæ est in priuilegijs dictæ Societatis.

68 Sexagesima tertia, contra mouentes libros, & monumenta quæcumque ex Bibliothecis Ordinis Fratrum Carmelitarum, Clemens VIII. constit. 49. incip. *Quæ ad tuendum*, die 29. Maij 1593. in *Bullar. tom. 3. pagina 31*.

69 Sexagesima quarta, contra Fratres Prædicatores ad effectum consequendi officium Magistri Generalis pro se, vel alijs ad fauores extra Religionem recurrentes, vel alijs minus legitimis vijs, & modis illud obtinere quærunt. Paulus V. constit. 69. incip. *Admonemur*, die 7. Ianuarij 1608. in *Bullar. tom. 3. pag. 248*.

Sexagesima quinta, contra asserentes Confessionem, & absolutionem Sacramentalem inter absentes per literas posse fieri, ex constit. Clementis VIII. publicata Romæ anno 1602. relata per *prac. nouiter Episcopal par. 2. cap. 1. num. 6. in fine*.

70 Sexagesima sexta, contra eos, qui Religiosorum collectas extra causas facient ex constit. 11. Alex. VI. incip. *Cum multiplices*, Kal. Aprilis 1493. & ex constit. 79. Sixti V. incip. *Dum pro nostri*, iij. nonas

-Martij anni 1588. in *Bullar. tom. 2. pag. 617*.

71 Sexagesima septima, contra Regulares, qui ex Insulis Philippinis, & alijs Indiarum partibus, ad Iaponicas commeant, ex constit. 74. Clem. VIII. incip. *Onerosa*, die 12. Decembris ann. 1600. in *Bullar. pagina 106. tom. 3.* & in constit. 90. alias 2. append. Pauli V. incip. *Sedis Apost.* die 11. Iunij 1608. in *Bullar. tom. 3. pag. 48*.

72 Sexagesima octaua, contra Fratres Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo, qui ad tribunalia secularia quouis prætextu, aut quæsito colore appellare, vel ad illa confugere, aut ea propterea quoquo modo adire audent, & præsumunt in constit. 110. Clementis VIII. incip. *Quoniam*, die 20. Septembris 1604. in *Bullar. tom. 3. pag. 159*.

73 Sexagesima nona, contra omnes extrahentes, delinquentes à sacris locis, præterquam in casibus concessis per Greg. XIV. in sua constit. quæ incip. *Cum alias*, atque etiam in illis, absque licentia Episcopi, vel Ordinarij loci, habetur in d. *constitut. Cum alias* Gregorij XIV.

74 Septuagesima, contra Religiosorum Superiores, qui non paruerunt Bullæ Pauli V. editæ ann. 1606. quæ incip. *Romanus Pontifex*, & præcipit vt Religiosi de hæresi suspecti (cuiusmodi sunt sollicitantes mulieres in Confessione) ipsis Inquisitoribus denuncientur, vt ut pro ipsorum suspectorum Superioribus non sit amplius præuentionis locus, *Memoriale Clericorum cap. 3. excomm. 11*.

75 Septuagesima prima, contra Præsidentes, & Officiales omnes Montium Pietatis Status Ecclesiastici, qui pecunias ad dictos Montes quomodolibet spectantes in alios, quam pauperum vsus, deponere præsumunt, in constitut. Pauli V. quæ incip. *Onerosa Pastoralis*, edita ann. 1615. refert *Memoriale Clericorum cap. 8. excomm. 3*.

76 Septuagesima secunda, contra dicentes mortaliter peccare, vel esse hæreticos, eos, qui defendunt Beatissimam, & gloriosissimam Virginem Mariam esse conceptam cum peccato originali; vel è contra: & affirmantes peccare eos, qui colunt festum Conceptionis, & qui concionibus interfuot, *Sixtus IV. in extrauag. Graue nimis de Relig. & venerat. Sanctorum, Pius V. constit. 144. Nauar. cap. 27. num. 107. Suar. tom. 5. disputat. 2. sectio 5. num. 30. Sayr. lib. 3. cap. 30. num. 10. Memor. Clericor. cap. 5. excomm. 4. & cap. 9. excomm. 11.* innouatur per *Concil. Trident. sess. 5. de peccato originali in fine*, & à sacra Congregatione Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & vniuersalis Inquisitionis coram Sanctissimo Domino Paulo V. fel. recordat. 31. Augusti 1617. relata per *Campan. in diuers. Iuris canonici rub. 12. cap. 13. num. 140.* vbi de nouo habetur, quod in posterum, donec articulus huiusmodi à Sancta Sede Apostolica fuerit definitus, vel per Sanctitatem suam, & Sedem Apostolicam fuerit aliter ordinatum, nulli audeant in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus, & alijs quibuscumque actibus publicis asserere, quod eadem Beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato originali, & quod etiam negatiuam opinionem, videlicet, quod non fuerit concepta cum peccato originali, in publicis actibus asserentes aliam opinionem non impugnent, nec de ea aliquo modo tractent, sub censuris, & pœnis

pœnis prædictarum Const. tribuens insuper tàm Episcopis, & Prælatis Superioribus, alijq; Ordinarijs locorum, quàm hæreticæ prauitatis vbique locorum deputatis Inquisitoribus potestatem seuerè animaduertendi contra transgressores etiam Regulares cuiusuis Ordinis, & Instituti, et quomodolibet exemptos, & alias quascunque Ecclesiasticas, & seculares personas cuiuscunque status, conditionis, gradus, aut dignitatis tàm Ecclesiasticæ, quàm secularis.

Huiusmodi excommunicationes pluribus in locis dispersæ earum maior pars in vnum collecta reperitur apud *Summistas in verb. excommunicatio*, & distinct. apud *Nauarrum in man. cap. 27. Toletum in Instruct. Sacerdot. lib. 1. cap. 19. Suar. tom. 5. disput. 21.* postremò verò ab eruditissimo *D. August. Barbosa 3. par. de officio, & potest. Episcopi allig. 50. à nu. 83.* A prædictis omnibus, licet Sedi Apostolicæ reseruentur Religiosi virtute prædictorum priuilegiorum absolutionem præstare possunt, neque per relatas Sacræ Congregationis declarationes, & Summorum Pontificum decreta id eis prohibetur, cùm non contineantur in Bulla Cœnæ Domini, nec in alijs quinque casibus, à quibus absoluendi facultas eisdem Religiosis per dictas declarationes aufertur. Circa quod est etiam notandum primò quod Abbates, & Prælati, ac Confessarij Regulares possunt virtute

77 prædictorum priuilegiorum absoluere ab excommunicatione incursa ob prouocationem ad duellum, si effectus inde secutus non fuerit. Vt si Titius postquam secum ad duellum prouocauit, tempore statuto ad locum designatum se contulit, ibiq; secum expectauit, quo intra constitutum tempus non comparente, discessit, ad incurrendam excommunicationem ob duellum, ex Bulla Gregorij XIII. requiritur effectus pugnæ, vt declarat *Sanch. in Decalog. lib. 2. cap. 39. num. 28* at excommunicatio lata ob aliquem effectum, non incurritur, nisi secuto effectu. Et Clemens VIII. circa hoc nihil noui decreuit, sed tantum extendit excommunicationem ad plures casus, ad quos non extenditur decretum Concilij Tridentini, & Gregorij XIII. vt aiunt *Sanch. loco cit. Fillius. moral. quæst. tract. 15. cap. 5. q. 5. num. 106.* Et idem Clemens VIII. in Bulla, quæ incip. *Sacra Congregatio*, solum ademit potestatem Regularibus absoluendi prouocantes, & pugnantes in duello, iuxta decretum Concilij Tridentini, & constitutionem Gregorij XIII. Atque Regulares in hoc casu habere absoluendi potestatem, docent *Graff. lib. 1. de casib. reseruat. cap. 7. num. 10. Nald. in summa, verb. Duellum, num. 6. in fine, Martin. Bonacin. de censur. disp. 2. q. 6. punct. 2. num. 15. in fine, Laurent. de Peirin. de subd. quæst. 4. cap. vlt. §. vnic. circa finem.*

78 Notandum secundò, quod iidem Prælati, ac Confessarij Regulares possunt absoluere mulieres introeuntes Monasteria, & Claustra Monachorum sub prætextu cuiuscumque priuilegij, contra Bullam Pij V. incip. *Regularium personarum*, quæ est 20. *in ordine in Bullar. nouo tomo 2.* Necnon etiam mulieres ingredientes Monasteria Monialium, contra constitutionem Gregorij XIII. incip. *Vbi gratia*, quæ est 28. *in ordine inter Bullas d. Pontificis d. tom. 2. Bullar.* quia Regulares poterant virtute suorum priuilegiorum à quibuscumque casibus, criminibus, & excessibus quantumcumque grauibus, & enormibus, etiam Sedi Apostolicæ reseruatis absoluere, exceptis tantum contentis in Bulla Cœnæ Domini; nec in declaratione Sacræ Congregationis iussu Clementis VIII. edita id ei prohibitum fuit, quia (vt dictum est) licet prius omnia prædicta Regularium indulta reuocauerit, tamen deinde ad septem casus eorum potestatem limitauit, in quibus prædicti non continentur, sed solum violatio clausuræ Monialium ad malum finem. Ita *Laurent. de Peirin. loc. cit.*

79 Tertiò notandum, quod iidem Regulares Prælati, ac Cõfessarij possunt circa Religionem ingredi volentes à casibus Episcopis reseruatis, si quibus fortè innodati essent, absoluere; non obstantibus dd. Sacræ Congregationis decretis, ac declarationibus; ea enim prohibent, ne Regulares Confessarij à casibus prædictis seculares absoluant; & ideo sub illis secularibus non comprehenduntur, qui sunt statim claustrum ingressuri, quod latè probant *Crou. eri lect. 26. §. dubitari tamen, in cap. 7. fol. 749. Bartholom. de Vecch. praxi pro Nouit. recip. disput. 9. dub. 7. in fine.*

DISPVTATIO XIV.

De potestate Abbatum, & Prælatorum inferiorum ad ferendum excommunicationes, necnon ab eis absoluendum.

Quæst. 1. Vtrùm Abbas possit suos subditos excommunicare.

Quæst. 2. Vtrùm Abbates, & alij Prælati possint extra sua Monasteria, & Territoria sibi subditos excommunicare.

Quæst. 3. Vtrùm Abbates, & Prælati Episcopo inferiores pro se, suisq; & Ecclesiarum suarum iuribus, & bonis tuendis extraiudicialiter censuris aduersus molestiam inferentes vti possint.

Quæst. 4. A quibus Abbas excommunicari possit.

Quæst. 5. Vtrùm cum Abbate, vel Prælato excommunicato subditi participare possint, & è conuerso.

Quæst. 6. Vtrùm Abbates, & Prælati Regulares possint à censuris à se latis absoluere, & quam formam in absolutione ab huiusmodi, & alijs censuris præstare debeant.

Quæst. 7. Vtrùm Prelatus Superior Religionis absoluere possit ab excommunicatione, & censura lata ab inferiori.

Quæst. 8.

QVAESITVM I.

Vtrùm Abbas possit suos Monachos excommunicare.

SVMMARIVM.

1 *Excommunicare suos subditos possunt Abbates, & Prælati Regulares etiam per electionem non assumpti, modo confirmati sint, aut prouisi.*

2 *Excommunicationis sententiam in scriptis an Abbates ferre debeant.*

1 Certum est Abbates, & Prælatos Regulares exemptos habere in suos Monachos subditos ordinariam iurisdictionem spiritualem etiam in foro externo, vt pluries probauimus, quapropter dicendum est Abbates, & Prælatos Regulares, etiam quòd per electionem assumpti ad Prelaturas non fuerint, modò confirmati sint, aut prouisi, quoties opus fuerit, ac expedierit suos Monachos excommunicare posse, vt probatur communiter in iure, & præcipuè in *cap. cum in Ecclesijs §. cum omnes, de maiorit. & obedient. & in cap. sicut tuis, de simon.* notant *gloss. in can. de persona verb. aut Monachum in fine 11. q. 1. & in cap. quanto verbo si Prælati, de offic. Ordinarij, Panor. in cap. nobis, de surepatr. Nauar. in suo man. cap. 27. num. 5. Lal, Zecch. de Republica Eccles. cap. 15. num. 4. Azor. par. 1. instit. moral. lib. 12 cap. 20. Suar. de censur. disput. 2. sect. 2. num. 9 & disput. 18. sect. 1. num. 3. Bonac. de censuris disput. 1. q. 1. punct. 2. num. 5.* vbi alios citat confirmantes posse Abbates, aliosq; Prelatos contra suos subditos excommunicationis sententiam ferre, & contra eos, in quos Abbates, & Prælati iurisdictionem ordinariam in foro exteriori habent ad differentiam Abbatum tàm titularium, quàm Abbatum quarumdam Ecclesiarum, atque aliorum secularium commendatariorum, qui sanè cum nullam fori exterioris iurisdictionem in spiritualibus administrent, non possunt suos subditos excommunicare. Itaque Abbates iurisdictionem huiusmodi exercentes excommunicare possunt, nè dum Monachos suos conuersos donatos, seù oblatos, (dummodò hi professionem emiserint) sed etiam omnes illos in quos iurisdictionem Episcopalem exercēt, de hac re fusius præallegati Doctores. Hic autem

2 notandum, quod licet de iure communi ferens censuram solo verbo sine scriptura mortaliter peccet, & incurrat suspensionem, etiam incurrit ferens censuram absque expressione causæ, per *tex. in c. cum medicinalis, de sentent. excommunicationis in 6.* notant *Nauar d. cap. 27. nu. 8. Vgolin. de censur. Eccles. tab. 1. cap. 14. § 6. Sayr. de censur. lib. 5. cap. 13. nu. 17. Henriq. lib. 13. cap. 34. num. 4. Suar. de censur. disput. 3. sect. 14.* & alij communiter; tamen Prælati Ordinis Minorum, ac cæterorum Religionem illorum priuilegia communicantium non afficiuntur prinilegijs Leonis X. d. Ordini concesso; *per quod indulsit, vt q. Ordinis Prælati cum aliquem Fratrem propter Apostasiam, vel aliam causam excommunicant in Capitulo Fratrum, vel in communitate, non teneantur proferre sententiam excommunicationis in scriptis, prout sub pœna suspensionis præcipitur proferentibus in iure.* Ita refertur in *Compendio priuileg. Mendicant. verbo absolutio ordinaria quo ad Fratres § 26.*

QVAESITVM II.

Vtrùm Abbates, & alij Prælati possint extra sua Monasteria, & territoria sibi subditos excommunicare.

SVMMARIVM.

1 *Censura in ferenda circumstantia loci obseruãda est.*

2 *Excommunicare nequeunt Abbates, & Prælati proprium territorium habentes extra illud subditos, seruata forma iudicij, & cum causa cognitione, sicùs verò extraiudicialiter.*

3 *Res omnis per quascumque causas nascitur per easdem dissoluitur.*

4 *Excõmunicare subditos in alio territorio possunt Abbates, Præpositi, Priores, & alij Regulares Prælati iurisdictionem absque territorio habentes.*

1 Videtur

1 Videtur, quod non, quia in ferenda censura locus obseruandus est, siquidem vt feratur in territorio illam ferentis, eo quod iurisdictio, quæ requiritur ad censuram ferendam, exerceri non potest extra proprium locum, & territorium, absque licentia Ordinarij, neque in loco exempto, ex *cap. fin. de constitutionibus lib. 6. & cap. lumnoso 18. q. 2.* In ijs enim quæ iurisdictionis sunt, extra territorium quisque priuata persona censetur, vt colligitur ex *cap. nouit de offic. legat. vbi gloss. in verb. terminos*, quamplures textus tum ex Canonico, tum etiam ex Ciuili iure congessit.

Quod videtur habere locum non solum in Abbatibus, & Prælatis Episcopis inferioribus, qui nullius sunt Diœcesis, & proprium territorium habent; sed etiam in Abbatibus, & Prælatis Religiosorum eum etiam ipsi propria territoria habere videantur.

2 In hac re distinguendum est. Nam vel est sermo de Abbatibus, & Prælatis, qui proprium territorium habent, vel de Prælatis illud non habentibus. Si loquamur de primis, tunc dicendum est, eos non posse extra proprium territorium suos subditos excommunicare, sedendo scilicet pro tribunali, & cum causæ cognitione, & hoc probant rationes, & iura allegata. Secus autem quando non sedentes pro tribunali, & sine causæ cognitione, ac vt priuatæ personæ id facerent; quia nihil obstat, quominus extraiudicialiter possit excommunicatio, siuè alia censura ferri in alieno territorio, ex *Nauar. cap. 27. num. 6. Sayr. de cens. lib. 1. cap. 14. num. 6. Vgolin. eodem tract. tab. 1. cap. 27. § 1. num. 4. Palud. dist. 18. q. 2. à num. 4. Reginald. in praxi lib. 9. num. 155.*

Huius rei rationem potissimam assignat *Suar. de censur. disp. 5. sect. 5. num. 18.* quia obligatur subditus ad obseruandam legem extra municipium, & Prouinciam, & per talem legem potest, si ibi delinquat, puniri, non solum propter bonum illius territorij, sed etiam propter alias causas pertinentes ad bonum ipsius subditi, vel aliorum; tenetur ergo subditus seruare præceptum sui Superioris vbicumque sit, etiamsi præcepto annexa sit censura.

Dices potest Prælatus suum subditum extra proprium territorium absoluere ex communi omnium sententia; ergo etiam poterit extra territorium, & Monasterium illum ligare censuris. Consequentia patet *arg. cap. verbum, de pœnit. dist. 1.* vbi habetur, quod par est potestas ligandi, ac soluendi, & hoc suadet ratio desumpta, ex *cap. 1. de reg. iur. arg. l. nihil*
3 *tam naturale, ff. de reg. iur.* scilicet omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissoluitur; quæ ratio in proposita materia dicitur ad conuertentiam, vt videri potest apud *S. Thom. in addit. 3. par. q. 24. art. 1. & Richard. in 4. dist. 18. art. 9. q. 5.*

Ergo si Abbas potest extra territorium, & Monasterium absoluere; poterit etiam ligare censuris. Respondeo, non posse Abbatem absoluere extra suum territorium iudicialiter, sed tantum extraiudicialiter; quo modo potest etiam ligare; quia sic exerceret iurisdictionem contentiosam, quod ei prohibitum est, vt diximus. Extraiudicialiter verò excommunicans, vel absoluens exerceret iurisdictionem voluntariam, & gratiosam, quæ in alieno territorio potest exerceri de communi Doctorum sententia, reste *Bonac. de cens. disp. 1. q. 1. punct. 11. nu. 4.*

4 Abbates demum, Præpositi, Priores, & alij Regulares Prælati, sicut & cæteri omnes, iurisdictionem absque Territorio habentes, possunt in alieno territorio iurisdictionem exercere, ac suos subditos excommunicare. Ita *Panormit. in cap. cum contingat, sub num. 33. de foro compet. Sayr. d. cap. 14. sub nu. 6. cas. 11. Conninch. tom. 2. disp. 13. dub. 5. num. 64.*

Aduertendum tamen censuram dupliciter ferri posse, primò per modum statuti, secundò per modum sententiæ, prima obligat tantùm existentes, & delinquentes in territorio ferentis censuram, quia statutum directè respicit territorium, secunda verò obligat, & ligat subditum vbicumque existentem, si sit lata prædicta censura per sententiam generalem, siuè particularem, quia respicit personam secundum se vbicumque existentem, siuè in proprio, siuè in alio territorio; Ita *Suar. loco cit. num. 17. Vgolin. tab. 1. cap. 9. § 3. num. 4.* quicquid dicat *Couar. in cap. Alma mater 1. par. § 10. num. 3.*

QVAESITVM III.

Vtrùm Abbates, & Prælati Episcopo inferiores pro se, suisq; & Ecclesiarum suarum iuribus, & bonis tuendis extraiudicialiter censuris aduersus molestiam inferentes vti possint.

SVMMARIVM.

1 *Prælati Ecclesiastici possunt proprias personas, ac bona mobilia, siue stabilia suarum Ecclesiarum defendere, per censuras extraiudicialiter procedendo.*
2 *Iudex nemo esse potest in causa propria.*
3 *Prælatus ita extraiudicialiter procedens nequit vti suspectus recusari.*
4 *Monitionem præmittere tenetur Prælatus in ferenda excommunicatione.*
5 *Potestas hæc an reperiatur in Prælatis Episcopo inferioribus.*
6 *Prælati contra non subditos, an possint per huiusmodi censuras procedere.*

1 Episcopi, & reliqui Ecclesiastici Prælati possunt proprias personas, ac bona, & iura suarum Ecclesiarum per censuras, extraiudicialiter, & nullo iuris ordine seruato, defendere, oppugnantes, & vim, ac molestiam inferentes, excommunicando, per *tex. in cap. dilecto, & cap. venerabilibus, §. attamen*, & ibi communiter Doctores, *de sent. excom. lib. 6.* notant *Innoc. in cap. venerabili, sub num. 4. vers. item dicunt*, vbi etiam *Panormit. sub num. 3. vers. & per prædicta, de censibus*, idem *Panormit. in cap. cum sit generale, sub num. 9. vers. sed contra hoc, de foro compet.* & alij plures apud *D. Anton. Ricciull. de iure person. extra grem. Eccles. exist. lib. 4. cap. 61. per tot.* & hoc siuè agant pro tuendis rebus mobilibus, siuè stabilibus, *gloss. in d. cap. dilecto, verb. occupare*.

2 Cum enim quis in causa propria iudex esse nequeat, quia est suspectus, vt *can. 1. 4. q. 4. l. penult. ff. de arbitr. & toto tit. ne quis in caus. propria, Anton. de Butr. in cap. cum venissent, de iudic*, non potest Prælatus

Google

latus iudicialiter, & cognitionaliter suam iurisdictionem contra tales exercere, & vti Iudex procedere, & ideo ne dum probatio fieret, Ecclesia iure suo spoliata, & eius bona ab alijs occupata remaneant; Licitum ei est, eadem bona, & ita spiritualiter gladio videlicet vtendo Ecclesiastico, extraiudicialiter tueri, ac recurrere ad arma spiritualia, quæ sunt Ecclesiæ propria, vt loquitur *text. in d. cap. dilecto*. Vnde

3 Prælatus ita extraiudicialiter procedens, nequit vti suspectus recusari; tum quia non tamquam Iudex, sed tamquam pars procedit, & suspicio in Iudicem, non in partem cadat *Antonin. de Butr. d. cap. cum venissent num.* 10. tùm etiam, quia in hoc casu non admittitur pars ad appellandum *Panormit. in d. cap. venerab. d. num. 3. vers. primo casu tenet excommunicatio*; ideo nec multò minus ad recusandum, *cap. super eo, il 2. §. in causis de appellat. D. Anton. Ricciul. d. cap. 61. num. 8. & 9.*

4 Nec Prælatus in ferenda huiusmodi excommunicatione tenetur monitionem præmittere, licet regulariter non teneat excommunicatio sine monitione, *Innocent. d. cap. venerab. col. penult.* & ibi etiam *Anton. de Butr. in 6. col. Felin. in cap. sacro colum. 2. num. 6. vers. quarto limita, de sentent. excommunic.* & communem dicunt *Marc. Anton. Genuen. in praxi Archiep. Neapol. cap. 18.* Contra *Couar. in cap. Alma mater. par. 1. §. 9. num. 6. de sent. excom in 6.*

5 Et hæc potestas non solum reperitur in Episcopis habentibus intentionem fundatam in Iure communi; verum etiam in reliquis inferioribus Prælatis habentibus notoriè iurisdictionem fundatam in priuilegio, siue consuetudine, vt sunt nonnulli Abbates, Priores, Præpositi, Archipresbyteri, vel Decani, & alij Prælati Episcopis inferiores habentes territorium cum iurisdictione Episcopali, seu quasi, de quibus in præsenti noster sermo est; quod probatur in *dicto cap. dilecto*, vbi excommunicationis sententia contra Baliuum ab Aurelianensi Decano, & sic à Prælato Episcopo inferiori lata fuerat. Atque ita firmant *Ioan. Andr. in cap. cum personæ in princip. de priuileg. in 6. Anton. Ricciull. d. cap. 61. num. 23.*

6 An autem prædicti Prælati per huiusmodi censuras contra non subditos procedere possint, aliqui tenent, quod non. *Ioan. Andr. in d. cap. dilecto*, & *ibi Dominic. num. 11. & Philipp. Franch. num. 9. in princip. Panormit. in d. cap. cum sit generale num. 9.* Contrarium tamen dicendum est cum *Anton. Ricciull. d. cap. 61. à num. 36.* quia Prælatis ideo à iure concessum est, vt aduersus occupantes bona, vel iura Ecclesiæ extraiudicialiter procedere possint, quia vim vi repellere licet, & quia sæpè contra temporalem potentiam sufficiens defensio non adest, vt formaliter loquitur *tex. d. cap. dilecto*, hæc autem ratio magis habet locum in forensi, quàm in subdito; quia forensi facilius potest vim inferre, quàm subditis, ex qua ratione, & alijs per eum ibi adductis *dictus Anton. Ricciull.* refert Sacram Congregationem Episcoporum anno 1619. censuisse censuras per Prælatum extraiudicialiter procedentem latas etiam contra forensem validas fuisse.

QVAESITVM IV.

A quibus Abbas excommunicari possit.

SVMMARIVM.

1 *Regulares non ligantur excommunicatione Ordinariorum in suos subditos lata.*

2. *Excommunicari non possunt Abbates exempti ab Episcopis, alijsq; Ordinarijs.*

3. *Excommunicari tantum possunt Abbates exempti à Summo Pontifice, siue eius Legato de Latere, vel vel ab ipsis delegatis.*

4 *Excommunicari possunt Abbates inferiores à suis Generalibus.*

1 Certa hæc Regula est, excommunicatione ab Ordinarijs in suos subditos lata nequaquam Regulares ligari, quia sub iurisdictione illorum hi non comprehenduntur *cap. à nobis, il 1. de sent. excomm. cap. Romana, de sent. excommun. lib. 6. cap. 1. §. in eos, de priuileg. eod. lib. 6.* ex qua Regula sequitur à

2 fortiori, Abbates, & Prælatos Religionum, & Monasteriorum exemptorum nullatenus ab Ordinarijs excommunicari posse, quod multis summorum Pontificum priuilegijs, directè per communicationem concessis Abbatibus, & Prælatis Regularibus confirmari potest. Nam Eugenius IV. per Bullam, quæ incipit. *Et si ex debito*, editam 7. Kalend. Martij anno 1434. Pontificatus sui 4. concessit Congregationis S. Iustinæ de Padua, quod eius Prælati, vel Monachi interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi ex certa scientia, ac ipsa Congregatione specialem mentionem; quod priuilegium verbatim ad nostram Congregationem Vallumbrosanam à Iulio II. extensum fuit. Item Innocentius IV. sub datum Assisij anno 1253. 12. Kalendas Iulij, Pontificatus sui anno 8. concessit directè eidem nostræ Congregationi, *vt nulli Episcoporum fas sit, in eius Abbates, & Monachos excommunicationis, suspensionis, vel interdicti sententiam promulgare*, quod priuilegium integrum relatum est à nobis *1. tom. ad finem*. Item Martinus V. Eugenius IV. & Sixtus IV. concesserunt Fratribus Minoribus, nè excommunicari, aut suspendi, aut interdici possint ab Episcopis, & locorum Ordinarijs; Ita habetur in *Monument. Ordin. 2. impression. fol. 262. concess. 631.* & in *supplemento fol. 80. concess. 140.* Si autem Episcopus hæc priuilegia ignorans contra Abbates, vel eorum Monachos, & Monasteria excommunicationis, suspensionis, & interdicti censuris procedat, eius censuræ ipso Iure irritæ, & nullius momenti censentur, nec in aliquo foro seruandæ sunt, vt docent *Couar. in cap. Alma mater 2. par. §. 9. num. 5. & Cordub. lib. 3. quæst. 43. Roderic. 2. tom. quæst. Regul. q. 59. art. 5.* Aduertendum tamen, hæc omnia iura, & priuilegia intelligi de Abbatibus, & Prælatis aliquo modo exemptis, nam Abbates Episcopis & locorum Ordinarijs subiectos, certum est posse ab eisdem excommunicari, & suspendi. Abbates

3 igitur exempti, & immediatè Sedi Apostolicæ subiecti

subiecti non à locorum Ordinarij, neq; ab alijs Præsulibus, sed tantùm à Summo Pontifice, vel per specialem eiusdem commissionem, & auctoritatem excommunicationis censura ligari possunt; imò nisi specialiter nominentur Abbates, & Regulares omnes excommunicati nõ sunt virtute priuilegij Nicolai V. relati in *Compendio priuilegiorum Societ. Iesu tit. excommunicatio §. 3.* vbi sic dicitur. *Nicolaus IV. noluit fratres ligari aliqua sententia excommunicationis, suspensionis, & interdicti hominis, nisi nominatim fieret mentio, nec sufficeret si diceretur in sententia generali, vt perinde valeat, acsi essent nominatim expressi.* Circa quod notandum cum *Suar. tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 20. num. 5.* illud esse intelligendum de expressa mentione singularum personarum Regularium, non autem de expressa nominatione talis, vel talis Religionis, vel Monasterij, & omnium eius Religiosorum, quia propriè non dicitur fieri mentio nominatim aliquorum, quando sub appellatione generali talium Religiosorum comprehenduntur, præsertim quia illa verba, *nec sufficeret si diceretur in sententia generali, vt perinde valeat, acsi essent nominatim expressi*; indicant posita esse, non propter nominationem Religionis, aut Monasterij, quæ facillimè fieri potest expressè, sed propter expressam nominationem personalem. Et sic videtur prædictus fauor extendendus, ac valdè notandus; quia licet virtute exemptionum, & narratorum priuilegiorum nequeant Prælati Regulares, ac Monachi, & Religiosi à locorum Ordinarijs excommunicari, suspendi, vel interdici, tamen iuxta *Concilium Tridentinum sess. 25. de Regularibus in varijs decretis, & ead. sess. de reform. cap. 1.* possunt Episcopi aliqua Religiosis sub pœna excommunicationis præcipere, atq; nisi obtemperent, vt Apostolicæ Sedis delegati ad censuræ sententiam procedere. Prædicta
4 omnia ita se habent quoad Prælatos extra Religionem; si autem loquamur intra Religionem, de iure communi quodlibet Monasterium habet regimen de per se, nec Abbas vnius Monasterij subijcitur alteri *can. Abbates 19. q. 2.* tamen singulæ Religiones sub vna, & eadem Regula militantes iuxta earum constitutiones à Papa approbatas olim se vnierunt, ac constituerunt sibi vnum caput, & vnum Superiorem generalem, qui præsit toti Religioni, & hic hodie habet omnimodam potestatem, & iurisdictionem super omnes eius Religiosos, ac inferiores Prælatos, *Abb. in cap. fin. num. 1. de Regular.* ex quo patet, quod eos excommunicandi etiam auctoritatem habet.

QVAESITVM V.

Vtrùm cum Abbate, vel Prælato excommunicato subditi participare possint, & è conuerso.

SVMMARIVM.

1 *Regulares in quibus cum Abbate, & Prælato suo excommunicato participare possint.*

2 *Subditi an possint cum suis Prælatis, & dominis in Diuinis communicare.*

3 *Abbates, & Prælati Regulares possunt, cum suis Religiosis excõmunicatis participare, & in quibus.*

4 *Prælati sæculares non possunt cum suis subditis excommunicatis communicare.*

PRo prima parte huius quæsiti supponendum est, duplicem esse potestatem Abbatis respectu suorum Monachorum (prout ad rem præsentem facit) iurisdictionis scilicet, & dominatiuam; in ijs, quæ
3 spectant ad potestatem iurisdictionis, ac Superioritatem dignitatis respiciunt, dico Monachos non posse cum Abbate excommunicato communicare, quia Abbas per excommunicationem priuatur omni iurisdictione spirituali, vt benè ostendit *Suar. de censuris disp. 15. sect. 7. num. 1. & 2.* vbi dicit hanc esse sententiam omnium Doctorum; quod etiam probari potest ex *cap. miratus 93. distinct. & cap. Sacerdos 2. quæst. 7.*

Quo vero ad potestatem dominatiuam, quam habet in Monachos ratione traditionis sui ipsorum ab eis factæ Religioni, ac eius Prælatis, vnde sub eorum potestate constituti sunt, dicendum est Religiosos subditos, aut etiam Nouitios posse licitè cum suis Prælatis, & Superioribus excommunicatis vitandis communicare, ac eis obedire, quia licitum est subditis obedire suis Superioribus excommunicatis vitandis, & cum eis participare visuali, & Ordinaria communicatione, *cap. quoniam multos 11. quæst. 3.* tùm etiam, quia Clerici possunt cum proprio Episcopo excommunicato participare, si ad eius obsequium ante excommunicationem destinati erant, siuè gratis, siuè pretio inseruiant, vt patet ex *dicto cap. quoniam multos*, & docent Doctores inferius citandi communiter; sed Religiosi multò fortiùs, & magis indissolubiliter familiæ Abbatis incorporati sunt, quã Clerici illi suis Episcopis; & sicut ad familiare obsequium tenentur, sic & ad communicationem sine qua illud nequeunt exhibere *cap. inter alia §. vt igitur, de sentent. excommunication.* tùm etiam, quia Superior per excommunicationem non amittit potestatem ad regendam Religionem, vel Monasterium, nec inferior eximitur à subiectione per excommunicationem sui Superioris. Atq; ita docent *Syluest. verb. excommunicatio 5. num. 4. vers. tertio in princ. Tabien. verb. excommunicatio 8. vers. octauo, Soto in 4. dist. 22. q. 1. art. 4. conclus. 5. casu 3. in fin. Henriq. in sum. lib. 13. de excommunicat. cap. 22. §. 3. Vgolin. de censur. Eccles. tab. 1. cap. 23. §. 9. nu. 8. Sayr. lib. 2. cap. 14. num. 18. Vasq. tract. de excommunication. dub. 0. num. 4. Auila de censur. par. 2. cap. 6. dub. 5. Suar. d. sect. 7. num. 12. Reginald. in praxi lib. 32. tract. 1. num. 153 circa med. Bonac. de cens. disp. 2. q. 4. punct. 6. §. 2. num. 26. D. Anton. Ricciull. de iure personar. extra Eccles. grem. existent. lib. 4. cap. 52. num. 9.* licet contrarium asseruerint *Richard. in 4. dist. 18. art. 11. q. 3 Palud. in 4 dist. 18. q. 6. art. 2.* & alij apud *Sayr. & Suar locis cit.* quorum sententia solum vera est, vt Religiosi non teneantur suis Prælatis obtemperare in ijs, quæ Superioritatem dignitatis, seù iurisdictionis respiciunt, vt di-
2 ctum est supra; In Diuinis autem possunt cũ eis communicare, præstando ea, quæ concernunt subiectionem, & ministerium, seù famulatum, *cap. solita, de maiorit. & obed.* Vndè Religiosus posset cum suo Abbate excommunicato Horas Canonicas recitare, si

ab eo

ab eo ad id faciendum vocetur, non tamen liceret, el Sacramenta ministrari, nec coram illo Missam, aut alia Diuina celebrare. Ita *Henriq. loc. cit. cap. 22. Fillluc. moral. quaest. tract. 13. cap. 95. num. 120. Aegid. de Connich. tom. 2. disp. 14. dub. 12. num. 132. & seq. Vgolin. loc. cit. Bonac. d. §. 2. num. 37.*

3 Quoad secundam partem, an scilicet Abbas possit cum suis subditis excommunicatis communicare? dicendum est Praelatos Regulares, & dominos posse cum suis Religiosis & subditis excommunicatis participare: non tamen simpliciter in omnibus, sed in ijs tantùm, in quibus Superior tenetur inferiori prouidere; quia sicut à iure concessum est huiusmodi priuilegium inferioribus respectu Superiorum excommunicatorum; sic etiam videtur concessum Superioribus respectu inferiorum excommunicatorum; nam in correlatiuis dispositum in vno locum etiam habet in altero. Tùm etiam, quia Superiores propter subditorum excommunicationem iure suo priuari non debent. Ita *Sayr. d. cap. 14. num. 21. Henriq. d. cap. 22. §. 3. Vasq. d. dub. 9. num. 3. Bonac. d. §. 2. num. 38.* & alij locis citatis.

4 Quo verò ad Praelatos seculares dicendum est eos non posse cum subditis vniuersaliter communicare, quia nemo quantaecumque dignitatis existat, etiam Episcopus, participare debet cum excommunicato vitando ante absolutionem, nam ius indifferenter excommunicat participantes cum excommunicato; Ita habetur in *cap. cum desideres, de sent. excom.* & ibi hoc notant Doctores communiter, & praecipuè *Panormit. num. 2. Ancbar. num. 6.*

QVAESITVM VI.

Vtrùm Abbates, & Praelati Regulares possint à censuris à se latis absoluere, & quam formam in absolutione ab huiusmodi, & alijs censuris praestare debeant.

SVMMARIVM.

1 *Ligare cui competit, eidem competit, & soluere.*
2 *Abbas solus, vel eius successor, aut alius ab ipso delegatus, vel eius Superiores possunt Monachos à censuris ab ipso Abbate latis absoluere.*
3 *Monachos an expediat in Abbatis defectum absolutionem à censuris ab ipso Abbate latis ab Episcopo petere.*
4 *Modus in absolutione à censuris habendus traditur.*

1 QVoad huius quaesiti partem respondeo affirmatiuè; Nam regulariter cui iure Ordinario ligare competit, eidem etiam eodem iure soluere conuenit, vt superius probanimus. Cum autem Abbas Ordinaria, & quasi Episcopali auctoritate respectu suorum subditorum polleat, ac censuras in eos, (vt dictum est) ferre valeat; sequitur, quod ab eisdem à se latis illos absoluere possit ipse solus, vel eius successor, siuè delegatus, vt per *Sot. in 4. sent. dist. 22 q. 2. art. 3. conclus. 2. Nauar. in suo manual. cap. 27. num. 40. per tex. in cap. Pastoralis §. praeterea de offic. deleg. Mirand. in manual. Prael. tom. 2. quaest. 35. art. 9. per tot.* Dubium autem est, an alius

2 extra Religionem possit à censuris latis à Praelato Regulari, ac sibi reseruatis absoluere? In quo supposito quod Monachi singulari Summorum Pontificum beneficio sunt exempti, dicam cum *Ioan. Andrea in reg. scienti, Panormit. in cap. Monachi, & cap. significasti, de for. compet. Federic. cons. 14.* Nullum, excepto Monachorum Abbate, posse à censuris per eum latis, & reseruatis absoluere, ac eum, cui ipse suam auctoritatem fuerit impartitus; quia illius exemptionis gratia Monachi tantum Papae subduntur, & Abbati, non autem Ordinarijs, *cap. si Papa, de priuil. in 6.* Hoc vnum cum *Syluestr. verb. absolutio q. 5. num. 1.* notandum est, posse ab Episcopo, in Abbatis defectum, Monachum absolui, ne exempti peiores conditionis, quam non exempti esse existi-

3 mentur, quod ego non auderem admittere, eo quod Monachi non sunt peioris conditionis, etiamsi ab Episcopo non absoluantur, cum ipsi habeant alios Praelatos Superiores, à quibus potius, quàm ab Episcopis possunt absolutionem petere, ne postea, si absoluantur ab Episcopo, in eorum conscientia vocetur in dubium, an Episcopi possint absoluere à censuris alterius Praelati, nempè Abbatis, doctrina tamen *Sylu. loco cit.* cum hac limitatione potest amplecti scilicet, vt dictum est, in Abbatis defectum.

4 Circa formam autem à superiori seruandam in absolutione à censuris praestanda videri poterunt *Nau. in man. cap. 26. num. 8. Tolet. lib. 1. cap. 15. nu. 9. Sayr. de censur. lib. 2. cap. 18. Henriq. lib. 13. cap. 28. Couar. in cap. Alma mater par. 1. §. 12. Reginald. lib. 9. nu. 73. & seq. Suar. de censur disp. 7. sect. 10. Bonac. eodem tract. disp. 1. q. 3. punct. vlt.* & alij. Pro Regularibus autem Praelatis notandum est non oportere solemnitatem aliquam, aut caeremoniam iuris seruare, sed simpliciter absolutionem impendere posse, ex priuilegio Leonis X. Fratribus Minoribus concesso, habetur in *eorum supplemento concess. 174. & in Compend. priuileg. Mendic. tit. absolutio Ordinaria quoad seculares. §. 9. 13.*

QVAESITVM VII.

Vtrùm Praelatus Superior Religionis absoluere possit ab excommunicatione, & censura lata ab inferiori.

SVMMARIVM.

1 *Archiepiscopus nequit ab excommunicatione lata ab Episcopo absoluere, nisi causa per appellationem ad ipsum defenatur.*
2 *Praelati Regulares possunt à censuris per inferiores latis absoluere.*
3 *Censura lata ab homine iure Ordinario ab eo per absolutionem tolli potest, à quo lata fuit, siuè eius successori, vel Superiori.*
4 *Iurisdictio Praelatorum Regularium inferiorum ita est Superiorum iurisdictioni subordinata, vt ab ea omnino dependeat.*

1 PRo ratione dubitandi videtur dicendum, quod non. Quia Archiepiscopus non potest à censura per suffraganeum Episcopum lata absolutionem prae-

stare,

ſtare, niſi medio legitima appellatione, ſeù prouocatione cauſa ad ipſum Archiepiſcopum auocetur, & deferatur, vt colligitur ex *cap. tuas, de ſentent. excommunication. & ex cap. venerabilibus, eodem tit. in 6.* & tamen Archiepiſcopus eſt Superius tribunal Epiſcopo. Ergò ſaltem extra caſum appellationis videtur Prouincialem, vel Generalem non poſſe cenſuras à Prælato Conuentuali, vel ipſomet Prouinciali latas per abſolutionem tollere.

Nihilominus contrarium dicendum eſt, Poſſunt enim Superiores Prælati Religionis abſoluere ſubditos à cenſuris latis ab inferioribus. Quia cenſura lata ab homine iure communi, & ordinatio ab eo per abſolutionem tollenda eſt, à quo lata fuit, ſiuè eius ſucceſſori; vel Superiori per *cap. Paſtoralis, §. præterea, de offic. delegat.* & notant *Diu. Thom. in 4. diſtinct. 18. quæſt. 2. art. 5. Soto in 4. diſtinct. 22. in fine, Angel. verb. Excommunicatio 4. num. 1. Nauar. in manual. cap. 27. num. 40. Enriq. lib. 13. cap. 38. num. 3. Vgolin. de cenſur. tab. 1. cap. 4. Suarez de cenſur. diſput. 7. ſect. 2. num. 12. & pluribus ſequentibus, Coninch. diſput. 14. dub. 16. num. 137.* & alij apud *Bonacin. de cenſur. diſput. 1. quæſt. 3. punct. 1. num. 3.* Ad quod explicandum ſuppono, hoc in loco Superiorem intelligi non dignitate, ſed iuriſdictione, quia ad hunc actum abſoluendi per ſe requiritur iuriſdictio. Maior autem, vel minor dignitas accidentalis eſt; præterea debet eſſe Superior iuriſdictione non quomodocumque, ſed reſpectu perſonæ abſoluendæ, vt in tali cauſa verſatur, adeò vt vterque habeat iuriſdictionem in illam, inferiorem tamen, & Superiorem: quod in præſenti intelligi non poteſt, niſi iuriſdictio inferioris habeat ſubordinationem, & dependentiam à iuriſdictione Superioris; quia cum abſolutio ſit actus iuriſdictionis neceſſarium præcipuè eſt, vt qui Superior dicitur ad abſoluendum, habeat iuriſdictionem in ea cauſa, & in perſonam, vt tali cauſæ ſubeſt; alias nullo modo poterit abſolutionem, quæ eſt actus iuriſdictionis, exercere. Ideò cum iuriſdictio Prælatorum Regularium inferiorum, ita ſit Superiorum iuriſdictioni ſubordinata, vt ab ea omninò in fieri, & in conſeruari dependeat, & adeo vt inferiores poſsint cauſam incipere, & nihilominùs Superiores poſsint eam ad ſe auocare, quandò expedire iudicauerint, etiamſi ad eos prouocatum non fuerit; dicendum eſt, poſſe vtique Prouincialem, vel Generalem Prælatum abſoluere Religioſos, quos Conuentualis, vel Prouincialis Prælatus excommunicauerat, ſicut etiam poſſunt cauſam coram inferiori Prælato inchoatam ad ſe auocare. Tùm etiam, quia Prouincialis æque immediatè ſuam iuriſdictionem in quemcumque Religioſum ſuæ Prouinciæ, ac proprius Abbas, & Prælatus Conuentualis exercere poteſt; & Præſidens Generalis eadem proportione æque immediatè comparatur ad omnes, & ſingulos Religioſos ſuæ Religionis, & eſt immediatus eorum Superior. Atque ità expreſsè docet *Suarez dicta ſect. 2. num. 18. & tomo 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 20. num. 2.* Ex his patet reſponſio ad rationem dubitandi.

QVÆSITVM VIII.

Vtrùm Abbates, & Prælati Regulares poſsint abſoluere excommunicatos ab homine eorum Religionem ingredi volentes.

SVMMARIVM.

1. *Prælati Regulares de iure poſſunt abſoluere ingredientes Religionem, ante ingreſſum per generalem ſententiam ab homine latam excommunicatos.*
2. *Abſoluere an poſsint Prælati Regulares à cenſura contra hos ab homine per ſpecialem ſententiam lata, oſtenditur, & num. ſeqq.*

1 DE iure communi Abbates, & Prælati Regulares poſſunt abſoluere ingredientes eorum Religionem, qui ante ingreſſum per generalem ſententiam ab homine latam excommunicati fuerunt; quia ſententia generalis in multis æquiualet ſtatuto, & Canoni, licet ceſſet per mortem illius, qui eam tulit, ſed cenſura Canonis, vel ſtatuti iure communi auferri poteſt à quocumque Sacerdote habente facultatem abſoluendi à culpis mortalibus, vt docet *Nauar. in manual. cap. 27. num. 39. Suarez de cenſur. diſput. 7. ſect. 3. num. 1. & ſect. 4. num. 9.* & alij inferius citandi; Ergò cenſura per generalem ſententiam lata tolli poteſt à quocumque habente facultatem abſoluendi à mortalibus; Ergò ingredientes Religionem abſolui poſſunt ab eius Prælatis à cenſura inducta per ſententiam generalem; quia hi tunc ſunt eorum Ordinarij: quod eſt clarum, & omnes fatentur. Difficultas autem eſt. Vtrum ab-

2 ſolui poſsint ab iiſdem Prælatis à cenſuris contra eos latis ab homine per ſententiam propriam, & ſpecialem? In qua re *Lapus allegat. 48. incip. Magiſter Hoſpitalis, num. 6.* ait illimitatè excommunicatum ingredientem Religionem abſolui poſſe ab illius Prælato, etiam ab excommunicatione contra eum ab homine lata. Ducitur ex *text. in cap. cum illorum, de ſentent. excommunication.* in quo *text.* licet ſit ſermo de excommunicatione lata à iure, tamen idem ait intelligi debere de excommunicatione lata ab homine; quia vbi permittitur abſolutio ab excommunicatione lata à iure in caſu, in quo aliàs eſt prohibita, præcipuè, quando abſolutio eſt Papæ reſeruata, fortiùs videtur permiſsa abſolutio à ſententia excommunicationis lata ab homine, & hoc, nè detur Religioſis occaſio vagandi. *Vgolin. autem in tractat. de cenſur. tab. 1. cap. 4. num. 3.* ſimpliciter affirmat eam poteſtatem in Prælatis Regula-

3 ribus non reperiri. Alij autem, & rectiùs diſtinguunt dictos Prælatos poſſe abſoluere ingredientes eorum Religionem à cenſuris per generalem ſententiam ab homine latis, non autem à cenſuris latis per ſententiam particularem. Ità *Sotus in 4. diſtinct. 22. quæſt. 2. art. 3. concluſ. 2. Auila de cenſur. 2. part. cap. 7. diſtinct. 1. dub. 8. Suarez dicta diſput. 7. ſect. 2. num. 29. Vincentius Filliuc. moral. quæſtion. tractat. 11. cap. 9. quæſt. 9. num. 299. & quæſt. 10. num. 305. Bonac. de cenſur. diſput. 1. quæſt. 3. punct. 1. nu. 7.* & hoc

Digitized by Google

4 de iure communi. Ad quod etiam faciunt nonnulla priuilegia à Sede Apost. Religionibus concessa, quibus datur facultas Prælatis absoluendi ab omnibus censuris ab homine latis, & contractis ante ingressum Religionis. Nam Eugenius IV. sub Dat. Florentiæ 4. Kalend. Nouembris anno 1434. Pontif. sui 4. concessit Monachis Casinensibus, aliàs S. Iustinæ de Padua, vt habetur in *Compendio Priuilegiorum dicti Ordinis conc.32. Vt si qui excommunicati recipi petierit in dicta Congregatione, possint Prælati, iniuncta illis pœnitentia, & satisfactione possibili præmissa, absoluere, & recipere ad probationem, in qua si permanserint gaudeant indulgentia: sin autem discesserint, reincidant in eamdem*; & conc. 24. Idem Pontifex concessit Monachis S. Benedicti Vallisoleti, sub Datum Ferrariæ 30. nonas Ianuarij Pontificatus sui anno octauo. *Vt semel possint absolui per Confessarios Monachos, ab Abbatibus deputatos ab omnibus criminibus, & à qualibet sententia excommunicationis à iure, vel ab homine, etiamsi propter eam Sedes Apostolica esset consulenda siuè ea in seculo, siuè in Religione commiserint, & dispensari super qualibet irregularitate, dempta bigamia, homicidio voluntario, & mutilatione manu propria, consilio, aut mandato perpetrata*. Item Martinus V. in gratiam eiusdem Ordinis S. Benedicti Vallisoleti concessit priuilegium eiusdem Ordinis Generali, vt possit absoluere subditos ab omni sententia excommunicationis quarumlibet reseruata. Quibus omnibus priuilegijs gaudent aliæ Religiones per viam communicationis. Intelligenda autem sunt de censura lata per sententiam generalem, nam illa, quæ in particulari fertur, præsertim nominatim in causa ad forum contentiosum deducta numquam comprehenditur sub his priuilegijs, quæ semper loquuntur, vel in generalibus sententijs, vel in casibus occultis, vt docet *Suarez d. sect. 2. num. 30.* qui *num. sequenti*, subdit, & benè, quando senten-
5 tia lata esset pro particulari delicto, occulto tamen quoad personas, in quas confuse tantum, & sub ratione delinquentium lata sit, talem censuram auferri posse à Prædictis Prælatis vigore narratorum priuilegiorum postquam parti iuxtà possibilitatem satisfactum fuerit, quia verba priuilegiorum sunt generalia de censura à iure, vel ab homine lata, & illa censura quamuis aliqua ex parte specialis sit, tamen aliunde est generalis, & interdum ità vocatur propter modum, & formam sub qua fertur, priuilegia autem concedentia facultatem absoluendi fauorabilia censentur, & ideo late interpretanda, vt alibi de potestate dispensandi docuimus cum *Sanch. de matrimon. lib. 8. disp. 2. num. 1. Less. de iust. & iur. lib. 2. cap 42. num. 60. D. Augustino Barbosa de officio, & potestate Episcopi par. 2. allegat 37. num. 24.* præcipuè cum concessa sint in fauorem Religionis, quæ etiam amplianda esse ibidem diximus. Vnde virtute prædictorum priuilegiorum non solum post, verum etiam ante professionem absolui poterunt; vt ex dictis constat, & notat *Suar.* vbi proximè.

Nihilominus virtute aliorum priuilegiorum possunt Regulares Prælati absoluere ingredientes eorum Religionem, sicut etiam Religiosus, & Nouitios ab omnibus censuris contra eos, etiam ab homine per sententiam specialem, & nominatim latis; Quia Eugenius IV. concessit Cistercien. in Hispania; *vt possint absoluere ab omnibus qualitercumque enormibus censuris, & sententijs à iure, vel ab homine in genere, vel in specie promulgatis, vel promulgandis*; quod refert *Roderic. quæst. Regular. tomo 1. quæst. 20. art. 4.* vbi notanda sunt verba illa. *Vel in specie promulgatis*, quæ reuera nil aliud indicant, nisi huiusmodi facultatem prædictis Prælatis per ea tradi; quia sententia specialis distinguitur à generali, dicitur autem generalis sententia, quæ non fertur in determinatam personam; ergò specialis dicitur ea, quæ fertur in personam determinatam.

Præterea id confirmatur ex alio priuilegio à Paulo Tertio Societati Iesu concesso, quod refertur in eius *Compend. verb. Absolutio, §. 6.* in quo indulsit, vt possint illius Prælati absoluere ad se venientes à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis, & secularibus sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine quomodolibet latis, & promulgatis; notanda sunt autem verba illa, *Quomodolibet latis, & promulgatis*, nam particula, *quomodolibet*, indicat, illos posse absoluere ab omnibus censuris, etiam per specialem sententiam ab homine latis; si enim dixisset simpliciter ab homine, dici posset, intelligendum esse tantum de censuris per generalem sententiam latis; at Summus Pontifex addendo particulam illam, *quomodolibet*, significat voluisse eam limitationem auferre, & concedere, vt ea facultas etiam ad sententias speciales se extendat. Ex illa autem dictione, *promulgatis*, videtur hoc procedere, etiamsi quis expresso nomine denunciatus, & publicatus sit; quia ibi non solum dicitur, *quomodolibet latis*, sed insuper additur, *promulgatis*, at denunciatio excommunicationis latæ nil aliud est, quam promulgatio talis sententiæ; sententia autem quomodolibet promulgata per illud priuilegium remitti potest; ergò &c. Atque ita docet *Suarez de Relig. tomo 4. tractat. 8. lib. 2. cap. 25. num. 5.* vbi *num. 7.* addit idem dici posse virtute priuilegij ab Eugenio Quarto Benedictinis concessi in quo traditur Prælatis potestas absoluendi subditos à quibuscumque sententijs, & peccatis, etiamsi talia forent, propter quæ Apostolica Sedes esset consulenda, cum autem in eo addatur, vt id fiat præmissa ex parte subditorum debita satisfactione; ad hanc satisfactionem reddendam aduertit oportere, vt quando specialis sententia ab homine præcessit, non solum parti læsæ, si qua fuerit, sed etiam Iudici satisfiat; quia per specialem contumaciam ei iniuria illata est; Necessarium est igitur inprimis, vt absoluendus à contumacia recedat; deindè vt satisfaciat, vel satisfacere promittat, prout potuerit. & demum vt Iudicem, à quo excommunicatus est, saltem certiorem reddat de obedientia sibi, & Ecclesiæ reddita, & absolutione obtenta, & hoc pacto vitantur incommoda, quæ ex dicto priuilegio sequi posse videbantur, & ratio huius interpretationis ab eo adducta est, quia priuilegium ita suum effectum sortiri debet, vt in reliquis omnibus quàm minimum lædat aliorum iura, præsertim ea, quæ ad conuenientem gubernationem pertinent.

QVAE.

Digitized by Google

QVAESITVM IX.

Vtrùm Abbas possit absoluere suos subditos à censuris reseruatis, vel ab excommunicatione lata ab homine.

SVMMARIVM.

1 *Absolutio censurarum Papa reseruatorum in iure dupliciter Episcopis committitur.*
2 *Absoluere suos subditos à censuris Papa reseruatis, possunt Abbates à quibus possunt Episcopi suos ratione iurisdictionis Episcopalis.*
3 *Absoluere an etiam possint Abbates ab eisdem casibus, à quibus possunt Episcopi, tamquam Sedis Apostolica Delegati.*

HIc non est sermo de censuris ab Episcopis reseruatis, illæ namq; exemptos non afficiunt, sed de Papalibus, quæ eos ligant, si vel specialiter, vel generaliter ad illos dirigantur, quarum absolutionis facultas, nisi aliquo modo à Sum. Pont. eorum Abbatibus, & Prælatis tribuatur non poterunt ab illis absolui; harum autem censurarum Papæ reseruatarum ab-
1 solutio in aliquibus casibus solet Episcopis in iure committi, & hoc dupliciter, vel ex generali ratione iurisdictionis Episcopalis, vel ex speciali commissio-
2 ne. Primò modo in eisdem casibus Religionum Prælati suos subditos iure Ordinario absoluere possunt, quia habent in illos iurisdictionem Episcopalem, & sicut eam habent ex iure communi, sic etiam eodem
3 iure absoluendi obtinent facultatem. Secundò modo scilicet in casu, quo Episcopi possunt absoluere à censuris Papæ reseruatis ex peculiari ipsius commissione, & tamq; delegati Sedis Apost. vt sunt multæ concessiones Episcopis factæ in *Conc. Trid.* & præcipuè *sess. 24. de reform. cap. 6.* vbi conceditur facultas Episcopis vt possint absoluere à quibuscumque casibus occultis Sedi Apost. reseruatis; & in hoc casu dicendum est, quod licet iure Ordinario Abbates nequeāt ab iisdem casibus absoluere, tamen prædicta facultas, ex motu proprio Pij V. extensa fuit ad Prælatos Ordinis Prædicatorum, & ea etiam vti poterunt aliæ Religiones gaudentes priuilegio communicationis. Videatur *Suarez de Religione tom. 4. tract. 8. lib. 2. cap. 20. num. 8. & 9.*

QVAESITVM X.

Vtrùm Abbates, & Prælati Regulares possint absoluere subditos ab excommunicatione incursa ob violentam manuum iniectionem in Clericum, vel Monachum.

SVMMARIVM.

1 *Monachi, & Religiosi se ad inuicem in Claustro percutientes, si percussio non erit enormis, poterunt à suo Abbate absolui.*
2 *Clerici percussio grauis, & enormis semper in iure intelligitur excepta, & Apostolica Sedi reseruata.*
3 *Religiosus Clericum secularem percutiens à quo nam absolui possit, ostenditur.*
4 *Monachus alterius Claustri si percutiat à quo absoluatur, ostenditur.*
5 *Abbatem, & Prælatum proprium si quis percutiat, quidue si alienum, à quo absoluatur, ostenditur, & num. 6.*
6 *Quid sit dicendum quoad prædicta omnia respectu priuilegiorū Regularibus à Sede Apost. concessorū.*

IN Concilio Lateranen. ab Innocentio II. lata est excommunicatio maior Summo Pontifici reseruata contra eos omnes, qui violentas manus in Clericos, vel Monachos iniecerint, quod refertur in *can. si quis suadente Diabolo 17. q. 4.* quæ censura est adeo vniuersalis, vt omnes in vniuersum personas censuræ capaces comprehendat; quod satis indicat illa particula quasi; quem canonem latè exponunt *Nauar. in Man. cap. 27. à num. 76. vsque ad num. 92. inclusiuè, Suar. tom. 5. disp. 22. sect. 1.* per totam, & alij, quos refert *D. August. Barbos. de offic. & potest. Episcop. par. 2. alleg. 41. num. 1.* Dubitatur modò, an Prælati Regulares possint subditos hac censura innodatos absoluere? Ad quod
1 Dico primò. Monachi, & Canonici Regulares se ad inuicem in Claustro percutientes possunt à suo Prælato absolui, probatur ex *cap. monachi, de sent. excommun.* vbi dicitur, *quocumque modo, seu in Claustro percusserint*; vnde videtur textus concedere facultatem Regularibus Prælatis absoluendi ab huiusmodi censura, siuè grauis, siuè leuis percussio fuerit, quod satis indicat illa particula, *quocumque modo*, quæ videtur includere omnem percussionem, vt circa hoc fiat maior fauor Religiosis, quàm Clericis secularibus. Nihilominus verbum illud, *quocumque modo*, limitandum est, vt intelligatur, dummodò per-
2 cussio non sit grauis; quia enormis Clerici, vel Monachi percussio semper intelligitur iure ipso excepta, & Sedi Apostolicæ reseruata, vt ait *glossa in cap. quoniam, de vita, & honest. Clericor. Panorm. in d. d. cap. Monachi, & in cap. cum illorum, de sentent. excomm.* & hæc limitatio expressè habetur in *cap. canonica, de sent. excomm.* vbi integrè, & ad literam refertur constitutio *d. cap. Monachi*, & in fine eius ita subditur, *nisi excessus difficilis fuerit, & enormis, propter quem meritò ad Ecclesiam Romanam sit recursus habendus*, ex quibus verbis videtur Honorius III. qui est auctor huius capituli, vel illam limitationem priori constitutioni Alexandri III. addere velle, vel significare, illam limitationem semper subintelligendam esse in huiusmodi concessione, licet expressè non ponatur, vt docent Canonistæ communiter teste *Suar. d. sect. 11. num. 73.*
3 Dico secundò. Si Religiosus percutiat secularem Clericum ex vi *d. cap. Monachi*, non potest à proprio Prælato absolui, sed ad Sedem Apostolicam recurrere debet, vt expressè declaratur in *d. cap. cum illorum*; Verum aliter dicendum est ex dispositione *tex. in cap. Religioso, de sentent. excommunication. in 6.* vbi Bonifacius VIII. concessit, vt in tali casu possit Religiosus ab Episcopo absolui, cum limitatione, videlicet in eo casu tantum in quo Clericus secularis, si aliquem Clericum secularem percussissent, ab-

 solutio-

Digitized by Google

solutionem obtinere posset, nempè quandò percussio est leuis, vt notant *gloss. ibi ex cap. prauenit extra eod. & Sarez dicta sect. 1. num. 74.*

4 Dico tertiò, si Monachus vnius Claustri Monachum alterius percutiat, nô potest à proprio Abbate absolui, sed ab Abbate illius Monachi, in quem manus violentas iniecit, *d. cap. cum illorum, de sentent. excommunicat.* Et hoc procedere videtur, siue illa Monasteria sint diuersorum Ordinum, siuè eiusdem: & satis est, vt percutiens, & percussus diuersos habeant Superiores: si tamen essent eiusdem Ordinis possent à Prouinciali, vel Generali, aut alio communi Prælato absolui, quia licet in eo textu dicatur, vt absolui posit ab Abbate illius Monachi, qui iniuriam passus est, tamen non est facienda vis sub nomine Abbatis, sed in re; quæ per illud significari videtur, videlicet spiritualis pater, vel Pastor illius Religiosi, & ideo cum ille communis Superior habeat maiorem iurisdictionem in subditum, quàm immediatus Prælatus, à fortiori comprehendetur sub nomine Abbatis, seù Superioris quocumque nomine appelletur. Ita *gloss. in d. cap. cum illorum, verb. Abbatem, Suar. d. sect. 1. num. 75.*

5 Dico quartò, si Religiosus proprium Abbatem percutiat, non poterit ab eodem absolui: quia percussio proprij Abbatis est enormis, *d. cum illorum, de sent. excomm.* quando autem, non est enormis percussio tunc virtute *d. cap. Monachi*, non possunt Religiosi à proprio Prælato absolui; sed tunc Sedes Apostolica consulenda est, vt patet ex *dicto cap. canonica*, &

6 diximus supra. Quod si percusserunt Abbatem alterius Monasterij, qui sibi Superior non est, nisi percussio ex alio capite enormis extiterit, non ideo censebitur enormis ex dignitate personæ percussæ. Quia dignitas Abbatis nuda considerata non est tanta, vt sufficiat ad enormitatem delicti ex sola dignitate, præcipuè cum sub eo nomine veniant omnes Prælati, & Superiores cuiuslibet Monasterij Religiosorum; respectu autem suorum subditorum, & inferiorum ea circumstantia est magni momenti ratione iurisdictionis, & reuerentiæ debitæ Superiori Prælato ab inferiore. Ita *Suar. d. sect. 1. num. 90.* Ego autem respectu Abbatum, & cæterorum Regularium Prælatorum, præcipuè respectu eorum, qui Abbatiali dignitate fulgent, idem dicendum putarem, quod de Episcopis, horum enim dignitas parum ab Episcopali distat; imò Abbatia, & Episcopatus in iure æquiparantur, *can. si quis deinceps 16. q. 7.* vel saltem est prima post Episcopatum, vt pluribus in locis huius operis probatum est, præcipuè in *1. tomo in disput. de precedentijs Abbat. &c.* Igitur sicut Religiosi Episcopum percutientes ratione enormis percussionis Sedem Apostolicam pro absolutione adire tenentur *d. cap. illorum, de sentent. excomm.* eadem ratione injiciens violentas manus in Prælatorum, qui Abbatiali dignitate, ornatur, siuè proprius sit, siuè alienus. Quod similiter de omnibus Regularibus Prælatis tàm proprijs, quàm alienis affirmat *Panorm. in d. cap. cum illorum num. 4. Bonac. de censur. disp. 2. q. 4. punct. 5. sub num. 2. vers. grauis percussio.*

7 Prædicta omnia intelligenda sunt, vt procedant de iure communi, de iure autem priuilegiorum secus dicendum est; nam eorum virtute possunt Prælati Regulares absoluere suos subditos à censuris omnibus à iure, vel ab homine latis, vt patet ex nonnullis priuilegijs, quæ referuntur in *Comp. priuileg. Mendic. & aliorum Ordinum, verb. absolutio.* Nam in *d. Compend. Mena verb. absolutio Ordinaria quoad Fratres §. 39.* refertur Martinum V. concessisse. *Quod Prior Monasterij S. Benedicti Vallis oleti possit absoluere Monachos in foro conscientia ab omni excommunicationis sententia, etiamsi talis esset, quam ipse Summus Pontifex sibi reseruare consueuit*; vbi collector aduertit prædictam concessionem, licet primo facta sit soli Priori, siuè Abbati Vallisoletano, qui est Generalis totius Ordinis S. Benedicti Prouinciæ Castellæ, postea tamen extensam, seù communicatam fuisse omnibus Prioribus, seù Abbatibus reliquorum Monasteriorum eiusdem Ordinis, & Prouinciæ; Et multa alia huiusmodi referuntur in *eod. Compend.* & citantur à *Roderic. in 1. tom. quæst. Reg. q. 20.* quibus omnibus per viam communicationis quamplures aliæ Religiones vti possunt, quorum virtute, non est dubium, quin Prælati Regulares habeant facultatem absoluendi à censura excommunicationis, *can. si quis suadente diabolo*, quamuis grauis, & enormis percussio fuerit, & hoc siuè in Claustro, siuè extrà, siuè Religiosos proprij Monasterij, siuè alieni, siuè etiam seculares clericos percutiant, quia propter d. priuilegia absolutè côceditur facultas absoluêdi ab omnibus censuris, etiamsi essent tales, propter quas Apost. Sedes consulenda foret, & licet per ea non côcedatur facultas specialis absoluendi à tali excommunicatione, tamen sufficit clausula generalis, *quia casus d. can. si quis*, non est ita specialis, vt sub generali facultate non comprehendatur, & ita docent *Roder. d. q. 20. art. 12. Mirãd. tom. 2. manual. Pralat. quæst. 35. art. 24. conclus. 1. Suarez de Relig. tom. 4. tract. 8. lib. 2. cap. 21. num. 2.*

QVAESITVM XI.

A quonam absolui possit Abbas, vel alius Prælatus Regularis ab excommunicatione *can. si quis suadente Diabolo 17. q. 4.*

SVMMARIVM.

1 *Abbas subditum percutiens, nisi percussio sit enormis, de iure communi à suo Superiori intra Religionem absolui potest; & quid si illum non habeat, num. 2.*

3 *Prælatus Regularis virtute priuilegiorum ob quantumuis enormem Clerici, vel Monachi percussionem à proprio Superiori intra Religionem, imò à Confessario à se electo absolui potest.*

3 *Quid, si in eodem Conuentu adsint tantum Prælatus, & alius Sacerdos, & se ad inuicem percutiant, non habentes, qui eos absoluat.*

1 DE iure communi Abbas suum subditum percutiens, nisi percussio ex alio capite enormis sit, à Superiore suo intra Religionê absolui potest, quia percussio subditi de se non est ita grauis, vt propter eam semper Apost. Sedes adiri debeat; & ille Abbas ita comparatur ad alterum Prælatum Religionis sibi

2 Superiorem, sicut cæteri eius subditi ad ipsum; Quod si pro-

ſi proprium Superiorem non habeat, ab Epiſcopo abſolui poterit, vt probatur ex *tex. in cap. Monachi, de ſent. excommunicat.* ibi, *quod ſi diſcretio Abbatis non ſufficiat, ab Epiſcopo eſt adhibenda correctio*, in hoc autem caſu non videtur talis Abbatis diſcretio ſufficere; quia non eſt ipſe conueniens Iudex in cauſa propria; ergò ab Epiſcopo abſolutionem petere debet. Si verò percutiat Religioſum non ſibi ſubditum, abſoluendus eſſet à Prælato Religioſi percuſſi, vt in antecedenti quæſito de alijs Religioſis dictum eſt, & conſtat ex *cap. cum illorum; de ſent. excommunicat.* notat *Suar. de cenſur. diſp. 22. ſect. 1. num. 79.*

3 Dixi *de iure communi*, quia virtute priuilegiorum in antecedenti quæſito relatorum conſtat ipſos Prælatos pro quantumuis enormi percuſsione Religioſorum, vel etiam Clericorum ſecularium à Prælatis ſuæ Religionis abſolui poſſe; Non debent enim Prælati eſſe peioris conditionis, quàm ſubditi, cum ſint principale membrum Religionis, & priuilegia pro omnibus Religioſis conceſſa ſint; Imò non ſolum à Superioribus Prælatis abſolui poterunt, verùm etiam licebit eis, etiamſi Conuentuales Prælati ſint, eligere ſibi Confeſſarium, qui eos abſoluat ab omnibus cenſuris, & caſibus, à quibus ipſi proprios ſubditos abſoluere poſſunt; quia ex priuilegio *tex. in cap. vltim. de pœnit. & remiſſ.* hi Prælati poſſunt ſibi Confeſſarium præter ſuorum Superiorum licentiam eligere, vt alibi diximus. Ita docent *Suar. de Relig. tomo 4. tract. 8. lib. 2. cap. 23. num. 8. Emanuel Rodericus quæſt. Regular. tomo 1. q. 20. art. 12. Miranda in man. Prælat. tomo 2. q. 35. art. 24. concluſ. 1. verſ. aduertendum eſt, D. Aug. Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſc. part. 2. Alleg. 41. ſub nu. 17. iuxta impreſſion. Lugdun.*

4 Difficultas autem eſt, quando in Monaſterio adſunt tantùm Prælatus, & alius Sacerdos, & ſe ad inuicem percutiunt, non habentes alium in eodem Conuentu, qui eos abſoluat, à quo abſolui debeant, Prælatus enim tunc nequit ſubditum abſoluere cum ſit innodatus vinculo excommunicationis, & ideo habeat impeditum vſum iuriſdictionis ſpiritualis, vt docent communiter Doctores per *tex. in can. audiuimus 24. q. 1. & cap. 1. de offic. Vicar. in 6. & cap. ſitis, cui, de offic. delegat. eod. lib. 6. & ex cap. 1. de ſupplend. neglig. Prælat. eodem lib. 6. & cap. prudentiam, §. 6. de offic. deleg. & cap. duobus, de ſentent. excommun.* Item eadem ratione nec etiam poteſt ſubditum in Confeſſorem eligere, quia ſubditus excommunicatus eſt, ideo eligi non poteſt. In hoc caſu aliqui cenſent eos poſſe ſe ad inuicem abſoluere, quia neceſsitas non habet legem; & ſicut excommunicatus in caſu neceſsitatis abſoluere poteſt à peccatis, ita etiam ab excommunicatione Ita *Ioannes Fabianus verb. abſolutio, 2. §. 6.* quem citant, & ſequuntur *Rodericus, & Miranda locis citatis*, ſic etiam *Franciſc. Coriolan. de caſib. reſeruat. part. 2. caſ. 10. de iud. Regular. §. 10. num. 17. verſ. nam licet*, D. *Auguſt. Barboſ. d. alleg. 41. num. 17.* At hoc limitandum eſt, atque declarandum cum *Suar. d. cap. 23. num. 10. & duobus ſeqq.* Primò, ſi percuſsio non eſt publica, ſed occulta, vt poſsit tunc Prælatus abſoluere ſubditum, quia non dum eſt priuatus iuriſdictione, & communicatione cum illo, ſaltem in bonum ſubditi. Si verò percuſsio publica fuerit, cum ob excommunicationem Prælatus iuriſdictione priuatus ſit, vt ſupra diximus non poterit ſubditum abſoluere, aut è conuerſo; ſed debet tunc aliam Sacerdotem habilem extra Religionem eligere, qui eum abſoluat, & deinde ipſe abſolutus ſubditum excommunicatum poterit abſoluere; quia ſubditus non habet eam facultatem, ſcilicet ſibi Confeſſarium eligendi, neque Prælatus ob vinculum excômunicationis poteſt illam concedere; quia id eſſet actum iuriſdictionis exercere, quod non licet nominatim excommunicato, vel publico Clerici percuſſori, vt ſuperius diximus, & notant communiter Doctores. At Abbas ſibi Confeſſarium eligendo non exerceret actum iuriſdictionis, ſicut faceret licentiam ſubdito ad id concedendo, ſed vteretur quodam iuris priuilegio ſibi conceſſo, quod non interdicitur excommunicato; Nec obſtat, quod Prælatus eligendo Confeſſorem delegat illi ſuam iuriſdictionem, vt ea circa ſe vtatur, qui videtur eſſe actus iuriſdictionis; nam reſpondetur non ipſum, ſed Summum Pontificem, vel Superiorem Prælatum ei talem iuriſdictionem committere, quia virtute priuilegiorum eo ipſo, quod à Prælato eligitur, immediatè illi conferuntur omnes facultates Pontificiæ, quia vices Superioris Prælati in eo munere gerit. Ita *Suarez d. cap. 23. num. 12. iuncto num. 8. in fine.*

QVAESITVM XII.

Vtrùm Abbas poſsit abſoluere ſuos ſubditos ab excommunicationibus Papæ reſeruatis, quæ in Iure Epiſcopis committuntur.

SVMMARIVM.

1 *Abbas poteſt ſuos ſubditos à cenſuris non reſeruatis abſoluere.*

2 *Papa quando cenſuræ abſolutionem ſibi non reſeruat, videtur eo ipſo tradidiſſe facultatem alijs abſoluendi.*

3 *Abſoluere iure Ordinario poſſunt Abbates ſuos ſubditos ab omni cenſura ab homine lata.*

4 *Prælatus Superior poteſt abſoluere ab omnibus cenſuris latis ab inferiori, non autem è contrà.*

5 *Abſoluere an poſsint Abbates ſuos ſubditur ab excommunicatione contrà eos ab Epiſcopis lata.*

1 QVoad primam huius quæſiti partem dicendum eſt, quod cum Abbas ſit proprius ſuorum Monachorum Sacerdos; neceſſariò ſequitur, illum habere facultatem abſoluendi ab omnibus cenſuris non reſeruatis, ac inflictis à iure ſiuè communi, vel propriæ Religionis; quod probatur ex *cap. nuper, de ſentent. excommunicat.* vbi habetur, quod quilibet proprius Sacerdos abſolutionem à non reſeruatis tribuere poſsit; & aſsignatur ratio; quia quandò
2 conditor Canonis cenſuræ in eo appoſitæ abſolutionem ſibi ſpecialiter non retinuit: eo ipſo alijs relaxandi facultatem conceſsiſſe videtur.

3 Quo verò ad ſecundam partem excludendo cenſuras latas à prælatis, Generalibus, alijsq; Superioribus etiam affirmatiuè concludimus, poſſe ſcilicèt Abbates, iure Ordinario abſoluere ſuos Monachos, & ſubditos ab omni excommunicatione, & cenſura

lata ab homine; Ratio est, quia censura ab homine lata, ab eo auferri, & tolli potest, vel ab eius Superiore, sed Monachus, non potest ab alio homine excommunicari, nisi à suo Abbate; ergò ab eo tantum potest, & debet absolui, cum propter exemptionem homo, qui excommunicationem tulit, non habeat
4 iurisdictionem in Monachum. Et notandum, quòd Prælatus, & Abbas Superior potest absoluere ab omnibus censuris latis ab inferiori, vt supra diximus, non autem è contrà, nisi in casu posito per *d. cap. nuper, de sent. excomunicat.* videlicet, quandò Prælatus Superior illas sibi specialiter non reseruasset. In sententijs ergò specialibus Abbatum Superiorum potestas inferiorum limitatur. Ita *Suar. tomo 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 20. num. 2. & 3.* Verum cum in quibusdam casibus possit Episcopus etiam contrà exemptos excommunicationem ferre, vt in casibus positis in *Concil. Tridentin, sess. 25. de Regular. & sess. 5. de reform. cap. 8.* hic meritò dubitari potest, An Abbas, vel alius Prælatus Regularis possit ab excommunicatione ab Episcopis in talibus lata suos Monachos absoluere.

5 Pro cuius dubitationis solutione dico cum *Suar.* vbi proximè *num.* 4. Abbates tunc non posse suos Monachos absoluere; quia in illis casibus Episcopus est Superior Abbatis, & Monachorum, maximè cum Episcopi tunc vtantur iurisdictione Pontificia, & procedant, vt delegati Sedis Apostolicæ; Et ratio est, quia omnes Abbates, & Prælati Religionum, nisi essent exempti, subdici fierent Episcoporum de iure communi; sed in illis casibus ablata est exemptio per *Concil. Trident.* ergò Abbates, non poterunt suos subditos à censuris contrà eos latis ab Episcopis absoluere. Licet autem hæc ità de iure ordinario procedant, secus tamen dicendum est de iure priuilegiorum, quorum virtute possunt Regulares Prælati subditos à quibusuis Ecclesiasticis sententijs, & censuris à iure, vel ab homine quomodolibet latis, & promulgatis absoluere, vt patet ex nonnullis Summorum Pontificum concessionibus superius adductis & præcipuè ex priuilegio Pauli III. Societati Iesu concesso, quod refertur in eius *Compend. verb. absolutio, §. 6.* Item vigore alterius priuilegij Benedictinis in Hispania concessi, possunt Superiores Mendicantium per communicationem, & eorum priuilegia communicantes absoluere subditos à quibusuis peccatis, sententijs, & censuris, etiamsi talia forent, propter quæ Sedes Apostolica esset consulenda; ergò Prælati Regulares poterunt etiam absoluere subditos ab excommunicatione lata contrà eos ab Episcopo in aliquo casu sibi, vt supra, commisso, quia verba illa priuilegij, *quomodolibet ab homine*, ita generalia sunt, vt etiam prædictos comprehendere intelliguntur. Insuper in alio priuilegio Benedictinis concesso traditur facultas Prælatis Regularibus absoluendi subditos, à quibusuis sententijs, & censuris, nulla addita exceptione, vel limitatione; ergò eis integrum erit, subditos ab huiusmodi excommunicationibus absoluere. Atque quod virtute prædictorum priuilegiorum possint Regulares Prælati subditos ab excommunicationibus contra eos ab Episcopis fortè latis absoluere, tenet *Suar. de Relig. tomo 4. tractat. 8. lib. 2. cap. 25. num. 7.*

QVAESITVM XLIII.

Vtrùm Abbates, & Prælati inferiores possint suos subditos ab excommunicatione, & censuris ob Ordinem simoniacè susceptum contractis absoluere.

SVMMARIVM.

1. *Simoniacus realis in Ordine est ipso facto excommunicatus, & est suspensus ab executione suorum Ordinum, siue publicum sit crimen, siue occultum, vt num. 2.*
3. *Harum censurarum absolutio Summo Pontifici reseruata est.*
4. *Prælati sæculares nequeunt ab huiusmodi censuris absoluere.*
5. *Prælati Regulares possunt ab his censuris absoluere.*
6. *Confirmatio priuilegiorum quid operetur.*

1 PRo clariori huius quæsiti intelligentia notãdum est, quod qui Ordinem aliquem per simoniam realem contulerit, vel illum susceperit, est ipso facto excommunicatus per *extrauag. Pauli II. incip. Cum*
2 *detestabile, de simon.* Item est ipso iure suspensus ab executione suorum Ordinum, siuè publicum sit crimen, siuè occultum, vt habetur in *d. extrauag. & can. reperiuntur, & can. tot qui, 1. q. 1. Innocent. & DD. in cap. tanta, & Panormit. in cap. per tuas, num. 5. de simon. Nauar. in manual. cap. 23. num. 111. vers. sexto, Henriq. lib. 14. cap. 5. §. 2. Sayr. de censur. lib. 7. cap. 2. num. 19. Less. de iust. lib. 2. cap. 35. dub. 24. num. 135.* & alij.
3 Taliter autem ordinantes, vel ordinati à censuris prædictis à solo summo Pontifice absolui possunt, vt patet ex *d. extrauag.* & asserunt *citati Doct.* Aliã huic similem cõstitutionem edidit Pius V. quæ incip. *Cum primum*, quæ est constit. 5. eiusdem in ordine, vbi prædictam Pauli II. constitutionem inuiolabiliter obseruari præcipit, & delinquentes tàm in sacrorum Ordinum receptione, vel collatione, quàm in beneficiorum assecutione, necnon mediatores, & procuratores palam, vel occultè excommunicat excommunicatione Papali, mandans, vt quo beneficia assequuti sunt, illis ipso iure priuentur, ac inhabiles ad ea, & ad omnia alia obtinenda in posterum reddantur, absque alia declaratione.
4 Dubium est modò, an à censuris ratione Ordinum simoniacè collatorum, vel susceptorum possint Prælati Episcopis inferiores suos subditos absoluere? Et quoad Prælatos sæculares, certum est ipsos huiusmodi facultatem non habere; tùm quia in *d. extrauag. cum detestabile*, Summo Pontifici reseruantur, & notant *Nauar. d. cap. 23. num. 111. vers. quartò, Sayr. de censur. lib. 3. cap. 30. num. 6.* & alij communiter. Tùm etiam quia Sixtus V. in Bulla, quam edidit contra malè promouentes, & promotos, absolutionem ab his censuris sibi reseruauit, cum clausula derogatoria omnium priuilegiorum Regularibus datorum, & concessionis Episcopis factæ a *Concilio Tridentino sess. 24. de reformat. cap. 6.* quæ constitutio licet à Clemente VIII. ad terminos iuris communis redacta sit, tamen circa hoc de simoniacè promo-

Digitized by Google

promouentibus, & promotis in suo robore relicta est, & ab eodem confirmata.

5 Quo autem ad Regulares Prælatos, dicendum est ipsos à supradictis censuris suos subditos absoluendi facultatem habere. Quod probatur ex nonnullis priuilegijs, quibus conceditur Prælatis Regularibus facultas absoluendi subditos à quibuscumque casibus, etiamsi talis forent, propter quos Apostolica Sedes consulenda esset, vt patet ex concessionibus relatis in *Compend. priuil. Mendic. verb. absolutio Ordinaria quoad Fratres, & à Roderic. quæst. Regular. tomo 1. q. 20. art. 13.* vbi in terminis huius quæsiti loquuntur. Ex hac potestate etiam hodie Regulares Prælati potiuntur; Quia licet circa hoc omnia eorum priuilegia etiam in Mari magno contenta à Sixto V. in prædicta sua constitutione reuocata fuerint; tamen à Clemente VIII. anno 1597. die 20. Decembris per Bullam incip. *Ratio Pastoralis*, reualidata, ac ex certa scientia confirmata fuerunt omnia Fratrum Minorum priuilegia, quam innouationem, & confirmationem idem Fratres Minores obtinuerunt etiam à Paulo V. tam pro foro conscientiæ, quàm pro foro externo, eodem modo, quo eamdem concesserat Clemens VIII. in prædicta sua Bulla *Pastoralis Officij*. Item idem Paulus V. Bulla incip. *Nuper vt charissimo*, edita anno 1620. die 1. Maij Pontificatus sui anno 15. confirmauit, ac innouauit omnia, & singula priuilegia duodecim Regularium Congregationibus per quoscumque prædecessores suos quomodolibet concessa, quatenus tamen sint in vsu, & decretis Sacri Concilij Tridentini non aduersentur; quam Bullam integram retulimus in *superiori tomo disp. 18. q. 3. n. 21. pag. 295.* Insuper idem Paulus V. alia Bulla incip. *Quantum Religio Societatis Iesu*, anno 1606. pridie nonas Septembris, motu proprio, ex certa scientia, & de plenitudine potestatis innouauit, ac confirmauit omnia, & singula priuilegia Societatis Iesu, non excipiendo ea, quæ non sunt in vsu; ergo Prælati Regulares, vigore prædictarum confirmationum, & innouationum possunt vti prædictis priuilegijs, quibus ante narratam constitutionem Sixti V. fruebantur, acsi ea non emanasset: & exindè absoluere subditos à censuris ratione simoniæ in Ordine contractis.

Quod autem huiusmodi confirmationes, & innouationes id operentur, docet *Suar. de Relig. tom. 4. tract. 8. lib. 2. cap. 21. num. 9.* dum ait Prælatos Regulares ex vi prædicti motus proprij Sixti V. non habere hanc facultatem circa suos subditos, nisi à Sede Apostolica habeant nouam confirmationem suorum priuilegiorum, quam, ait sufficere, si saltem viuæ vocis oraculo concedatur; docent etiam *Crousers lect. 12. §. arbitror in cap. 7. fol. 397. & lect. 26. §. dixi*, virtute præfatæ concessionis, in *cap. 7.* & satis dilucidè, ac perbellè *Barthol. de Vech. in prax. habend. pro Nouit. recip. disp. 9. dub. 3. à num. 4.*

6 Probatur, quia licet confirmatio, & innouatio priuilegiorum facta in forma communi nullum ius de nouo tribuat, sed solum vetus conseruat; ac ideo parum, aut nihil operetur, *cap. 1. & cap. examinata, cum suis gloss. de confirmat. vtil. vel inutili*, *Rota decis. 192. num. 2. par. 1. Recent.* Tamen, quando facta est ex certa scientia non dicitur simplex confirmatio, vel innouatio, sed ampliatio, & noua concessio, *cap. si Apostolica, vbi gloss. verb. confirmamus, de præbend. in 6. Panormit. in d. cap. 1. num. 6. vers. quandoque*, vbi etiam *decis. 1. num. 46. de confirmat. vtil. vel inutil. Rota d. decis. 192. num. 2. part. 1. & decis. 339. num. 3. part. 2. Recent.* & latè pluribus relatis id in termini probat *Barthol. de Vecch. dicto dub. 13. per tot.*

QVAESITVM XIV.

Verùm Abbates, & Prælati inferiores possint subditos ab excommunicatione, & censuris per simoniam circa beneficia, vel Prælationes obtinendas contractis absoluere.

SVMMARIVM.

1 *Beneficium, vel dignitatem per simoniam realem conferentes, vel alteri procurantes, in quas censuras incurrant, ostenditur.*
2 *Beneficij nomine in præsenti casu quæ veniant.*
3 *Prælati seculares an possint ab excommunicatione per simoniam circa beneficia commissam incursa absoluere.*
4 *Prælati Regulares possunt subditos ab huiusmodi excommunicatione absoluere.*
5 *Prælati idem an possint habilitare subditos ad beneficia, super quibus simonia commissa est, quando id contingit sciente electo.*
6 *Simonia quando commissa fuit electo ignorante quid faciendum, ostenditur.*
7 *Litigatore non causatur temeritas litigandi, donec propter iura aduersarij constituatur in mala fide.*
8 *Prælati inferiores Episcopalem iurisdictionem habentes an possint suos subditos simoniacè electos ad alia beneficia in posterum obtinenda habilitare.*

1 DE iure communi, qui beneficium confert, vel procurat alteri per simoniam realem, est ipso facto excommunicatus excommunicatione Summo Pontifici reseruata, *extrauag. cum detestabile, de sim.* Qui verò beneficium per talem simoniam acquirit est etiam ipso facto excommunicatus. Item repellitur ab assequutione beneficij nondùm obtenti, inhabilis non solum ad illud, super quo facta fuit conuentio, verum etiam ad alia obtinenda. *Nauar. in cap. fin. num. 28. de simon. & in cap. si quando, except. 4. de rescript. & in manual. cap. 23. num. 103.* & alij plures, quos congessit *Gonzalez super reg. 8. Cancellar. gloss. 15. num. 70. Rot. lib. 1. decis. 83. & lib. 3. decis. 145. & 150. par. 3. Diuers.* Præterea omnis electio, collatio, prouisio, nominatio, siuè institutio huiusmodi, est ipso iure nulla, & inanis, nullumq; ius tribuit, & consequenter ita simoniacè electus, vel prouisus, aut institutus ipso iure beneficijs priuatus est, itaut impetrari possint etiam absque alia declaratione, quæ post impetrationem fieri posset, *d. extrauag. cum detestabile*, firmant *Azor. instit. moral. part. 3. lib. 12. cap. 20. q. 8. Rebuff. in praxi benefic. tit. de simon. in resignat. num. 7. & seqq. Marescott. lib. 2. variar. resolut. cap. 35. num. 11. & seqq. Suar. tomo 1. de Relig. tract. 3. lib. 4. cap. 57. num. 22. Less. de iust. lib. 2. cap. 35. dub. 25.*

dub.25.num.137. & seqq. Nomine autem beneficij hic veniunt quæcunque dignitates, personatus, beneficia, officia Ecclesiarum, vel Monasteriorum, quæ per electionem, postulationem, nominationem, prouisionem, commendam, vel quamuis aliam canonicam dispositionem assequuntur; vt patet ex *d. extrauag.* Ideo idem etiam procedit quoad Abbatias, Prioratus, Præpositturas, Guardianatus, Prouincialatus, Generalatus, & similia munera, & Prælationes in Religionibus; quia verè Ecclesiastica officia censentur. Ita *Sorb. in annot. ad Compend. priuileg. verb. simonia, vers. secundò notandum, Roderic. Regular. quæst. tom.1.q.20.art 13. initio Suar. d.cap.57.num.47. P.Sigismund à Bonon. de elect. & potest. Prал. Regular. dub.58.num.18.vers. vnde*, subdens idem dicendum fore de Definitoriatu.

3 His sic stantibus, patet, quid dicendum sit de Prælatis secularibus; cum enim huiusmodi excommunicatio Summo Pontifici reseruata sit; vtique nullus ipso inferior ab illa absoluere poterit; si tamen crimen simoniacæ occultum sit, possunt Episcopi, vigore facultatis eis factæ à *Concil. Tridentin. sess. 24. de reformat. cap.6.* in foro conscientiæ absoluere huiusmodi simoniacos occultos, ac cum eis dispensare, *D. Augustin. Barbos. de offic. & potest. Episcop. part. 2. alleg. 39. num. 44. secundum impress. Lugdun.* ac per consequens idem poterunt Abbates, & alij Prælati inferiores, propriam Diœcesim, & in ea Episcopalem jurisdictionem habentes per ea, quæ docent *Sanch. lib. 8. de Matrimon, disp.2. num.12. & lib. 2. in Decalog. cap.11.num.5.* & alij, quos in *superiori disputatione quæs. 15. & disp. 20.q.vlt. in fine* retulimus, qua ratione eadem potestas reperietur etiam in Prælatis Regularibus, per ea, quæ dicemus, *d. quæs. vltim. num.2.*

4 Quo autem ad Regulares Prælatos, asserendum est ipsos virtute suorum priuilegiorum, quorum plura in Superiori disputatione retulimus, posse ab excommunicatione per huiusmodi simoniam incursa absoluere. Quia in prædictis priuilegijs traditur eisdem Prælatis auctoritas absoluendi à quibusuis casibus, & censuris etiam Apostolicæ Sedi reseruatis. Nec huiusmodi excommunicatio censetur habere singularem aliquam rationem, ob quam sub generali concessione non comprehendatur, sed indigeat speciali mentione, vt aduertit *Suar. d. lib.4.cap.41.nu.4. in fine*; ergò nihil obstat, quominus supradicti Prælati à tali excommunicatione suos subditos absoluere valeant. Atque ita tenent *Roderic. in d q.20.art. 13. Suar. de Relig. tomo 4. tract. 8. lib. 2. cap.21. nu.9. P. Sigismund. à Bonon. d. tract. dub.59.num.1. Bartholom. de Verrb. in praxi pro Nouit. recipiend. disp.9. dub. 13. in princip.*

5 An autem ijdem Prælati possint subditos habilitare ad eadem beneficia, aut officia, super quæ simonia commissa est, vel ad alia in posterum obtinenda? Quoad primam partem distinguo. Nam vel simonia commissa fuit ignorante electo, vel ipso sciente. Si commissa fuerit sciente electo, tunc vel deducta est ad forum contentiosum, & externum; & eo casu nequit per Episcopum, nec per consequens per inferiores Prælatos tolli, sed per solum Papam, vt colligitur ex *cap. nobis fuit, de simon. & ex cap. penult. de elect.* vbi dicitur Episcopum dispensare non posse, vt quis retineat Prælaturam, ad quam per simoniam, eo ignorante, ac ratum non habente, electus fuit, secus autem si sit beneficium simplex; quod si in hoc casu Episcopus dispensare non potest, multò minus poterit cum eo, qui sciuit, & non contradixit, sed per se simoniam patrauit. Atque ita *Felin. in cap. insinuatum in fine*, per illum *tex. in verb. perpetuò, de simon. Less. d.dub. 25. nu.140. in initio*, vbi testatur de communi, *Suar. de Relig. tomo 1. lib. 4. cap. 61. num.11. Nicol. Garc. de benefic. par. 8. cap.1. nu.74. D. August. Barbos. d. alleg. 39. num. 44. P. Sigism. à Bonon. d. tract. dub.59. num. 4.* & declaratum fuit à Sacra Congregatione, vt refert *Garc. loco cit.* in hæc verba. *Episcopus etsi à simonia occulta dispensare possit, non tamen simoniacum rehabilitare ad beneficia in posterum obtinenda, nec ad ea retinenda, quæ per simoniam occultam obtinuit.* Alia declaratio sic habet. *An Episcopus in vim huius decreti, vel capituli poterit absoluere Sacerdotem suum subditum à simonia occulta, & rehabilitare ad Ordines, & beneficia, tam obtenta, quàm obtinenda? Congregatio censuit potuisse absoluere, & ad Ordines rehabilitare; non tamen rehabilitare ad beneficia; quibus propter simoniam priuatus fuisset, nec ad obtinenda.* Ex quibus patet, quid dicendum sit, quandò simonia occultè commissa est; nam neque in hoc casu Episcopum, neque per consequens Regulares Prælatos dispensare posse, habetur in prædictis declarationibus Sacræ Congregationis, & sustinent Doctores citati, *Less. d. num. 140.* sententiam communiorem, tutiorem, & praxi conformiorem appellat; licet vigore facultatis à *Concilio Tridentino d. sess. 24. de reformat. cap. 6.* concessæ Episcopos posse huiusmodi inhabilitatem tollere, sustineant *Henriq. lib. 13. de excommunicat. cap.56. num.1. Campanil. in diuersor. iuris Canonici rub.11. cap. 27. num.66.* & alij.

6 Quandò verò simonia, electo, vel prouiso ignorante, commissa est, tunc rursus, vel beneficium curatum, aut dignitas acquisita fuit per simoniam; vel beneficium simplex; si beneficium curatum, vel dignitas, non poterunt Episcopi, nec per consequens inferiores Prælati dispensare pro illa vice, vt taliter electus illud obtineat; sed in alia vacatione sic *d. cap. penult. de elect. & cap. nobis, in fin. de simon.* quod est intelligendum, quandò electus sponte, & non metu iudicij tali beneficio renunciauit antè sententiam condemnatoriam. Ita *Felin. in cap. insinuatum, nu.5. in fine, de simon. & in cap. de simoniacè num. 4. eod. tit. Azor. moral. instit. part. 3. lib. 2. cap. 22. Sigism. à Bonon. d. dub.59. num.4. vers. si verò.* Quod si beneficium fuerit simplex, tunc si electus renunciauit antè sententiam, vel si eam expectauit, sed distulit renunciare, donec de simonia certificatus fuit; poterunt supradicti Prælati dispensare, secus si factus certior sententiam expectare voluit, *arg. cap. si beneficia, de præbend. in 6.* pro qua distinctione facit dictum *Barthol. in l. si quis inficiatus ff. depositi*, vbi ait,
7 quod in litigatore non causatur temeritas litigandi, donec propter iura aduersarij constituatur in mala fide. Atque ita *Felin. d. cap. de simoniacè, nu.5. vers. sed si fuit, Azor. loco cit. Suar. d. cap.61. num.10. Sigismund. à Bonon. loco cit. num.4. vers. si autem.*

8 Quoad

Digitized by Google

8 Quoad secundam dubij partem, an scilicet in prædictis Prælatis sit auctoritas dispensandi cum simoniaco, vt ad alia beneficia in posterum promoueri possit? Respondetur, quòd si scienter acquisiuit quis beneficium per simoniam, & illi ante sententiam condemnatoriam spontè renunciauit, quamuis non dispensetur secum, vt illud ea vice obtineat, vt supra diximus; tamen ad alia in posterum obtinenda poterunt eum eo Episcopi, ac per consequens inferiores Prælati Episcopalem iurisdictionem habentes dispensare; secus si non renunciauerit, sed expectauerit sententiam.

Quando autem simonia ignorante electo commissa fuit, poterit is ad alia beneficia, etiam absque dispensatione promoueri, nam neque inhabilis efficeretur, quia nulla culpa commissa est, ob quam illa inhabilitas est constituta. Ita *Felin. & Azor. locis citatis Less. d. dub. 25. num. 142. Vgolin. de censur. tab. 4. cap. 6. §. 7. Sigismund. à Bonon. d. dub. 59. nu. 5.*

QVAESITVM XV.

Vtrùm Abbas possit absoluere suos subditos à casibus Bullæ in Cœna Domini.

SVMMARIVM.

1 *Prælatos Religionum posse suos subditos à casibus Bullæ Cœnæ Domini absoluere qui tenent, referuntur, & num. 2. eorum fundamenta recensentur.*
3 *Negatiuam partem sequitur Auctor.*
4 *Abbates, & Prælati habentes territorium, & Diœcesim, & in ea iurisdictionem quasi Episcopalem in casu necessitatis possunt absoluere à censuris in Bulla Cœnæ contentis.*
5 *Abbates, & Prælati habentes territorium, & Diœcesim possunt omnia in suo territorio, & circa suos subditos, quæ possunt Episcopi circa suos.*

1 SVper hac materia, ita graui nonnulli Auctores multa scripserunt, vt *Eman. Rodric. in quæst. Regular. tom. 1. q. 20. art. 9.* qui, etsi in partem affirmatiuam inclinare videatur, motus nonnullis rationibus à se adductis, tamen se Sanctæ Matris Ecclesiæ correctioni submittit, nec audet hoc pro certo statuere. *Ludouic. Mirand. a. tom. manual. Prælat. q. 24. art. 5. Bullam Cœnæ*, etsi recenseat, tamen non declarat, an talis facultas absoluendi à censuris Bullæ Cœnæ reperiatur nec ne in Prælatis Regularium, *Franc. Corolan. in tract. de casibus reseru.* in calce libri affirmat Regulares non posse, nec etiam virtute suorum priuilegiorum à suis Prælatis absolutionem casuum Bullæ Cœnæ obtinere, propter quoddam decretum Sacræ Congregationis eodem loco ab ipso recitatum, imò aliquo modo reprehendit *Suar.* qui in *tomo 5. disput. 21. sect. 3. num. 4.* tenet partem affirmatiuam, & dicit quod doctrina *Suar.* locum haber, antequam emanarat decretum Sacræ Congregationis. At ipsemet *Suar.* non solum eo tempore antè illud decretum, sed etiam postea in *tomo 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 21.* per totum longam aggreditur disputationem super hac materia affirmans posse Religionū Prælatos à casibus Bullæ Cœnæ suos subditos absoluere, & hoc multis conatur rationibus

2 probare. Primò, ex priuilegio Sixti IV. quod habetur in *Comprnd. Societ. §. 6. verbo absolutio*, in quo à generali concessione quatuor tantum casus excipiantur videlicet. *Relapsus in hæresim, schisma, literarum Apostolicarum falsificatio, & delatio prohibitorum ad infideles*, qui omnes in Bulla Cœnæ Domini continentur, exceptio autem firmat vniuersalem regulam in contrarium, vt iura clamant; ergò ex vi illius priuilegij hæc potestas extenditur ad omnes alios casus in Bulla Cœnæ contentos. Secundò, ex priuilegio Gregorij XIII. qui concessit facultatem Societatis Iesu *Absoluendi ab hæresi, & à relapsu etiam in hæresim eos omnes, qui sub Societatis obedientia viuunt, si quis (quod Deus auertat) in tam incideret*, sed inter casus dictæ Bullæ lapsus in hæresim habet maximam specialitatem; ergò à fortiori intelliguntur traditi omnes cæteri casus in eo priuilegio. Ac post multas alias rationes, & argumēta hinc indè adducta, eorumque solutiones, concludit priuilegia, vt supra concessa sufficere de se, adhoc, vt Prælati Regulares suos subditos à casibus in dicta Bulla reseruatis, præter exceptos, absoluere possint; affirmat insuper prædictas facultates per Bullam Cœnæ non esse reuocatas; quod etiam benè comprobat, vt latius apud eumdem erit videre loco citato, referens nonnullos Doctores affirmantes, priuilegia prædicta Regularibus non suffragari, sed iam reuocata, &c. alij dicunt, huiusmodi priuilegia reuocata fuisse non per Bullam Cœnæ tantū, sed etiam per decretum S. Congreg. ex speciali mandato Clementis VIII. factum anno 1601. 9. Ianuarij, incip. *Sacra Congregatio*, quod moderatum fuit per aliud decretum editum ab eadem Sacra Congregatione anno 1602. 26. Nouembris, incip. *Cum autem*, postea confirmatum fuit, simulq; innouatum à Paulo V. anno 1617. 7. Ianuarij, per constitutionem, incip. *Quoniam Sacra Congregatio*. Alij dicunt Priuilegijs concessis Regularibus per eamdem Bullam derogari; quia quolibet anno processus Bullæ promulgatur cum reseruatione casuum, & cum clausula derogatoria, dicentes quod Regulares adhoc, vt his priuilegijs vti possint, debent per Procuratorem Generalem curare, vt ponatur in Bulla exceptio Religiosorum, vel quod Generalis præcipiat Procuratori Generali, vt quolibet anno, transacta promulgatione Bullæ Cœnæ, obtineat facultatem absoluendi Monachos à casibus in eadem contentis, qua obtenta, poterunt Prælati suos Monachos, si opus esset à casibus sic reseruatis absoluere. Alij verò hanc partem negatiuam ita probant, quia in dicta Bulla derogatur. *Omnibus priuilegijs in genere, & in specie concessis, & innouatis concedendis, & innouandis*, & non derogatur priuilegijs, quę continent casus Bullæ Cœnæ in indiuiduo. Ratio est, quia si Summus Pontifex voluisset; etiam priuilegia indiuidualiter loquentia abrogare per omnium casuum expressionem, vel per aliam clausulam, idem importantem, dixisset in genere, in specie, & in indiuiduo, vt dicunt *Alter. de censur. tomo 1. lib. 3. disp. 22. cap. 3. § respondeo, quantum, & Duard. in Bull. Cœn. Dom. lib. 3. §. 2. q. 1. num. 8.* quando autem dicantur priuilegia tribuere facultatem absoluendi in genere, in specie, & in indiuiduo, explicant *Alter. & Duard.*

Digitized by Google

& *Duard. locis citatis*; Cum igitur in Bulla prædicta reuocentur priuilegia quæcumque in genere, vel in specie quibuscumque concessa, vt patet ex §. eius 2. & prædicta priuilegia Regularibus concessa non tribuant eis facultatem absoluendi à casibus Bullæ Cœnæ in indiuiduo, absque dubio reuocata censentur. Ita *P. Sigismund. à Bononia in tract. de elect. & potest. Prælat. Regular. dub. 69. num. 13.*

3 Negatiuam igitur sententiam sequendo, quæ tutior est, ac in praxi seruatur, dicendum est, nullo modo Prælatos Regulares virtute d. priuilegij, nec alium quemlibet Romano Pontifice inferiorem prætextu quarumuis facultatum, ac priuilegiorum à casibus, & censuris in Bulla Cœnæ Domini contentis absoluere posse, siuè priuilegia habeantur ratione personarum, siuè ratione Ordinis, siuè ratione loci, in quo sunt, siuè ratione Congregationis, vel Vniuersitatis, de qua sint, siuè Hospitalium, vel aliorum piorum locorum, vt patet ex *d. §. 2. eiusdem Bullæ Cœnæ*, ita tenent quoad Regulares *Confect. in sum. priuileg. tit. de Reg. Confess. cap. 3. Collect. Compend. priuileg. Mendicant. tit. absolutio ordinaria quoad fratres, Sorb. in annot. ad idem Compend. ibid. fol. 29. & in resolut. mater. absolut. fol. 54 & 55. in 2. edit. Greg. Sayr. de censur. lib. 3. cap. 25. num. 5. Iacob. à Graff. in append. lib. 1. de casib. reseruat. cap 7. num. 22. Ioan. de la Cruz de stat. Relig. lib. 1. cap. 6. dub. 15. conclus. 1. Francisc. Coriolan. Alter. Duard. & P. Sigismund. à Bononia locis citatis, Zenard. in direct. Theolog. par. 2. cap. 17. vers. octauo, Nald. in sum tit. Nouitius nu. 7. Bartholom. de Vecch. in prax. pro Nouit. recip. disp. 9. dub. 6. num. 3.* & eam tutam, ac in praxi seruandam dixit *Sanch. in præcepta Decalogi lib. 2. cap. 11. à n. 26.* quicquid in contrarium asserere conentur *Roderic. et Suar. locis citatis*, & alij, quos citat, & sequitur *Laurent. de Peirin. tom. 1. priuileg. Ord. Minim in annot. ad constitut. 4. Sixti IV. 40. num. 10.* qui hanc opinionem plurimis rationibus probare conatur. Si tamen alicui concessa fuisset, vel in futurum concederetur facultas absoluendi à casibus prædictis in indiuiduo, nempè ab hoc, vel illo casu ex contentis in eadem Bulla Cœnæ, v. g. deprædationis maritimæ, delationis armorum ad hæreticos, vel infideles, hæresis, vel aliorum huiusmodi, posset vtique legitimam ab eis casibus absolutionem præstare, etiam extra mortis articulum, quia (vt dictum est) in eo §. 2. *dictæ Bullæ*, derogatur dumtaxat priuuilegijs in genere, vel in specie concessis, & concedendis absoluendi à casibus, & censuris in eadem Bulla contentis; ergò non censentur reuocata priuilegia concessa, ac in posterum concedenda in indiuiduo ab eisdem casibus, & censuris absoluendi. Quia inclusio vnius est exclusio alterius; *arg. tex. in cap. nonnè, de præsumpt.* tùm etiam, quia sumus in odiosis, & ideo verba strictè interpretanda sunt, notant *Duard. d. q. 1. num. 6. & 7. Alter. & P. Sigismund. à Bonon. d. dub. 69. num. 11.*

4 Limitatur principalis conclusio; vt liceat Abbatibus, & Prælatis habentibus territorium, & Diœcesim, & in ea iurisdictionem quasi Episcopalem, legitimo impedimento detentos à casibus, & censuris in Bulla Cœnæ contentis, sicut etiam ab alijs Apostolicæ Sedi reseruatis absoluere extra mortis articulum. Quia potestas absoluendi à casibus Apostolicæ Sedi reseruatis in casu necessitatis in Episcopis reperitur, vt probant *gloss. in cap. de cætero, in verb. licet*, vbi etiam *Panormit. num. 1. de sent. excommunicat. Nauar. in manual. cap. 27. num. 85. vers. ad primum verò, & vers. ad septimum, Sanch. in Decalog. lib. 2. cap. 15. circa fin.* At Abbates, & Prælati prædicti habent iurisdictionem Episcopalem, & regulariter possunt omnia in suo territorio, & circa suos subditos, quæ possunt Episcopi circa suos, vt docet idem *Sanch. de matrimon. lib 8. disp. 2. num. 10. & 12. & d. cap. 15 lib 2. in Decalog. num 4. & 5.* Ergò etiam poterunt subditos legitimè impeditos à prædictis casibus absoluere, hanc sententiam probabilem dicit *Duard. d. §. 2. q. 8. num. 52.*

5 Ex quo sequitur eosdem Abbates, & Prælatos, si in censuras, & casus reseruatos vt supra incidant, & legitimo impedimento detenti Apostolicam Sedem ad absolutionis beneficium obtinendum adire nequeant, facultatem, quam ipsi à iure habent, absoluendi posse alteri committere, vt ipsos absoluat; sicut in simili dicemus quoad potestatem dispensandi, nam non debent esse peioris conditionis, quam inferiores, & sibi subditi, vt in simili quoad Episcopum, docet *Suar. de censur. disput. 41. sect. 2. num. 9.* vbi testatur ita respondisse Sacram Congregationem Illustrissimorum Cardinalium super *cap. 6. sess. 24. Concil. Trident. de reformat.* & in materia, de qua loquimur, de Episcopo docet *Duard. d. §. 2. q. 9. num. vlt.* vbi in fine hoc limitat, nisi Prælatus esset nominatim denunciatus, aut publicus Clerici percussor, quoniam in his casibus est à iurisdictione suspensus, & ideo eam delegare non potest.

QVAESITVM XVI.

Vtrùm Abbas possit suos subditos à censuris in Clauium contemptum incursis absoluere.

Ratio dubitandi est quia Eugenius IV. in quadam Bulla Fratribus Minoribus data concedens, quod ipsi Fratres possint plenariè ab omnibus censuris, & peccatis absolui, addit, *nisi peccata in contemptum Clauium commissa fuerint, vel nisi commissa fuerint spe, & fiducia talium priuilegiorum*; id ipsum habetur in concessione facta à Bonifacio IX. cum eadem conditione in *supplemento fol. 120. conc. 542.* His tamen non obstantibus, possunt Monachi à suo Abbate ab huiusmodi censuris, & peccatis absolui, etsi in ea per Clauium contemptum inciderint, vel etsi ea commiserint sub spe, & fiducia talium priuilegiorum; & hoc virtute priuilegij Clementis IV. & aliorum supra à nobis relatorum, quæ vniuersaliora sunt, & nouiora, nec illas restrictiones, & limitationes addiderunt, & ideo prædictorum Prælatorum potestas circa hoc ampliata est. Nec necessaria fuit expressa reuocatio prioris illius limitationis, quia satis est, vt ea apposita non fuerit. Atque ita *Roderic. quæst. Regular. tom. 1. q. 20. art. 5. Suar. de Relig. tom 4. tract. 8. lib. 2. cap. 21. num. 10. & duobus sequentibus.*

QVAE-

QVAESITVM XVII.

Vtrùm Abbas possit absoluere suos Monachos ab hæresi occulta.

SVMMARIVM.

1 *Concilium Tridentinum Episcopis facultatem ab hæresi occulta subditos absoluendi concessit.*

2 *Potestas eadem intelligitur concessa Abbatibus, & Prælatis inferioribus Episcopalem iurisdictionem in Diœcesi propria habentibus.*

3 *Prælatis Regularibus an competat vigore Conc. Trid. potestas absoluendi sibi subditos Regulares ab occulta hæresi, ostenditur. & num. 4.*

5 *Mortis in articulo potest quis non solum ab hæresi occulta, sed etiam à quibuscumque peccatis etiam à simplici Sacerdote absolui.*

1 VT huius quæsiti materia clarius elucescat, notandum *Concilium Tridentinum sess. 24 de reformat. cap. 6.* duplicem facultatem Episcopis concessisse, alteram dispensandi in quibuscumque casibus ex delicto occulto, nec ad forum contentiosum deducto prouenientibus, excepto homicidio voluntario. Alteram absoluendi in foro conscientiæ suos subditos in sua Diœcesi à quibuscumque casibus occultis, nec ad forum contentiosum deductis, per ipsos, vel per Vicarios ad id specialiter deputandos, & postea subdit. *Idem, & in hæresis crimine in foro conscientiæ eis tantum, non eorum Vicarijs sit permissum.* Et antè illud Concilij decretum licet hæretici de iure antiquo excommunicationem latæ sententiæ incurrerent, vt constat ex *can. Achatius, 24. q. 1. cap. ad abolendam, & cap. excommunicamus. 1. & 2. de hæretic. cap. nouerit, de sent. excommunicat. cap. quicumque, de hæretic. in 6.* tamen illa excommunicatio per Bullam Cœnæ Domini Summo Pontifici reseruata fuit, vt patet ex prima excommunicatione dictæ Bullæ Cœnæ, vbi excommunicantur omnes hæretici, & apostatæ à fide, & absolutio Summo Pontifici reseruatur: quæ tamen postea per prædictum Concilium Episcopis concessa fuit. Videndum est igitur in præsenti, an eadem facultas ad Abbates, & Prælatos inferiores extendatur. Ad quod dicendum
2 est primò Abbates, & Prælatos inferiores habentes propriam Diœcesim, & in ea Episcopalem, seu quasi Episcopalem iurisdictionem priuatiuè ad Episcopum posse eius decreti vigore suos subditos eodem iure ab hæresi absoluere, sicut possunt Episcopi suos; quia ibi nomine Episcopi intelliguntur Abbates habentes iurisdictionem Episcopalem, nec eligitur industria personæ Episcopi, & si qua industria eligitur, est Episcopi, vel habentis iurisdictionem Episcopalem; & hoc tenent *Sayr. in Claui Regia lib. 6. cap. 17. nu. 83. in fine, Auil. de censur. par. 7. disp. 10. dub. 6. Roderic. 2. tom. summa cap. 10. num. 6. conclus. 6. & quæst. Regular. tom. 1. q. 24. art. 13. & 17. & quæst. 61. art. 9. Flores de Mena variar. lib. 3. q. 24. num. 18.* pluribus probat *Sanch. lib. 8. de matrim. disp. 2. num. 12. & lib. 2. in Decalog. cap. 11. num. 5.* Quo autem ad Regula-
3 res Prælatos exemptos proprium territorium non habentes, *Suarez tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 20. nu. 10. & seq. & Roderiq quæst. Regular. tom. 1. q. 20. art. 10.* concludunt ipsos non posse à crimine hæresis, etiam occulto, suos subditos absoluere; sed diuersimodè id probant; *Suarez* namque ait, quòd si per Bullam Cœnæ Domini talis facultas à Concilio Tridentino Episcopis collata abrogata non fuisset, eam obtinerent etiam Prælati Regulares per motum proprium Pij V. in quo (vt superius dictum est) voluit, vt illa facultas extenderetur etiam ad Prælatos Ordinis Prædicatorum, ac per consequens aliarum Religionum habentium priuilegium communicationis, tamen censuit facultatem illam per Bullam in Cœna Domini abrogatam fuisse, & quod Abbates, & cæteri Religionum Prælati subditos à crimine hæresis etiam occulto absoluere nequeant. *Rodriq* autem asserit alia ex causa id ipsis non licere; nempè, quia licet Episcopi possint ab hæresi occulta in foro conscientiæ absoluere; non propterea sequitur idem licere Prælatis Regularibus habẽtibus iurisdictionem quasi Episcopalem, quia dicit Episcopos hic se habere tamquam Inquisitores, imò quod sint Inquisitores hæreticę prauitatis; Pręlati autem Regulares non sunt Inquisitores respectu sibi subditorum, & ideo non sequitur; Pręlati Regulares habent iurisdictionem Episcopalem, seu quasi; ergò sicut Episcopi suos Diœcesanos à crimine hęresis occultę absoluere possunt, ità & illi suos subditos, quia Episcopi vltrà iurisdictionem Episcopalem, habent etiam ratione muneris ipsorum annexum munus Inquisitorum, & ex alijs rationibus, vt latius per eum loco citato; quod quomodocumque se habeat, & quamuis *Suar. vbi sup. num. 11.* conetur fundamentum probationis à *Roderic.* allatę excludere, tamen ambo concludunt quamuis diuersis rationibus, non licere Abbatibus, & Religionum Pręlatis suos Monachos, & subditos ab heresis crimine occulto absoluere; sic etiam docet *Auila de censur. par. 7. disp. 10 dub. 6. notab. 3 Vega 2. tomo summa, cap. 125. casu 12. in fine, Sanch. in Decalog. lib. 2. cap. 17. num. 7. ad finem*, asserentes, nec decreti Concilij, nec d. priuilegij vigore hos Regulares Prælatos talem potestatem habere; quia licet Pius V. expressè concedat, vt possint absoluere à casibus in eo *cap. 6. Concilij Tridentini* Episcopis concessos, inter quos specialiter de hęresi mentio habetur, tamen in nulla generali concessione censetur hęresis absolutio comprehendi, nisi specialis de ea mentio habeatur.

4 Quod si verum est fundamentum *Suarez*, nullus dubitandi locus amplius super hac materia remanet, neque quoad Prælatos Regulares, neque quoad Abbates, & Prælatos propriam Diœcesim habentes; quia si per subsequentes Bullas Cœnæ Domini facultas illa Episcopis adempta est, vtique Prælatis inferioribus, qui Episcopi nomine comprehendebantur, ac eam participabant, sublata censeri debet. Et quod per subsequentes Bullas prędicta facultas Episcopis concessa reuocata sit, fatentur, *Azor. instit. moral. tom. 1. lib. 8. cap. 19. q. 3. & cap. 20. q. 10. Suar. tom. 4. in 3. par. disp. 30. sect. 2. num. 11.* referens ità declarasse Sacram Congregationem, & *tom. 5. disp. 21. sect. 3. num. 5. Molin. tom. 4. de iust. disp. 64. num. 8.* & alij plures, quos refert *Sanch. in d. cap. 11. num. 26. qui num. seq. in fine*, concludit, quamuis res sit valdè

dubia,

dubia, & ob rationes ex vtraque parte adductas, vtraque sententia probabilis reddatur: tamen omninò tenendum esse Episcopis id amplius non licere, & quod contrarium est valde dubium, & parum tutum, atque ità cum eis concludendum videtur.

5 Hic tamen notandum est, quod in articulo mortis potest quis non solum ab hæresi occulta absolui, sed etiam à quibuscumque peccatis, nè dum per suum Abbatem, & Prælatum, sed etiam per simplicem Sacerdotem. Ratio est, quia in mortis articulo nulla datur reseruatio casuum, ex *Concilio Tridentino sess. 14. cap. 1. §. hanc autem, de Sacramento Pœnitentiæ, Valent. tom. 4. disput. 7. q. 10. punct. 2. Simancb. de Catholic. instit. tit. 3. num. 3 Tamb. de casibus in articul. mort. prælud. 1. Nauar. cons. 1. num. 7. Roias de hæret. par. 2. num. 320. Gutier. canon. quæst. lib. 1. cap. 1. num. 59.* & alij. Sed cum limitatione procedendum est, nempe quando non est copia Superioris potestatem habentis, quoad hanc absolutionem, multi tamen Doctores sustinent, quod in mortis articulo simplex Sacerdos potest absoluere, etiam in præsentia Superioris, sed tutius, & securius est, vt coram Superiore potestatem absoluendi habente, simplex Sacerdos non absoluat, vt benè probat *D. Anton. Ricciull tract. de iure personarum extra gremium Ecclesiæ existentium lib. 5. cap. 14. nu. 19. & 20.*

DISPVTATIO XV.

De potestate Abbatum, & Prælatorum inferiorum quoad suspensiones ferendas, nec non ab eis absoluendum.

Quæst. 1. Vtrùm Abbas possit suspendere.

Quæst. 2. Vtrùm Abbas possit laicos sibi subditos suspendere.

Quæst. 3. Vtrùm Abbas possit suspendere Monasteria, Communitates, & Collegia sibi subiecta.

Quæst. 4. Vtrùm Abbates, & Prælati inferiores possint subditos à suspensione ob Ordines malè susceptos contracta absoluere.

Quæst. 5. De nonnullis suspensionibus, quæ contra Abbates, & Prælatos inferiores à iure latæ sunt.

Quæst. 6. Vtrùm Abbas suspensus à Pontificalibus censeatur etiam suspensus ab actibus iurisdictionis.

Quæst. 7. Vtrùm Abbas suspensus ab Ordinis collatione, sit etiam suspensus à Pontificalibus.

Quæst. 8. Vtrùm Abbas suspensus à celebrando, sit etiam suspensus ab alijs actibus Ordinis, nempè Ordines conferendi.

QVAESITVM I.

Vtrùm Abbas possit suspendere.

SVMMARIVM.

1 *Excommunicare qui possunt, possunt etiam suspendere.*

2 *Suspendere potest Abbas Regulares subditos.*

1 Regulariter omnis, qui iure Ordinario potest excommunicare, potest etiam eodem iure suspendere; vna enim, eademq; est iurisdictionis potestas circa Ecclesiasticas censuras, *cap. quærenti, de verb. signif.* & licet possit per Ecclesiam committi iurisdictio ad hunc actum, & non ad alium, tamen id non fit; quia omnes hæ censuræ ad eumdem finem ordinantur, & se mutuò iuuant ad contumaces, & rebelles compescendum, & ideo, qui potestatem habet ad excommunicandum, habet etiam ad suspendendum. Ità *Summistæ communiter, verbo suspensio, Nauar. in manual. cap. 27. num. 159. Suar. de censur. disput. 28. sect. 1. num. 2.* & alij communiter.

2 Quarè cùm Abbates, & Prælati inferiores habentes iurisdictionem Episcopalem, seù quasi (vt probauimus in *antecedenti disp. quæs. 1.*) iure Ordinario poterunt & illos suspendere. Quod insuper probatur; quia habent facultatem coercendi suos subditos per quascumque Ecclesiasticas censuras, quæ alias iustè possent in tali materia, seù crimine personis imponi; Nam in Episcopis est eadem potestas; ergò & in his Prælatis; ergò possunt suspensionis censuram ferre.

Obijcies. Non semper vni, eidemque excommunicandi, & suspendendi, & è contra auctoritatem traditam esse: quia Abbatissa potest suspendere Clericos Ecclesiarum sibi subiectarum à beneficio, vt patet ex *text. in cap. dilecta, de maiorit. & obed.* cùm tamen eos excommunicare non valeat, vt tradunt communiter DD. ergò falsa conclusio. Respondeo, suspensionem in eo textu latam ab Abbatissa re vera non fuisse censuram, sed quoddam præcepti genus, & quędam prohibitio, ob cuius violationem non fuisset contracta irregularitas. Igitur patet Abbates, & Prælatos inferiores posse suspendere omnes illos, in quos Ecclesiasticam iurisdictionem habent; quæ suspensionis sententia in scriptis ferenda est; Ità *Nauar. in manual. cap. 27. num. 159. Suarez tom. 5. disput. 28. sect. 5.* vbi tradit quis modus seruandus sit in suspensione ferenda, *Syluest. verb. suspensio, num. 4.* forma autem suspensionis in scriptis tradenda non determinatur in lege canonica, sed tantum in ea habetur, vt in scriptis ponatur, præmissa trina canonica monitione, sicut de excommunicatione dictum est, ità *Suar. & Nauar. loco citato, per tex. in cap. 1. de sentent. excomm. lib. 6. vbi glos.* Sic etiam non inuenitur aliqua determinata verba, vel forma pro absolutione suspensionis, vt dicunt communiter

muniter DD. & præcipuè *Valentia, Rodriq. Filliuc.* quos citat, & ſequitur *Bonac. de cenſur. diſput. 3. de ſuſpenſ. punct. vlt. num. 12.* vbi tamen aſſerit, hæc verba eſſe in vſu. *Ego te abſoluo à vinculo ſuſpenſionis, in quam incurriſti, & reſtituo te ad executionem tui muneris, vel ordinis, vel ad beneficium, &c.* In qua abſolutione non eſt neceſſariam cauſam, ob quam contracta fuit ſuſpenſio, aſsignare, ex *eodem Bonacina loc. cit. num. 3.*

QVAESITVM II.

Vtrùm Abbas poſsit laicos ſibi ſubditos ſuſpendere.

SVMMARIVM.

1 *Suſpenſio propriè non cadit ſupra laicos, ſed ſupra Eccleſiaſticos, illos aliquo ſpirituali exercitio priuans.*

2 *Suſpenſio quid ſit, oſtenditur.*

QVamuis, ex quorumdam ſententia, poſsint ſuſpendi laici ab ingreſſu Eccleſiæ, & à Sacra Communione, ſicut probabile videtur per *extrauag. vnic. de ſent. excom.* Communior tamen, verior, ac praxi conformior ſententia contrariam tuetur partem, concedens ſolas perſonas Eccleſiaſticas poſſe ſuſpendi, laicas verò impropriè, & lato vocabulo, ac nomine generali. Suſpenſio enim propriè non
1 cadit ſupra laicos, ſed ſupra perſonas Eccleſiaſticas, illas aliquo ſpeciali exercitio priuans, *gloſſ. in cap. quicumque, verb. miniſtris, de ſentent. excommunic. in 6.* & ibi communiter DD. cum ea tranſeuntes, *Panormit. in cap. duranum. in. de crimin. falſi, Sylu. verb. ſuſpenſio, num. 3.* & alij Doctores ſtatim citandi, quod colligitur ex ipſius ſuſpenſionis diffinitione, quæ propriè accepta, ſic traditur à Doctoribus. Su-
2 ſpenſio eſt cenſura quædam Eccleſiaſtica, qua perſona Eccleſiaſtica impeditur, ne exerceat functiones, ſui beneficij, vel officij, vel Ordinis, in totum, vel in partem, in perpetuum, vel ad tempus. Ità *Nauar. in manual. cap. 27. num. 151. Gregor. à Valentia tomo 4. diſp. 17. q. 28. punct. 1. Henriq. lib. 3. cap. 31. num. 2. Sayr. de cenſur. lib. 4. cap. 2. num. 13. Suar. de cenſur. diſp. 25. ſect. 1. num. 2.* & alij apud *Bonac. eod. tract. diſput. 1. q. 1. punct. 1. num. 1.* Quamobrem dicimus ab Abbate, non ſolum Monachos ſuos ab eorum officij, & beneficij exercitio in parte, ſiuè in totum ſuſpendi poſse; ſed etiam Clericos, aliasq; Eccleſiaſticas perſonas, in quas iuriſdictionem ferè Epiſcopalem ſibi vendicat, non autem laicos.

QVAESITVM III.

Vtrùm Abbas poſsit ſuſpendere Monaſteria, Communitates, & Collegia ſibi ſubiecta.

SVMMARIVM.

1 *Monaſteria, Communitates, & Collegia ſuſpendi poſſunt, licet non excommunicari.*

2 *Monaſteriorum, Capituli, atq; Collegij nomine quid intelligatur in præſenti, oſtenditur.*

1 QVamuis Monaſteria, Communitates, & Collegia excommunicari non poſsint, vt voluit *Sotus in 4. diſt. 22. q. 2. art. 1.* & communiter omnes, tamen nihil obſtat, quod Abbas illa ſibi ſubiecta ſuſpendere non poſſit, vt voluit *Suar. 5. tomo in 3. par. D. Thom. diſp. 28. ſect. 3. à num. 1. cum ſeqq.* & ratio eſt. Quia cum quælibet Congregatio, ſicut eſt capax officij, aut beneficij Eccleſiaſtici, ità etiam culpæ capax eſſe poſsit; ſequitur, quòd etiam ſit capax priuationis, & ſuſpenſionis ab huiuſmodi officio, & beneficio; & ratio differentiæ, cur Communitas ſuſpendi, non autem excommunicari poſsit, eſt, quia pœna ſuſpenſionis non eſt ità grauis, & ſpiritualis, ſicut excommunicatio: nam non priuat bonis internis, ſeù Eccleſiaſticis ſuffragijs, & auxilijs, quæ ad internam animæ ſalutem ordinantur, & proſunt, ſicut eſt excommunicatio, idcircò in hac pœna ſuſpenſionis non adeſt illud animarum periculum, propter quod prohibitum fuit, nè Communitas excommunicari poſsit. Prætereà indecens eſt, vt innocentes excommunicentur, quod accidere poſset, ſi in aliqua Collegia, & Communitates excommunicatio fulminetur, non eſt autem abſurdum illos aliquãdo ſuſpenſionis pœna ligari; Ità *Roder. in ſum. part. 1. cap. 78. n. 2. Vgol. de cenſ. tab. 2. cap. 26. §. 1. Sayr. eod. tract. lib. 1. cap. 8. nu. 2. & 20. Suar. loc. cit. & diſp. 4. ſect. 2. nu. 1. cum ſeq. Aegid. de Conineb. de cenſur. diſp. 13. dub. 6. nu. 46. Mart. Bonac. de cenſ. diſp. 1. q. 1. punct. 4. ſub n. 8. verſ. dixi ad incurrendam cenſuram,* & alij; Et de hoc ſunt nonnulla exempla in iure, vt *cap. vnico, nè Sede vacante in 6.* vbi ſuſpenditur Capitulum à collatione beneficiorum, *cap. ſi ſententia, de ſentet. excommunication. eodem lib.* & in *Concil. Tridentin. ſeſſ. 24. cap. 16.* vbi Capitulum Sede vacante non conſtituens Oeconomum, & Vicarium tempore, & modo ibi præſcriptis priuatur poteſtate illos miniſtros conſtituendi, quod eſt quaſi ab eo munere, pro illa vice ſuſpendi. Item ex *cap. quiſq; de elect. in 6. et extrauag. 1. de elect.* vbi non ſolum Capitula Eccleſiarum, verum etiam Conuentus Monaſteriorum, ſcilicet Regularium à beneficijs ſuſpenduntur. Hominibus verò Capituli, &
2 Monaſteriorum, atq; Collegiorum intelliguntur ea loca, vbi perſonæ Eccleſiaſticæ, tàm Clericorũ, quàm Regularium inhabitant. Igitur Abbates, & Prælati Generales in Capitulum Prouinciale, & Prouinciales in Capitulum Conuentuale, abſque dubio ſuſpenſionis ſententiam ferre poſſunt, ſunt enim verè, & propriè Prælati, & Iudices reſpectu illorum, & habent in ea iuriſdictionem ſpiritualem in foro externo, cũ qua iure Ordinario annexa eſt hæc poteſtas, quæ etiam eſt vtilis ad communem gubernationem, nec adeſt aliqua ratio, quæ ſuadeat eorum iuriſdictionem forè in hoc limitandam. Abbates autẽ, & Prælati Conuentuales licet poſsint ſingulas perſonas ſibi ſubditas ſuſpendere, non tamen Cõmunitatem, ſeù Capitulum, quia nõ habent Capitulum à ſeipſis diſtinctum, & ſibi ſubiectum, vt Generales, vel Prouinciales, quia Prælatus Conuentualis non habet iuriſdictionem extra ſuum Capitulũ; cum autem ſit eius caput, peccatum ipſius Capituli, vt Capitulũ eſt ipſi Prælato præcipuè

imputatur, & ideo non potest illud, vt Capitulum est, suspendere, quia sic esset iudicare in causa propria, & semetipsum suspendere, quod non licet. Vnde quamuis iustè singulos suspenderet, ipse tamen semper manet habilis, & in eo vox Capituli conseruaretur per ea, quæ docet *Panor. in cap. 1. num. 5. de elect.* cuius doctrinam communiter receptam testatur *Nau. cons. 58. de Regular.* Atque ità *P. Suarez de Relig. tom. 4. tract. 8, lib. 2. cap. 9. num. 8.*

QVAESITVM IV.

Vtrùm Abbates, & Prælati inferiores possint subditos à suspensione ob Ordines malè susceptos contracta absoluere.

SVMMARIVM.

1 *Ordines sacros ante legitimam ætatem, vel extra tempora à iure statuta, aut sine dimissorijs literis recipientes sunt ipso iure suspensi.*

2 *Papa inferiores ab huiusmodi suspensione absoluere posse arguitur.*

3 *Concessum censetur quicquid expressè prohibitum non reperitur.*

4 *Absoluere nemo valet excepto Summo Pontifice à suspensione ob Ordines malè susceptos incursa.*

5 *Absolutio à suspensione incursa ob Ordines male susceptos ex lapsu viginti annorum præsumitur.*

1 Pro huius quæsiti intelligentia supponendum ac ex dictis supra est animaduertendum, quod sacri Ordines antè legitimam ætatem, vel extra tempora à iure statuta, vel sine dimissorijs suorum Prælatorum literis ab alieno Episcopo suscipientes ipso iure ab executione susceptorum Ordinum, suspensi remanent quoad vsque absolutionis beneficium obtineant, per *extranag. Pij II. incip. Cum ex Sacrorum*, quam verbatim refert *D. Barbos. de offic. & potest. Episcop. par. 2. alleg. 17. nu. 10. in 2. edit.* & firmant *Conar. in Clem. si furiosus par. 1. §. 1. num. 4. Rebuff. in praxi benefic. tit. de Cleric. ad sacros Ord. promot. gloss. 4. num. 3. Tolet. in instruct. Sacerdot. lib. 1. cap. 61. Steph. Quaranta in summa Bull. verb. Ordo, vers. colliguntur ex dictis, Martin. Bonacina de Sacrament. disp. 8. q. vnic. punct. 5. num. 13. Rota decis. 481. num. 5. par. 2. Recent. D. Barbos. dicta alleg. 16. num. 10. in 2. edit.*

Dubitatur modò, an integrum sit Regularibus Prælatis, vel etiam secularibus suos subditos ab huiusmodi suspensionibus absoluere.

2 Pro parte affirmatiua facit, quia *in d. extrauag. cùm ex sacrorum*, Summus Pontifex sibi absolutionem ab huiusmodi suspensionibus non reseruauit; ergò inferioribus hanc facultatem concessisse videtur, iuxtà ea, quæ docent *gloss. in Clem. 1. §. verum quia, verb. excommunicationis sententia, de baptis. Armill. verb. suspensio, num. 12. Sylvest. eodem verb. num. 8. vers. tertium, per text. in cap. nuper, de sent. excommunicat.* per quem, quoties Summus Pontifex excommunicationem sibi specialiter non reseruat, videtur eo ipso alijs absoluendi facultatem re-
3 liquisse; concessum enim censetur quicquid expressè prohibitum non reperitur, *l. nemo, §. quod sine, ff. ex quib. caus. maior. effic. &c.*

4 Contrarium tamen, his non obstantibus, asserendum est, videlicet absolutionem à suspensione incursa ratione Ordinum malè susceptorum à solo Summo Pontifice, non autem ab inferioribus impendi posse; prout docet communis Doctorum sententia. Ità *gloss. in Clem. generalem, in verb. anno, de ætat. & qualit. Sylvest. verb. ætas, q. 1. vers. tertium; & verb. irregularitas, num. 12. vers. hodie autem, Nauar. in manual. cap. 25. num. 70. & cap. 27. num. 202. Maiol. de irregularit. lib. 1. cap. 30. num. 10. Graff. decis. aur. part. 1. lib. 1. cap. 8. num. 15. Rebuff. in praxi benefic. tit. de Clericis malè promot. gloss. 4. num. 3. Hieron. à Sorbo in annot. ad Compend. priuileg. Mendicant. verb. Ordines sacri, Tolet. d. lib. 1. cap. 25. Henriq. lib. 14. cap. 8. §. 5. Gregor. de Valent. tom. 4. disp. 19. punct. 3. §. 2. Gutier. quæst. Canonic. lib. 1. cap. 26. sub num. 21. Sayr. de censur. lib. 6. cap. 12. num. 13. & sequenti*, vbi addit Prælatos Regulares non posse cum suis Religiosis sic antè ætatem legitimam ordinatis dispensare virtute suorum priuilegiorum, quibus per *Tridentinam Synodum sess. 23. de reformat. cap. 12.* derogatum est, ex *Nauar. Sorbo, & Valent. locis citatis*. Ità etiam *D. Barbos. d. allegat. 16. in fine in 2. edit. & allegat. 17. num. 15. & seq. vbi num. 17.*
5 aduertit ex lapsu viginti annorum præsumi dispensationem, prout etiam censuit *Rota* in his terminis apud *Farinac. decis. 200. num. 5. part. 2. recent.*

QVAESITVM V.

De nonnullis suspensionibus, quæ contra Abbates, & Prælatos inferiores à iure latæ sunt.

SVMMARIVM.

1 *Suspensionem incurrunt Abbates, & Prælati inferiores a Sede Apostolica promoti, sine authenticis eiusdem Sedis literis suarum Ecclesiarum administrationem accipientes.*

2 *Suspensionem à Pontificalibus incurrunt Abbates tonsuram, & minores Ordines alijs, quàm Regularibus sibi subditis conferentes.*

3 *Illiterato tonsuram Abbates conferentes per annum à collatione tonsuræ suspensi remanent.*

4 *Resignationes beneficiorum admittentes Abbates, & Prælati contra præscriptum Bullæ Pij V. quam suspensionem incurrant.*

5 *Abbates, & Prælati Regulares in visitatione aliquid vltra ea, quæ sibi iuxta suarum Religionum constitutiones, aut consuetudines competunt, exigentes, suspenduntur ab ingressu Ecclesiæ, donec duplum restituant.*

6 *Abbates, & alij Prælati inferiores procurantes, vt Clerici capiantur à dominis temporalibus, vt beneficia resignent, vel ne citati ad Curiam Romanam ad diem sibi assignatam comparere possint, à fructibus suarum Ecclesiarum per triennium suspenduntur.*

7 *Alienantes bona suorum Monasteriorum, vel Ecclesiarum, Papa inconsulto, quam suspensionem incurrant Abbates, ostenditur.*

8 Di-

8 *Dimissorias literas alijs quàm Regularibus sibi subditis Abbates, & concedentes quam suspensionem incurrant.*

9 *Abbates, & Prælati Conuentuales Monachorum nigrorum delinquentes circa habitus, & vestitus honestatem, quam suspensionem incurrant.*

10 *Venationi, aut aucupationi clamosæ cum canibus, aut auibus ex proposito si Abbates intersint, per biennium à beneficiorum collatione suspenduntur.*

11 *Prælati Regulares, ad quos occasione excessuum prohibitorum à suis subditis commissorum aliquid quo modolibet peruenerit, nisi postquam fuerint requisiti, infra mensem satisfaciant vsq; ad debitam satisfactionem suspensi remanent.*

12 *Item non satisfacientes damno illato à suis subditis in concione, &c.*

13 *Prælati Mendicantium admittentes aliquem ad professionem nendum expleto probationis anno, suspensionem incurrunt.*

1 Abbates, & Prælati inferiores, qui apud Sedem Apostolicam promouentur, si absq; authenticis literis eiusdem Sedis suarum Ecclesiarū administrationem accipiant, suspenduntur à perceptione fructuum earumdem Ecclesiarum, quarum Capitula, & Conuentus, qui eos absq; prædictis literis receperint, à suis beneficijs suspensi remaneant, quousque à Summo Pontifice gratiam obtineant, *extrauag. Bonifacij VIII.* quę incipit, *iniunctæ*, *de elect. inter extrauag. commun.*

2 Abbates primam Tonsuram, & minores Ordines alijs, quàm Regularibus sibi subditis conferentes, suspenduntur à Pontificalibus, per dispositionem *Conc. Trid. sess. 6. de refor. cap. 5.* An autem possint ordinare seculares, vel etiam Regulares sibi non subditos diximus latè sup. in disputatione de potestate Abbatis circa Sacramentum Ordinis.

3 Abbates primam Tonsuram illiterato conferentes per annum à collatione eiusdem Tonsuræ suspensi remanent, *cap. fin. de temp. Ord. lib. 6.* Illiteratus autem in præsenti materia dicitur, qui legere, & scribere nescit; nam ad primæ Tonsuræ receptionem id requiritur, ex *Conc. Trid. sess. 23. de reform. cap. 4.*

4 Abbates, & Prælati, qui admittunt resignationes beneficiorum contra præscriptum Bullæ Pij V. incip. *Quanta Ecclesia Dei*, editæ anno Domini 1568. quæ est 58. in ordine in *Bullar. nouo*, incurrunt suspensionem à collatione, præsentatione, electione, confirmatione, vel institutione, donec à Summo Pontifice absoluantur; vt in Bulla prædicta, videatur *Sayr. de censur. lib. 4. cap. 12. num. 55.*

5 Abbates, & Prælati Regulares in visitatione aliquid vltra ea, quæ sibi iuxta suarum Religionum constitutiones, & consuetudines competunt, accipientes, vel exigentes, suspenduntur ab ingressu Ecclesiæ, donec restituant duplum Monasterio, à quo acceperunt, non obstante qualibet ipsius Monasterij remissione, *cap. exigit, de cens. lib. 6.* quod intelligendum est de ijs, qui iure ordinario, non autem, vt delegati visitant, *cap. Romana eod. tit. & lib. Sayr. de censur. lib. 4. cap. 15. num. 26. & 27. Henriq. lib. 13. cap. 39. num. 4. Suar. de censur. disp. 31. sect. 1. nu. 15.* & alij apud *Bonac. de censur. disp. 3. punct. 5. §. 2. num. 10.*

6 Abbates, & alij Prælati tam seculares, quàm Regulares capientes, vel procurantes, vt Clerici capiantur à dominis temporalibus, vt beneficia resignent, vel necitati ad Romanam Curiam ad diem sibi assignatum comparere possint, præter excommunicationem incurrunt etiam pœnam suspensionis per triennium à fructibus suarum Ecclesiarum, *Clem. multorum, de pœn.* Quod habet locum, quandò effectus secutus est, scilicet quandò clericus captus beneficium ob talem vim renunciauit, siuè ob eam causam Sedem Apostolicam in termino sibi assignato adire nequiit. Ità *Suarez dicta disput. 31. sect. 5. à num. 17. vsq; ad 22. Vincent. Filliuc. moral. quæst. tract. 17. cap. 8. num. 155. Bonac. d. §. 2. num. 23.*

7 Abbates alienantes bona Monasteriorum, seù Ecclesiarum, vel locorum piorum, Romano Pontifice inconsulto, ab Ecclesiæ ingressu suspenduntur; quod si elapsis sex mensibus non resipuerint, à temporali, & spirituali suorum Monasteriorum, & Ecclesiarum administratione suspenduntur, *extrauag. ambitiosa, de reb. Eccles. non alienand.* diximus intra in 3. *tomo in disputatione de potestate Abbatum circa res, & bona temporalia suorum Monasteriorū, & Ecclesiarum.*

8 Abbates, si literas dimissorias alijs, quàm suis subditis Regularibus concedant, per annum ab officio, & beneficio ipso iure suspensi sunt ex *Concil. Trid. sess. 23. de reform cap. 10. in fine.*

9 Abbates, ac etiam Priores non habentes supra se Abbatem in Ordine Monachorum nigrorum Sancti Benedicti delinquant in habitu, & pertinentibus ad vestitus honestatem præscriptam in *Clem. 1. §. si quis autem, de statu Monach.* vtpotè si sotulares non corrigatos, & alios, & capturas non hissa portare præsumpserint per annum à beneficiorum collatione suspensi remanent, *eodem §. si quis autem, Sayr. dicto lib. 4. cap. 13. num. 6. Bonacin. dicto puncto 5. §. 2. vltimo num. 14.*

10 Abbates, & Priores non habentes supra se Abbatem in eodem Ordine Monachorum nigrorum, si venationi, aut aucupationi clamosæ, aut aliàs cum canibus, aut auibus ex proposito intersint, per biennium à beneficiorum collatione suspenduntur, & collatio beneficiorum durante eo tempore ad Priorem, & Conuentum spectat, *dicta Clement. 1. dict. §. si quis autem vers. si qui vero.* Quod si absque canibus venatio fiat, & aucupatio sine auibus cum retibus, vel laqueis, vel ex casu tali venationi, vel aucupationi interuenerint, excusabuntur à prædicta pœna, secundum *gloss. ibi in verb. auibus, & in verb. ex proposito, Sayr. loco cit. num. 8.*

11 Abbates, & Prælati Regulares, ad quos occasione aliquorum excessuum suorum Religiosorum aliquid quomodolibet peruenerit, nisi de eo Ecclesijs, & personis damnificatis, vel læsis satisfactionem plenariam exhibuerint, infra mensem, postquam super hoc fuerint requisiti, absolutè, & simpliciter vsque ad debitam satisfactionem suspensi remanent, *Clement. Religiosi 1. quibus etiam, de priuileg.* quæ suspensio, vt notat ibi *gloss. in verb. suspensionis*, intelligitur ab officio; excessus autem qui à Religiosis communiter, & in *d. Cle.* prohibentur, sunt tres. Primus est retrahere testatorem à legatis faciendis Ecclesijs

Matricibus. Secundus est, retrahere testatorem à debitis restituendis. Tertius est procurare, vt legata, vel bita, vel malè ablata incertorũ dominorum sibi, aut alijs singularibus personis sui Ordinis, vel ipsis Conuentibus erogentur, in præiudicium aliorum, quorum interfunt. Videatur *Suar.d.disp.31.sect. 6.num.11. Nauar.cap.26.num.36 Henriq.lib.13. de excommun. & susp.cap.40.§.4.Sayr.d.cap.13.num 10.* qui cum *Henriq. Nauar. & Vuald.* obseruat, non prohiberi Regulares inducere morientes, vt sponté legent aliquid suo monasterio dum indiget, aut reducere ad memoriam proprias necessitates, quia hoc in *d. Clem.* non interdicitur.

12 Eamdem suspensionem incurrunt Prælati Regulares non satisfacientes damno illato à suis subditis prædicando in concione indiscretas indulgentias, vel laicos, ne ad Parochiam accedant, retrahendo, siuè à casibus Episcopo, aut Papę reseruatis, absq; priuilegio absoluendo, *ead. Clem. Religio, d. §. quibus etiam.*

13 Prælati Fratrum Prædicatorum, & Minorum, ac Mendicantium omnium recipientes ad professionem aliquem in suo Ordine; non dum expleto probationis anno, sunt ipso facto suspensi à potestate recipiendi quemlibet ad professionem eiusdem Ordinis, nec professio valida est *cap. non solum, de Regular. in 6. Henriq. d. lib.13.cap.40.num.2. Nauar. cap.27. num 157. Sayr. d. cap.13.num.13. Suar. d. disp.31.sect.6.num.6. Bonac. d. punct.5.§.4.num.8.*

QVAESITVM VI.

Vtrùm Abbas suspensus à Pontificalibus censeatur etiam suspensus ab actibus iurisdictionis.

SVMMARIVM.

1 *Suspensio à Pontificalibus directè probibet actum apparatus Põtificalis, & consecutiuè omnes actus, qui absque Pontificalibus insignijs exerceri nõ debent.*

2 *Suspensus Abbas à Pontificalibus Missam priuatam celebrare potest, non autem solemnem. Si tamen eam celebret, non incurret irregularitatem nu. 4.*

3 *Suspensus Abbas à Pontificalibus non censetur suspensus ab exercitio actuum iurisdictionis.*

1 PRo huius quæsiti explicatione, præmittendum, quod suspensio à Pontificalibus propriè, & directè prohibet actum apparatus Põtificalis, scilicet, insignia Pontificalia, vt est vsus Baculi, Mitræ, & similium &c. & consecutiuè prohibet, & etiam omnes actus Ordinis Episcopalis, qui non debent, nec consueuerunt absq; Pontificalibus insignijs exerceri, vt docet *gloss. in extrauag suscepti regiminis, verb. à Pontificalibus, de elect.* dicens, suspensum à Pontificalibus prohiberi etiam ab his, quæ sunt sibi alias sub ratione Pontificatus permissa, & à dependentibus ab eis, vt ab Ordinum collatione, Altarium consecratione, & similibus; quod si aliqui extent actus, qui absque huiusmodi insignijs exerceri valeant, non censebitur ab eis prohibitus.

2 Dicendum est igitur, quod Abbas à Pontificalibus suspensus Missam solemnem cum Mitra, & Baculo celebrare nequit; non prohibetur autem Missæ sacrum priuatim facere ex *reg. tex. in c. significauit, de corpor. vitiat. Henriq. in sum. lib.13. cap.32. num.2. Auil. de censur. par.3. disp.2. dub.2. concl. 10.* nec alios actus, qui illi competunt ex eo, quod Sacerdos est, vt Confessiones audire, & similia, absque Pontificalibus ornamentis exercere.

3 Nec itidem remanet suspensus ab exercitio actuum Iurisdictionis; quia iurisdictionalia sunt separata ab his, quæ sunt Ordinis Pontificalis *cap. transmissam, de elect. cap. aqua, de consecrat. Eccles. vel Altaris, Hostien. & Io. Andr. in cap. c. de sent. excom. in 6. Panor.* eos referens in *cap. cum dilectus nu.20. circa med de consuet. Sylu. in verb suspensio q.5.* & alij apud *Riccium in praxi fori Eccles. decis. 467. D. Barbos. de offic & potest. Episc. par. 2. alleg. 6. nu.7. Vincent. Fillіuc. moral. quæst. tom.1. tract. 27. de censur. cap.2. q.28. Suar. tom.5. in 3. par. disp.25. sect.5 Bonac. eod. tract disp.3. punct. 2. nu.3.* Si autem

4 Abbas, stante tali suspensione, cum Pontificalibus insignijs celebraret, non ideo irregularitatem incurreret: Pontificalia enim non sunt de substantia Ordinis, vel officij, quia sine illis quodlibet officium exerceri potest; nec suspensus à Pontificalibus, est suspensus à Diuinis, sed ab additamento ad Diuina; quare siuè Missam solemnè cum illis celebret, siuè consecret, non incidet in irregularitatem. Ità *Io. Andr. in cap. 2. in fine de offic deleg. in 6* allegans *Specul in tit. de leg. §. iuxta, verb. quid si Episcopus, Franc. in d. cap.1. §. caueant nu.5. de sent. excom. in 6 & ibidem Innoc. verb. à Diuinis, D Anton. in sum. par.3 tit. 27. cap. 4. vltra med. Couar. in Clem. si furiosus par 1. §.1. num.1. vers. secundum Graff par.1. decis aur. lib.4. cap.25. num.3.* licet contrarium teneant *Nauar. in man. cap. 27. nu 163. & Vuald. in candelab. aur. tit. de susp. n.146.*

QVAESITVM VII.

Vtrùm Abbas suspensus ab Ordinis collatione, sit etiam suspensus à Pontificalibus.

RAtio dubitandi est, nam supra diximus, quod Abbas suspensus à Pontificalibus, intelligitur tacitè suspensus ab omnibus actionibus, quæ sine apparatu Pontificalium fieri nequeunt; sed collatio Ordinum connumeratur inter illas actiones; quæ nequeunt fieri sine vsu, & ornatu Pontificalium; ergò Abbas suspensus ab Ordinibus conferendis, videtur etiam per consequens suspensus à Pontificalibus, sinè quibus Ordines conferri nequeunt.

Sed contrariũ est verum; nam Abbas suspensus ab Ordinibus conferendis, non est suspensus à Pontificalibus. Et ratio est, quia talis suspensus non impedit, nisi vnum actum, scilicet collationem Ordinum, nam verba illius suspensionis determinatè sonant suspensionẽ Ordinũ. Vndè non valet dicere, est suspensus ab Ordine, ergò à Põtificalibus; nã celebratio Missæ non cõnectitur cum collatione Ordinũ; ideo benè poterit vti Pontificalibus in alijs actibus, excepto illo, à quo suspensus est. In antecedenti verò quæsito, ideo Abbas suspensus à Pontificalibus intelligitur etiam suspensus à collatione Ordinum; quia Ordines habent quamdam dependentiam à Pontificalibus, itàut non possint conferri sinè vsu illorum; facit pro nostra opinione *Filliuc. moral. qq. to.1. tract.17. de cẽs. c.11. n.29.*

QVAE-

Digitized by Google

QVAESITVM VIII.

Vtrùm Abbas ſuſpenſus à celebrando, ſit etiam ſuſpenſus ab alijs actibus Ordinis, nempè Ordines conferendi.

SVMMARIVM.

1 *Exceptio firmat Regulam in caſibus exceptis.*
2 *Suſpenſus Abbas à celebrando eſt etiam ſuſpenſus à Collatione Ordinum.*
3 *Suſpenſus ab Ordine inferiori eſt etiam ſuſpenſus à ſuperiori, non è contra.*

VIdetur primò reſpondendum, quòd Abbas ſuſpenſus à celebrando, non prohibeatur, quin Ordines conferre poſsit. Nam ſuſpenſo ab aliquo actu determinato ſolum prohibetur exercitium illius actus, à quo eſt ſuſpenſus; poteſt in hoc dari exemplum in Sacerdote ſuſpenſo ab officio celebrandi, qui excepto hoc munere celebrandi, alios actus, ad Sacerdotis officium ſpectantes, exercere poteſt; ex-
1 ceptio enim in caſibus exceptis firmat regulam, eſt *text. in l. nam quod liquidè, §. fin. ff. de penu leg. can. dominus 32. q. 7. cap. 2. de coniug. lepros.* Vnde in propoſito, quamuis Abbas ſit ſuſpenſus à celebrando, non per hoc videtur ſuſpenſus ab Ordinibus cōferendis; quia actus, Ordines conferendi, eſt diuiſus ab actu celebrandi; ergò Abbas ſuſpenſus tantum à celebrando, videtur ſuſpenſus ab Ordinibus conferendis.

2 Sed contrarium eſt verum, nam Abbas ſuſpenſus à celebrādo, eſt ſuſpenſus etiam ab Ordinū collatione. Et non eſt parratio de Sacerdote ſuſpenſo ab officio Altaris, qui nihilominus poteſt alios actus Ordinis exercere; quia Sacerdotiū non ſubordinatur ad alios inferiores Ordines, ſed inferiores Ordines ordinantur ad Superiorem, quale eſt Sacerdotium; Vnde ſu-
3 ſpenſus ab inferiori, cōſequenter eſt ſuſpenſus à Superiori, nam ipſi ordinantur ad Superiorem; Suſpenſus verò à Superiore, prout eſt Sacerdotiū, poteſt exercere actus inferiorum Ordinum; ſicut ſuſpenſus à Sacerdotio poteſt ex officio cātare Epiſtulam, vel Euangelium. Abbas verò ſuſpenſus ab officio celebrandi, eſt ſuſpenſus etiam à poteſtate cōferendi Ordines, quod eſt officium Pontificale, ſed quis non poteſt exercere Pontificale officium, niſi ſit Sacerdos, prout eſt *tex. in cap. ex literis, de excoſſ. Prælat. & ibi gloſſ. in verb. miniſterio*; ergò Abbas ſuſpenſus à celebrando, eſt ſuſpenſus etiam à poteſtate Ordines conferendi.

Ad argumentum pro contraria parte adductum, quò exceptio in caſibus exceptis firmat regulam, reſpondemus, tunc illud procedere, quando omnes caſus, qui enumerantur, ſunt ſub regula; nam tunc ille caſus, qui exceptuatur, firmat reliquos ſub regula; 1
alias ſi non eſt de caſibus, qui ſunt ſub eadem regula, tunc exceptio non firmat regulam, nec facit, vt comprehendantur ea, quæ de ſui natura non comprehenduntur, exceptione non firmata, *tex. eſt in l. generali, §. vxori; & ibi Bart.* declarat, *ff. de vſufruct. leg.* & ſic non eſt bona paritas de Sacerdote ſuſpenſo ab officio Altaris in reliquis Ordinibus miniſtrante, ad Abbatem ſuſpenſum à celebrando, ad Ordines conferendum; nam illa exceptio, ſcilicet illa ſuſpenſio Sacerdotis à ſacrificio Miſsæ, firmat regulam in alijs Ordinibus inferioribus; cum tales Ordines inferiores ſub regula comprehenſi, non excipiantur, ſed per exceptionem ſuperioris Ordinis firmentur.

In Abbate verò non poteſt militare talis exceptio; quia ſi ſit ſuſpenſus à celebrando tantum: neceſſariò ſequitur, quod ſit ſuſpenſus etiam ab alijs actibus, conſequentibus ipſam celebrationem; ſed actus, qui conſequuntur ipſam celebrationem, ſunt Ordinum collationes; cum quis non poſsit Ordines conferre, niſi ſit Sacerdos; ergò &c.

DISPVTATIO XVI.

De poteſtate Abbatum, & Prælatorum inferiorum quoad interdictum, & ceſſationem à Diuinis ponendum, necnon ea tollendum.

Quæſ. 1. Vtrùm Abbas poſsit interdictum ferre.
Quæſ. 2. Vtrùm Abbates, ac alij Prælati, & Monachis exempti poſſint à locorum Ordinarijs interdici.
Quæſ. 3. Quomodo ſe gerere debeant Abbates iuxta eorum priuilegia, tempore interdicti, & ceſſationis à Diuinis.
Quæſ. 4. Quibus diebus ſuſpendatur interdictum in Eccleſijs Abbatum, & Religioſorum.
Quæſ. 5. Vtrùm Abbates tempore interdicti poſsint Ordines conferre, ſacra ornamenta benedicere, vel conſecrationes aliquas facere.
Quæſ. 6. Quæ Sacramenta tempore interdicti poſsint adminiſtrari in Eccleſijs Abbatialibus tàm ſecularibus, quàm Regularibus de iure communi, quæ verò ex priuilegio.
Quæſ. 7. Vtrùm Abbates poſsint de iure communi, vel priuilegio tempore interdicti in ſuis Eccleſijs ſepulturam aliquibus dare.
Quæſ. 8. Vtrùm Abbas poſsit ponere ceſſationem à Diuinis.
Quæſ. 9. Qui poſsit ceſſationem ab Abbate, vel alio Prælato poſitam tollere, & auferre, & quæ forma tunc ſit adhibenda.
Quæſ. 10. In quas pœnas incurrunt Abbates, & Prælati Regulares, & Religioſi violantes ceſſationes à Diuinis.

QVAESITVM I.

Vtrùm Abbas possit interdictum ferre.

SVMMARIVM.

1. *Interdictum quotuplex sit.*
2. *Interdicere qui potest, potest etiam excommunicare, vel suspendere.*
3. *Interdictum tam locale, quàm personale in loca sibi subiecta ponere possunt Abbates seculares Collegiatarum Ecclesiarum præpositi.*
4. *Interdictum personale tantum ferre possunt Abbates Regulares, nisi habeant iurisdictionem in Oppidum aliquod, vel Castrum.*

1 VT huius quæsiti, & totius disputationis veritas clariùs elucescat, supponendum est interdictum aliud esse locale, aliud personale, & aliud mixtum. Interdictum locale est, quod directè fertur in aliquem locum, & prohibetur, ne in eo Diuina Officia audiantur ab incolis, vel extraneis; licet personæ loci interdicti alibi Diuina Officia audire possint. Interdictum personale est, quo interdicitur Populus, vel aliqua persona particularis audire Diuina Officia, vbicumque reperiatur. Interdictum mixtum complectitur locale, & personale, & consequenter per interdictum mixtum interdicitur locus, & persona, ità *Nauar. in manual cap. 27. num. 166. Syluest. verb. interdictum 1. q. 2.* & alij.

2 Secundò supponendum est illum posse interdictum ferre, qui habet potestatem excommunicandi, vel suspendendi; par enim est omnium ratio, *cap. cum Ecclesiarum, de offic. Ordin.* vbi quoad hoc excommunicatio, & interdictum æquiparantur; vt notant *Syluest. verb. Interdictum 3. q. 2. Couar. in cap. Alma mater par. 2. §. 2. num. 6. de sent. excommunicat. Nauar. d. cap. 27. num. 168. Soto in 4 dist. 22. q. 3 art. 1. conclus. 2.* & ita communiter receptum esse ait *Suar. de censur. disput. 35. sect. 1. num. 2.* & alij moderni.

3 His positis ad quæsiti solutionem deueniendo dico primò Abbates, & Prælatos seculares, qui præsunt Ecclesijs Collegiatis, & habent territorium cum iurisdictione Episcopali, seu quasi possunt interdicere tàm personas, quàm locum sibi subiectum quia habent iurisdictionem Ordinariam, vt notatur in *cap. cum inter, de consuetud. & in d. cap. cum ab Ecclesiarum, de offic. Ordin.* ità *Soto loco cit.*

4 Dico secundò Abbates Regulares cum habeant facultatem ferendi excommunicationem, & suspensionem, vt suprà dictum est, possunt eadem ratione interdicere subditos, & sic ponere interdictum personale tamen, non autem locale, quia non est in vsu. Ratio esse videtur; quia iurisdictio horum Prælatorum magis est in personas, quàm in territoria, seù loca, & ideò magis possunt ferre censuras in personas, quàm in loca, tum quia huiusmodi interdictum locale quodammodo redundaret in personas ipsis Prælatis Regularibus non subditos, & ideò in hoc non est eis tradita tàm ampla iurisdictio, quanta est in Episcopis; ità *Soto loco citato, Suar. d. sect. 1. num. 2. & 3. & tomo 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 2. num. 14. & cap. 9. num. 5. Filliuc. quæst. moral. tract. 18. cap. 1. quæst. 7. Bonac. de censur. disp. 5. punct. 2. num. 2.* Quod tamen limitatur, nisi forte habeant iurisdictionem Ecclesiasticam fori contentiosi, & quasi Episcopalem in aliquod Oppidum, vel Castrum; quia tunc omnes prædictæ rationes cessant. Atque ita *Suar. d. sect. 1. nu. 2.*

QVAESITVM II.

Vtrùm Abbates, & alij Prælati, & Monachi exempti possint à locorum Ordinarijs interdici.

SVMMARIVM.

1. *Interdicto Clero non censentur interdicti Religiosi.*
2. *Ordinarij nequeunt Abbates, ac Religiosos exemptos interdicere.*

1 REgulariter interdicto Clero, non censentur interdicti Religiosi, & Religiosæ, & verò è conuerso, etiam quandò interdictum fertur à Summo Pontifice; vt tradunt *Syluest. verb. interdictum 5. num. 17. Sayr de censur. lib. 5. cap. 4. num. 29. Henriq. in summa lib. 13. cap. 41. nu. 3. Auila de censuris par. 5. dub. 4. conclus. 7. Vgolin. de censur. tab. 5. § 5. num. 3. in fine. Conimb. disp. 17. num. 8. Filliuc. moral. instit. tract. 18. num. 14. Bonac. de censur. disp. 5. punct. 1. num. 11.* contrà *Nauar. manual. cap. 27. num. 169. Couar. Suar. & alios.* Ratio est, quia licèt Religiosi in fauorabilibus veniant nomine Clerici; non tamen veniunt in odiosis; quia odia restringenda sunt; fauores autem ampliandi; tum quia si interdicantur Religiosi, non censentur interdicti Clerici, licèt Clerici largo modo Religiosi dicantur; ergo à simili quando interdicuntur Clerici, non censebuntur interdicti Religiosi.

2 Verùm Honorius III. & Vrbanus IV. concesserunt Ordini Cisterciensi, & Gregorius IX. Congregationi Montis Oliueti; *quod Monasteriorum res, & bona vbicumque existentia, & personæ benefactores, Capellani, familiares, aliaque personæ in eisdem Monasterijs degentes, ab omni etiam Legatorum, Delegatorum, & Subdelegatorum Sedis Apostolicæ, & quorumcumque Iudicum Ordinariorum, quauis auctoritate fulgentium, ratione delicti, vel contractus, vbicumque commissi, vel initi exempti prorsus censeantur; itaut alibi, quàm in Romana Curia, & coram Sede Apostolica conueniri non possint, neque excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, aut vlla quauis sententia contrà ipsos, nisi de speciali Sedis Apostolicæ concessione, in qua de hoc priuilegio specifica, & expressa, ac de verbo ad verbum mentio fiat, quomodolibet directè, vel indirectè proferri, seù promulgari non possit.* Ità habetur in *Mari magno Seruorum B. Mariæ*, & refertur in *Compendio eiusdem Ordinis Cisterciensis, tit. excommunicatio §. 2. & tit. exemptio §. 1.* quod priuilegium, etsi quoad benefactores, & Capellanos, familiares, aliasque personas in dictis Monasterijs degentes abrogatum sit per *Conc. Trid. sess. 24. de reform. cap. 11.* tamen respectu Monachorum secus dicendum videtur. Hoc autem fallit in Religiosis exemptis, obtinentibus beneficium curatum in Diœcesibus Episcoporum, qui non quatenus exempti, sed quatenus sunt Beneficiarij, & subditi, poterunt interdici;

Digitized by Google

terdicti; vt colligitur ex *cap. cum Capella, de priuileg.* Id ipſum confirmatur ex alio ſpeciali priuilegio Leonis X. qui conceſsit Fratribus Minoribus Regularis Obſeruantiæ. *Quod Eccleſiæ eorumdem Fratrum interdici non poſsint ad inſtantiam cuiuſcumque perſonæ, etiam Cardinalatus honore, vel alia quauis dignitate fulgentis, vel per Auditorem Sacri Palatij, aut quoſcumque alios Iudices; niſi tota Ciuitas, ſeu Oppidum, vbi domus huiuſmodi conſiſtit, Apoſtolica, ſeu Ordinaria auctoritatibus Eccleſiaſtico ſuppонatur interdicto, ac voluit, quod in huiuſmodi domibus degentes Fratres ad ipſius interdicti obſeruationem minimè teneantur, nec propterea irregularitatis maculam, aut aliquas ſententias, cenſuras, & pœnas incurrant; dummodò cauſam non dederint huiuſmodi interdicto, ſed poſsint, ianuis apertis, & pulſatis Campanis, Miſſam, & alia huiuſmodi Officia Diuina celebrare; niſi perſona, ad cuius inſtantiam interdictum fuit appoſitum in eiſdem domibus degentibus Fratribus de alimentis, & alijs victui neceſſarijs rebus competenter prouidere fecerit, & decreuit irritum, & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam, quauis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter attentatum fuerit.* Ita habetur in *Supplemento fol. 55. conceſs. 156.* & refertur in *Compend. priuileg. verb. Interdictum, §. 15.* Ex quibus conceſsionibus patet, quod loca Abbatialia Monachorum, & aliorum Regularium, non poſſunt ab Ordinarijs ſpecialiter interdici, non interdicto omni populo.

Idem Leo conceſsit quod tempore interdicti poſsint Fratres Minores abſoluere à cenſuris in foro conſcientiæ illos, qui confitebuntur peccata ſua; niſi tales cenſuræ eſſent, ex quibus huiuſmodi interdictum emanaret, prout in *eod. Compend. ibid. §. 16.*

Idem Leo X. conceſsit præfatis Fratribus Minoribus quod tempore interdicti, aut ceſſationis à Diuinis, poſsint duo, vel plures Fratres extra Eccleſiam in domibus ſuis Officium Diuinum dicere, non obſtante *cap. quod in te, de pœnit. & remiſsion.* & alijs quibuſcumque, & quod quandò extra Chorum prædicti Fratres Horas Canonicas, ſi caſu tranſeuntes perſonæ interdictæ aliquid audierint, non proptereà incurrant aliquam cenſuram, *ibid. §. 17.* & de alijs priuilegijs conceſsis prædictis Fratribus tempore interdicti, Vide *ibid. in §. ſeq.*

QVAESITVM III.

Quænam interdicta Regulares obſeruare teneantur.

SVMMARIVM.

1 *Interdictum tenentur ſeruare Religioſi omnes, quod Cathedralem, vel Matricem, ſeu Parochialem Eccleſiam obſeruare viderint, ſiuè valeat interdictum, ſiuè non.*

2 *Religioſi an tenentur obſeruare interdicta, Conciliorum Prouincialium auctoritate poſita.*

3 *Matrix Eccleſia, quæ dicatur.*

4 *Religioſi tenentur obſeruare interdictum, & ceſsationem à Diuinis, etiamſi Eccleſia Matrix non obſeruet, & ſub quo pœna, num. ſeq.*

Argumentum à contrario ſenſu non valet, vbi ipſius argumenti contrarium in iure reperitur.

5 *Contrariorum non eſt eadem diſciplina, vbi mens, & verba varia reſiſtunt.*

6 *Religioſi tenentur obſeruare interdictum in Ciuitate poſitum etiam quandò eorum Monaſteria in ſuburbijs ſita ſunt.*

7 *Interdicta Ciuitate, etiam eius ſuburbia interdicta cenſentur.*

8 *Suburbia quæ intelligantur.*

1 PRo maiori huius quæſiti intelligentia, ſciendum, quod omnes Regulares, & Religioſi tàm exempti, quàm non exempti cuiuſcumque Ordinis, & conditionis exiſtant, obſeruare tenentur interdicta auctoritate Sedis Apoſtolicæ, vel à locorum Ordinarijs poſita, cum Cathedralem, vel Matricem, ſeu Parochialem, loci Eccleſiam ipſa interdicta viderint, vel ſciuerint obſeruare; non obſtantibus quibuſcumque appellationibus anteà etiam ad eamdem Sedem, vel alium, ſeu alios interiectis, & obiectionibus quibuſcumque cum moderatione decretalis, *Alma mater, de ſentent. excomm.* & ea non ſeruantes excommunicationis ſententiam incurrunt. Ità habetur expreſsè in *Clem. 1. de ſent. excom.* Circa quam Clementinam eſt notandum cum gloſ. ibidem in verbo, *Religioſi*, per ipſam non ligari Clericos, nec laicos, niſi tantum Religioſos omnes tàm Mendicantes, quàm non Mendicantes, per ea verba, *Religioſi quicumque tam exempti, quàm non exempti cuiuſcumque Ordinis, & conditionis exiſtant.*

2 Notandum eſt etiam, Religioſos prædictos teneri ſub eadem pœna excommunicationis ad obſeruanda interdicta, & ceſſationes à Diuinis, non ſolum à Sede Apoſtolica, & locorum Ordinarijs; verum etiam per Conciliorum Prouincialium ſtatuta, vel ipſorum auctoritate poſitas. Idem erit obſeruandum in ceſſationibus generalibus à Diuinis Ciuitatum, Terrarum, & aliorum locorum; aliquando ex conſuetudine, vel aliàs per Capitula Collegia, aut Conuentus ſæcularium, aut Regularium Eccleſiarum indictis, quæ omnia habentur in *d. Clem. 1.* Idem erit dicendum de interdicto impoſito à iure, vt eſt exemplum in *cap. felicis §. Ciuitas, de pœn. lib. 6.* quod aduertit *gloſſ. in eadem Clement.* Notandum prætereà, huiuſmodi interdictum, & ceſſationem à Diuinis ſeruari debere quotieſcumque ſeruantur ab Eccleſia Cathedrali, Matrice, ſeu Parochiali illius loci, in quo Monaſteria ipſorum Religioſorum ſita ſunt, ſiuè va-
3 leant, ſiuè non; Eccleſia verò Matrix illa dicitur, quæ eſt maior, vel baptiſmalis; quia ſicut Mater generat, ità illa per baptiſmum regenerat, vt notatur per *gloſſ. d. Clem. verbo Matricem*, vbi etiam aduertit, quod quia aliquando interdictum, & ceſſatio à Diuinis feruntur in locis non habentibus intrà ſe Eccleſiam Cathedralem, ſed tantum Matricem, ideò expreſsit Summus Pontifex illud verbum, *vel matricem*. Quandò autem interdictum eſt Prouinciale, an ſit ſeruanda prædicta Cõſtitutio à Religioſis ipſius Prouinciæ, ità quod ſi eam non ſeruent, incidãt in pœnam excommunicationis in ea comminatam: ſeruante tantum interdictum Eccleſia Metropolitana, & an eo caſu ſit ipſa cenſenda Matrix, videatur eadem

gloſſ.

gloss. quæ resoluit, quod non per ea verba, *Cathedralem, vel Matricem loci*, & hoc quibusdam exemplis clarificat.

Notandum præterea, quod cum in aliquo Oppido, siue loco plures adsunt Ecclesiæ, & nulla est principalior, sed quælibet suos Parochianos baptizat, si ex illis quædam seruant interdictum, quædam verò non, tunc non haberet locum dicta Clement. sicut nec etiam, quandò in loco singulariter interdicto non adesset alia Ecclesia præter illam dictorum Religiosorum non obseruantium dictum interdictum.

4 Adnotare libet præterea ex mente eiusdem *gloss. in d. Clement. in verb. obseruare*, quod etiamsi Ecclesia Matrix interdictum, & cessationem à Diuinis non obseruet, tenentur nihilominus Religiosi ipsam obseruare; quia ibi Summus Pontifex non dicit, in non obseruando se cum Ecclesia Matrice conforment, addere enim intendit, non diminuere ad interdictorum obseruantiam; & huiusmodi constitutio cum sit pœnalis, non est ad gratiam reuocanda, *cap. 2. de translat. Episc.* Nec valet argumentum à contrario sensu, vbi ipsius argumenti contrarium in iure reperitur, *glos. in cap. significasti, de for. compet. & cap. à nobis el 2. & ibi Abbas num. 4. de sentent. excommunicat, gloss. vlt. in cap. publicato, de election.* Neque contrariorum est eadem disciplina, vbi mens, & verba iuris resistunt, *cap. studuisti, de offic. Legat.* Nec excessus Clericorum Matricis debet præbere Religiosis materiam delinquendi, *cap. petitiis, de priuil. & ex eod. priuil.* Item non potest desumi in casu nostro argumentum à contrario sensu, quia esset contra legem, & canonem, cum interdictum inferatur propter violationem canonum, ideò non habet locum à contrario sensu, vt tenet *Ioan. Andr. in cap. publicato, in 3. col. de elect.*

5 Est tamen hic aduertendum, quod si sententia interdicti verè ligat, sed ab Ecclesia Matrice non obseruatur; si Religiosi ipsum non obseruant, non afficiet eos prædicta pœna excommunicationis, sed incurrent alias pœnas contentas in alijs sacris canonibus, nempè in *cap. vlt. de excess. Prælat. & cap. auctoritate, cap. Episcoporum, de priuileg. lib. 6.* erunt enim suspensi, & ab ingressu Ecclesiæ interdicentur, & incident in irregularitatem, ac priuabuntur voce actiua, & passiua. Ità *gloss. & Panormit. in d. Clem. 1. de sent. excommunicat.* quos citat, & sequitur *Syluest. d. verb. excommunicatio 9. num. 4. vers. secundò nota.* Si autem ab Ecclesia Matrice interdictum obseruatur, quamuis nulliter prolatum fuerit, Religiosi illud non obseruantes erunt tantùm excommunicati, sed non incurrent in alias prædictas pœnas. Si verò ab Ecclesia Matrice seruabitur, & eius sententia fuerit valida; Religiosi illud non obseruantes vtrasque

6 pœnas incurrent. Obseruare autem tenentur interdictum, & cessationes prædictas à Diuinis ipsi Religiosi, etiamsi eorum Monasteria sita fuerint in Suburbijs, siue locis circumuicinis Ciuitatis, siue loci, cuius Ecclesia Matrix illa obseruauerit; idque intelligitur, quando Monasteria ipsa ab eis non distarent plusquam dimidia leuca, siue spatio vnius milliarij

7 cum dimidio; quod probatur; nam interdicta Ciuitate, intelliguntur etiam interdicta suburbia, *cap. si Ciuitas, de sent. excommunicat.* vndè Monasteria in eisdem suburbijs existentia, etiam interdicta censentur. Quod etiam ampliatur, vt procedat interdictum quamuis dicta suburbia, & continentia ædificia in nullo erant subiecta dicto loco, vel Vniuersitati interdictæ, imò nec quod sint alterius Diœcesis, in quâ Iudex, qui interdictum tulit, iurisdictionem non habet, vt notant *Syluest. verb. interdictum 2. num. 5.* & alij, quos refert, & sequitur *Didac. Couar. in cap. Alma mater part. 1. § 1. num. 8. circa finem.* Ratio est, quia si interdicta Ciuitate, non essent interdicta huiusmodi suburbia, contemneretur interdictum, nam Ciuitate interdicta eius Ciues possent accedere ad ea loca proxima, ad Diuina audienda.

Vnde infertur, interdicta Ciuitate, illa loca interdicta censeri, quorum respectu daretur occasio interdictum parui faciendi, si in illis Diuina celebrentur. Ità *Suar. de censur. disp. 32. sect. 2. num. 23. Coninch. disp. 37. dub. 1. num. 18. Bonac. de censur. disp. 5. punct. 1. num. 10.* & alij apud eum.

8 Intelliguntur autem suburbia, secundum *Ioan. de Deo apud Syluest. verb. interdictum 2. num. 5.* ea, quæ sunt intra vltimam portam, & faciunt cum Ciuitate publicas functiones, & vocantur ad consilia, & conciones: Vel secundum *Grum.* dicuntur Burgi extrà, & propè Ciuitatem, in quibus domus sunt contiguæ. Vel secundum *Archid.* dicuntur domus, per quas est iter rectum eundo ad Ciuitatem. Et omnes isti virtualiter dicunt idem intelligentes, quod suburbia sunt Burgi, qui incipiant ad portam Ciuitatis, & iuxta publicam viam, extenduntur tamen, quantum vsus loquentium Burgos appellat: quod est aliquandò vsque ad vltimam portam, siue secundum vallum, vbi posita est vltima porta, & secundum vallum, seu retrofossum, non autem semper. Continentia verò ædificia communiter à Doctoribus dicuntur domus circa Ciuitatem non computatæ intra suburbia, nec directè ducentes ad Ciuitatem, sed *gloss. in d. cap. si Ciuitas*, dicit Iudicis arbitrio relinquendum, quæ dicantur continentia ædificia; quia non dicitur ex contiguis, sed continentibus; quod intellige quantum ad terminum, vel extensionem talium ædificiorum, quam Iudex vt bonus vir arbitrari debet tantum extendi, quantum exigit ratio, d. cap. quæ est, ne censura Ecclesiastica vilipendatur, vt dictum est. Vndè si ità iacent, quod commodè Populus confluere posset illuc pro Diuinis, sunt continentia ædificia, & interdicta: aliàs secus, puta, si distant per duo milliaria, nec passim potest Populus illuc confugere.

Circa hoc *Tridentina Synodus sess. 24. cap. 12. de Regular.* statuit. *Vt censuræ, & interdicta nedum à Sede Apostolica emanata, sed etiam ab Ordinarijs promulgata, mandante Episcopo, à Regularibus in eorum Ecclesijs publicentur, atque seruentur.*

QVÆSTIVM IV.

Quibus diebus suspendatur interdictum in Ecclesijs Abbatum, & Religiosorum.

SVMMARIVM.

1 *Interdicti tempore in quibus festis de iure liceat Diuina Officia celebrare, ostenditur.*

2 *Abbates tempore interdicti in quibus festis ex priuilegio Diuina Officia celebrare valeant, ostenditur.*

1 De

1 De iure communi interdictum ſuſpenditur in Feſtiuitatibus Natiuitatis, & Reſurrectionis Domini, Pentecoſtes, & Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis, vt habetur in *cap. Alma mater. de ſent. excomm. in 6.* additus fuit à Martino V. & Eugenio IV. dies ſolemnitatis Sacratiſsimi Corporis Chriſti, cum octaua, & à Leone X. dies Conceptionis Beatę Marię Virginis ſimul cum Octaua. Ità *Aula Henriq. Gonineb.* & alij apud *Bonacin. de cenſur. diſp. 5. punct. 4. num. 13.* Verum ex priuilegijs ſuſpenditur etiam interdictum in Eccleſijs Monachorum, & aliorum Regularium in nonnullis alijs Feſtiuitatibus, vt infrà patebit.

2 In primis *Leo X conceſsit Generali, & alijs Abbatibus, Prioribus, & Abbatiſsis, Monachis, & Monialibus, Conuerſis, Seruitoribus, & Seruitricibus Monaſteriorum, & Prioratuum Ordinis S. Benedicti Congregationis Hiſpaniæ, pro tempore exiſtentium, vt in Conceptionis, & Viſitationis Beatiſsimæ Virginis Mariæ, & eiuſdem Virginis, & Sancti Ioannis Baptiſtæ Natiuitatibus, necnon Sancti Benedicti Abbatis, Martini Epiſcopi, & Confeſſoris tranſituum, & & translatuum, ac Sanctorum Gregorij Papæ, Ildephonſi Archiepiſcopi Toletani, & Bernardi Abbatum, & Beatorum Mauri, & Placidi diſcipulorum, & S. Scholaſticæ ſororis eiuſdem S. Benedicti, Aledelmi Confeſſoris, necnon in quorumcumq; aliorum Sanctorum, & Sanctarum ſub quorum inuocationibus Monaſteriorum, Prioratuum, & locorum vtriuſque ſexus dicti Ordinis, & Congregationis Eccleſiæ dedicatæ, & conſtructa, ſeu quorum corpora in ipſis Eccleſijs recondita reſpectiuè exiſtunt; necnon hebdomada Sancta, & Reſurrectionis Dominicæ feſtiuitatibus, & per octauam earumdem feſtiuitatum, necnon quoties Monachi, Moniales, & alia vtriuſque ſexus Religioſa perſona dicti Ordinis, & Congregationis profeſsionem emiſerint, aut primam Miſſam celebrauerint, ſiue eos in Eccleſijs, vel Cœmeterijs Monaſteriorum, Prioratuum, & aliorum locorum dicti Ordinis, & Congregationis humana cadauera eccleſiaſtica tradere ſepultura contigerit, tempore interdicti, & ceſſationis à Diuinis quacumque auctoritate etiam Apoſtolica impoſitorum dummodò huiuſmodi interdicto cauſam non dederint, nec de eis contigerit ſpecialiter interdici, apertis ianuis, pulſatis campanis, nominatim interdictis, & excommunicatis excluſis, Miſſas, Proceſsiones, & alia Diuina Officia ſolemniter in cantu celebrare.* Ità habetur in *Compend. priuil. Mendic. verbo Interdictum n. 5.10.* Inſuper Pius IV. aliud magnum priuilegium conceſsit Fratribus Ordinis Diui Hieronymi Hiſpaniæ, anno Domini 1566. Kalendis Auguſti, Pontificatus ſui anno ſeptimo: *Quod tempore interdicti quacumque auctoritate appoſiti, in Eccleſijs eorumdem Monaſteriorum (dummodò Fratres interdicto cauſam non dederint) ianuis apertis, & alta voce in diebus Paſchatis, Aſcenſionis, Pentecoſtes, Natiuitatis Dominicæ, & Circumciſionis, ac Epiphaniæ, necnon in quatuor Beatæ Mariæ Virginis, & ſingulorum Apoſtolorum, & Sancti Hieronymi, & dedicationis Eccleſiarum ipſius Religionis Monaſteriorum feſtiuitatibus à primis Veſperis, vſque ad Completorium dies ſequentis incluſiuè Miſſam, & alia Diuina Officia celebrare poſsint.* Ità habetur in *Compend. priuil. d. Ordinis, tit. Interdictum §. 8.* quod refert *Miranda in man. Prælat. tom. 2. q. 38. art. vlt. concluſ. 6.*

Similiter Pius V. anno Domini 1567. die 23. Decembris, Pontificatus ſui anno ſecundo, conceſsit eidem Ordini Diui Hieronymi; *quod tempore cuiuſcumque tàm generalis, quàm ſpecialis interdicti, quauis auctoritate; etiam Apoſtolica appoſiti, & apponendi, illo non obſtante, Officium Diuinum, & Miſſam in Monaſterijs, domibus, & Eccleſijs eiuſdem Ordinis per Religioſos alta voce, & ianuis apertis ſequentibus diebus, videlicet, Epiphaniæ Domini, atque Aſcenſionis, & Beatæ Mariæ Virginis Aſsumptionis, & ſingulorum Apoſtolorum, necnon in Ramis Palmarum, feria 5. & 6. in Cœna Domini, & Sabbathi Sancti, necnon Sanctiſsimæ Trinitatis, & Conceptionis, Natiuitatis, Purificationis, & Viſitationis Beatæ Mariæ, Natiuitatis S. Ioannis Baptiſtæ, & translationis S. Patris Hieronymi, ac Auguſtini, & Paulæ Viduæ, & omnium Sanctorum feſtiuitatibus, & in commemoratione omniũ Defunctorum pro Miſſa, & Proceſsione, & etiam in die obitus alicuius Religioſi, vel Religioſæ dicti Ordinis pro Miſſa, & Officio pro ipſo defuncto dicenda publicè dici, celebrari, & cantari omnesq; Chriſtifideles illuc concurrentes, illis intereſſe, & aſsiſtere liberè, & licitè poſsint, & valeant.* Ità refertur in *eodem Compend. priuileg. à Ordinis tit. Interdictum §. 2.* Hæc, & alia quamplurima huiuſmodi priuilegia obtinent Abbates, & cæteri Regulares quoad interdicti ſuſpenſionem, partim nominatim conceſſa, partim per communicationem. Itaq; virtute ſupradictorum priuilegiorum, ac communicationis eorum, vnuſquiſq; Ordo quamuis ſpecialia priuilegia non obtineret, poſſet tamen Diuina Officia ſolemniter celebrare, prædicto interdicti tempore, ipſumq; interdictum ſuſpenderetur in omnibus feſtiuitatibus, quæ ſunt ipſius Ordinis propriæ, non autem in illis, quæ ſunt proprię alterius Ordinis, ſed tamen in eis, quę ſunt omnibus Religionibus communes, & in dictis priuilegijs apponũtur, eiuſmodi ſunt feſtiuitates Natiuitatis Dominicæ, Circumciſionis, Epiphaniæ, in Ramis Palmarum, feria 5. & 6. in Cœna Domini, Sabbatho Sancto, in diebus Paſchatis Reſurrectionis, Aſcenſionis, Pentecoſtes, & Sanctiſsimæ Trinitatis. In feſtiuitatibus Conceptionis, Natiuitatis, Purificationis, & Viſitationis Beatæ Mariæ, & in Natiuitate S. Ioannis Baptiſtę, & in feſtiuitatibus ſingulorum Apoſtolorum, & feſto omnium Sanctorum, & commemoratione omnium Defunctorum pro Miſſa, & Proceſsione, necnon etiam in feſtiuitatibus Sanctorum, quorum corpora in Eccleſijs eorumdam Religioſorum requieſcunt, ac in feſtis Patronorum Ordinum, & ipſorum translationum, vt habetur in prædicta conceſsione Leonis X Fratribus Benedictinis facta. Simile priuilegium conceſsit Adrianus VI. Ordini Diui Hieronymi, anno Domini 1522. die ſexta Iunij Pontificatus ſui anno primo; *quo conceſsit Fratribus Monaſterij Sanctæ Engratiæ, vt perpetuis futuris temporibus, tempore interdicti Eccleſiaſtici, quamuis etiam auctoritate Apoſtolica appoſiti, in diebus Sanctæ Engratiæ, & Inuentionis eiuſdem, ac S. Lamberti, necnon Sanctorum innumerabilium Martyrum, quorum corpora in prædicta Eccleſia requieſcunt, & in feſto S. Hieronymi, & Miſſas,*

& alia

& alia Diuina Officia, apertis ianuis, & pulsatis campanis, alta voce decantando, excommunicatis, & interdictis exclusis, celebrare possint; vt refertur in *Compend. priuil. eiusd. Ordinis tit. Interdictum §. 6.*

Circa quæ est aduertendum, quod adhoc, vt suspendatur interdictum, aut cessatio à Diuinis, oportet, vt extent Corpora, non autem Reliquiæ, etiam si notabiles sint, ibi enim dicitur, *quorum corpora*, non autem, *quorum Reliquiæ, etiam notabiles in dictis Ecclesijs requiescunt*. Et quoad festiuitates Patronorum extat aliud priuilegium eidem Ordini D. Hieronymi concessum à Iulio III. anno Domini 1555. Kalend. Ianuarij Pontificatus sui anno quinto, quo concessit Priori Generali, & alijs Prioribus, & Fratribus dicti Ordinis, *quod perpetuis futuris temporibus in singulis Sancti Hieronymi, & etiam cuiuscumque Sancti, in cuius honorem quodlibet Monasterium Ordinis dedicatum fuerit, festiuitatibus tempore interdicti, quauis auctoritate, etiam Apostolica appositi, & cessationis à Diuinis pro tempore indicta, Missas, & alia Diuina Officia in singulis Monasterijs Ordinis, ianuis apertis, & pulsatis campanis (his tamen qui interdicto causam præbuerunt, exclusis) publicè, & alta voce cum omnibus illic interesse volentibus, celebrare, seù celebrari facere, liberè, ac licitè valeant in omnibus, & per omnia, acsi interdictum huiusmodi positum non fuisset, quod prædictis festiuitatibus tantùm suspenditur, quibus elapsis, in suo robore permanere voluit*; vt habetur in *eodem Compendio eiusdem Ordinis eod. tit. Interdictum §. 7.* Idem erit dicendum de festiuitatibus translationum Patronorum Ordinum per supra dictum priuilegium Pij V. præfato Ordini D. Hieronymi concesso. *Quod translatio ipsius D. Hieronymi, etiam interdictis, & cessationis tempore solemniter celebrari possit*. Quæ priuilegia per communicationem extenduntur etiam ad alias Religiones; itaut possint translationes Sanctorum, qui sunt ipsarum Fundatores, & Patroni; tempore interdicti solemniter celebrare; quod enim vni Religioni conceditur pro ipsius Patrono, siuè Fundatore, intelligitur etiam concessum pro Patronis, & Fundatoribus aliarum Religionum, quæ communicant in suis priuilegijs. Suspenditur etiam interdictum, & cessatio à Diuinis in professione cuiuscumque Monachi, siuè Religiosi, aut Monialis, vt habetur in supradicto indulto Leonis X. Fratribus Benedictinis concesso, & in alio etiam eiusdem Leonis X. quo concessit. *Quod tempore interdicti Ordinarij auctoritate positi, possint Fratres Minores Obseruantiæ facere publicè professionem Fratribus suis; & in illa cantare Hymnum, Veni Creator Spiritus, & alias cæremonias facere, prout in consuetudine habent*; vt habetur in *Supplemento Ordinis fol. 62. concess. 197.* & refertur in *Compendio priuilegiorum Fratrum Minorum, verbo Interdictum c. §. 19.*

Suspendi potest etiam interdictum, tempore, quo Religiosus aliquis publicè, ac solemniter sepelitur, vt habetur in supradicta concessione Leonis X. facta eisdem Monachis S. Benedicti, per illa verba, *seù eos in Ecclesijs, vel Cœmeterijs Monasteriorum, Prioratuum, & aliorum locorum d. Ordinis, & Congregationis humana cadauera Ecclesiastica tradere sepulturæ contigerit, tempore interdicti, & cessationis Diuinis, quacumque auctoritate etiam Apostolica impositorum; dummodò huiusmodi interdicto causam non dederint, neque id eis contigerit specialiter interdici*. Item ex alio indulto Pij V. superiùs adducto Fratribus Ordinis D. Hieronymi tradito per ea verba, *& etiam in die obitus alicuius Religiosi, vel Religiosæ d. Ordinis pro Missa, & Officio pro ipso defuncto decenda, publicè diei, celebrari, & cantari, omnesq; Christifideles illuc occurrentes, illis interesse, & assistere liberè, & licitè possint, & valeant*; est autem hic aduertendum, quòd interdictum, & cessatio à Diuinis potest suspendi per totum diem professionis, maximè in Religione Diui Patris nostri Benedicti, in qua magna cum cæremonia, & solemnitate professio emittitur. Ità intellexit *Frater Garsia à Toleto in Compendio priuileg. D. Hieronymi tit. interdictum per communicationem §. 1.* & per totum diem, quo aliquis Religiosus sepulturæ traditur, qui si sepeliatur hora Vespertina, tunc potest suspendi interdictum per illud tempus, & deindè altera die, quando cantatur Missa diei obitus, potest etiam ipsum interdictum suspendi.

Idem erit dicendum, quotiescumque aliqui Religiosi Missam nouam celebrauerint, vt habetur in prædicto priuilegio Leonis X. Fratribus Benedictinis concesso, per ea verba, *necnon quoties Monachi d. Ordinis, & Congregationis primam Missam celebrauerint*; quæ suspensio intelligitur incipere à primis Vesperis diei, quo prædicta Missa decantabitur, vsque ad secundas eiusdem diei, quo festiuitas finiretur, sicut in alijs festiuitatibus fieri consueuerit, quicquid alij dicant, debere fieri, vsque ad meridiem tantùm, quo tempore Missa noua terminatur, quia iuxta Diuinum præceptum olim omnia Sabbatha, siuè festa à Vespera vsque ad Vesperam celebrari debebant. Et hæc quoad festiuitates, in quibus interdictum, vel cessatio à Diuinis in Ecclesijs Religiosorum suspendi possunt.

Dubium est autem, an virtute prædictorum priuilegiorum possint Regulares hodie ianuis apertis diebus prædictis Diuina Officia celebrare. Quia *Concilium Tridentinum (vt in antecedenti quæsito dictum est) sess. 25. de Regular. cap. 12.* statuit. *Vt censura, & interdicta non solum à Sede Apostolica emanata, sed etiam ab Ordinarijs promulgata, mandante Episcopo, à Regularibus in eorum Ecclesijs publicentur, atque seruentur*; & in fine eiusdem *sess.* 25. reuocat omnia priuilegia, & indulta, etiam Maris magni, quæ sunt contra decreta *d. sess.* Quidam affirmant prædicta priuilegia reuocata fuisse per *Conc. Trident. loc. cit.* ità *Nauar. in man. cap. 27. nu. 190. & lib. 5. consil. tit. de priuileg. cons. 7. per tot. Nicol. Garc. de benefic. par. 3. cap. 2. num. 180. & par. 5. cap 8. num. 87. vers. ad octauum*, vbi refert Sacram Congregationem Episcopo Abulensi, eamdem super hoc dubio consulenti, ita respondisse, *Priuilegia si ante Concilium reuocata fuerunt, vtiq; reuocata existunt*; Aliqui autem negant prædicta priuilegia à Concilio reuocata esse. Ità *Henriq. lib. 13. cap. 48. §. 1. Roderic. in exposit. Bull. Cruciatæ §. 5. num. 15. & tom. 2. quæst. Regul quæst. 112. art. 1. Greg. Sayr. de censur, lib. 5. cap. 13. num. 1.* & alij, quos refert, & sequitur *Laurent. de Peirin. tomo 1. priuileg. sui Ordin. Minimor. in exposit. constitut. 2.*

Sixti

Sixti IV. num.51. Mihi prior opinio sequenda videtur ob prædictam declarationem Sacræ Congregationis, & quia ab eadem ità rursus Episcopo Pinnensi, & Adriensi, qui super hoc dubium consulerant, responsum fuisse reperio. *Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum, inhærens declarationibus aliàs editis respondit Regularium priuilegia, quibus conceditur eis facultas celebrandi Diuina in diebus Sanctorum suorum Ordinum, & aliquot alijs tempore interdicti quatenùs non in terminis cap. 12. sess. 25. de Regular. esse sublata à Concil. cap. 22. eiusdem sess. quatenùs amplius contineant, quam iure communi, quod Concilium praecesit, erat permissum, nempè cap. fin. de sent. excomm. in 6. & Clem. 1. eod. tit. Ac propterea Regulares in vim priuilegiorum ante Concilium concessorum minimè potuisse in Ciuitate Pinnensi Ecclesiastico interdicto supposita in diebus festis superius expresiis Diuina Officia celebrare alta voce, ianuis apertis, pulsatis campanis, & interdictis admisiis, nec quemquam ex interdictis huiusmodi tradere ecclesiasticæ sepulturæ, eo prætextu, quod in articulo mortis signa dederint contritionis, & eos, qui contra scienter fecerunt, irregularitatem contraxisse, à qua nequeunt per alium, quàm per Romanum Pontificem liberari.*

Cosmus Card. de Torres.

Verùm prædicta omnia procedunt respectu priuilegiorum antè Concilium Tridentinum Regularibus concessorum, vt ea reuocata censeantur, ac eorum vigore nequeant Regulares Missas, & Diuina Officia ianuis apertis, pulsatis campanis, &c. celebrare in suis Ecclesijs diebus prædictis: prout etiam loquuntur declarationes Sacræ Cõgregationis, aliter tamen dicendum est, si aliquod priuilegium post ipsum Concilium Religioni alicui indultum fuisset, prout fuit illud à Clemente VIII. Fratribus Minoribus concessum, in quo approbat priuilegia, quod ijdem Fratres Minores posint tempore interdicti, quæcumque etiam Apostolica auctoritate appositi celebrare festa Sanctorum suæ Religionis, & de nouo concedit, vt posint dictis priuilegijs vti in festo Sancti Didaci, & Portiunculæ; quod indultum refert *Roderic. d. q. cit. art. 1.* Et quod dicitur de interdicto, intelligendum est, etiam de cessatione à Diuinis, eadem enim ratio militat. Ità *Roderic. d. art. 2. & in explicat. Bull. Cruciat. §. 5. num. 15. & Laurent. de Peirin. dicto num. 51. in fine.*

Licitum est insuper Regularibus, tempore interdicti generalis, siuè specialis, aut etiam tempore cessationis à Diuinis eligere sex personas inter viros, & mulieres successiuè, quæ in eorum Ecclesijs posint Missas, & Diuina Officia audire, necnon etiam ibidem Sacramenta Ecclesiastica recipere, & si aliquam ipsarum sex personarum interim mori contigerit, valeat Ecclesiasticæ sepulturæ tradi, tamen sine solemnitate, & dummodò Religiosi, vel aliqua earumdem sex personarum interdicto, aut cessationi à Diuinis causam non dederint, & ipsum interdictum auctoritate Apostolica positum, vel confirmatum non sit. Ità concesit Nicolaus V. Priori Monasterij Sancti Benedicti in Hispania, prout refertur in *Compend. priuileg. Mendicant. verb. Interdictum c. §. 23.* & ex priuilegio viuæ vocis oraculo à Nicolao Franco Legato à Latere concesso Monachis S. Benedicti Obseruantiæ Hispaniæ, possunt Regulares tempore interdicti ordinarij recipere ad Missas, & ad alias Horas audiendas in suis Monasterijs, & Ecclesijs quindecim personas in qualibet die, de ijs, quæ interdicto causam præbuerunt. Vt refertur in *eodem Compend. loco cit. §. 24.*

Aduertendum autem, quòd ex dispositione iuris communis quandò suspenditur interdictum in quibusdam diebus, vt initio huius quæsiti dictum est, non suspenditur pro Ecclesijs, vel personis particulariter interdictis; itàut si in illis celebrarent, essent irregulares. At Iulius II. concesit Fratribus Augustiniensibus, vt quæ Ordini suo pro tempore Generali, interdicti concessa sunt ea omnia in speciali interdicto concessa esse intelligantur, in quo licere eis voluit eadem omnia, quæ in generali interdicto licere concessum est; vt refertur In *eodem Compend. loco cit. §. 14.* quam concesionem valdè magnam, & ideo valdè notandum esse ait *Capuccin. in annot. ad d. Compend. verb. Interdictum 3. vers. decimo Iulius II.* quia iuxta illam in locis specialiter interdicto suppositis poterunt Regulares celebrare, & ea omnia agere, quæ possunt in interdicto generali, virtute aliorum priuilegiorum; vt notat *Capuccin. loco cit. & Laur. de Peirin. dicto loco num. 54.* vbi etiam notant personas specialiter interdictas id nequaquam facere posse, neque alios coram illis.

QVAESITVM V.

Vtrùm Abbates tempore interdicti posint Ordines conferre, sacra ornamenta benedicere, vel consecrationes aliquas facere.

SVMMARIVM.

1 *Ordinis Sacramentum tempore interdicti localis ministrari non potest, secus si interdictum foret personale, vt num. 2.*

2

3 *Interdicto populo, non censetur interdictus Clerus.*

4 *Interdicto Clero non censentur interdicti Religiosi, etiamsi interdictum feratur à Summo Pontifice.*

5 *Abbatibus non licet tempore interdicti localis publicè ornamenta Ecclesiastica &c. benedicere, Calices &c. consecrare, aut alia Diuina Officia ministrare.*

6 *Posiunt tamen prædicta exercere ianuis clausis, & cum moderationibus, quibus Diuina Officia interdicti tempore celebrare licet.*

1 Dico primò, Abbas tempore interdicti localis Ordinis Sacramentum ministrare non potest, *cap. responso, §. penult. de senten. excommunicat. & cap. non est vobis, de sponsalib.* vbi probatur, quod interdicti effectus est priuare participatione quorumdam Sacramentorum, quorum aliqua in *cap. Alma mater, eodem tit. in 6.* excipiuntur, inter quæ Ordinis Sacramentum non connumeratur, igitur illud administrare prohibitum remanet. Ità aduertunt *Panormit. in d. cap. non est vobis, num. 8. de sponsal. Sylnest. verb. Interdictum 5. num. 9. vers. sexta,*

Nauar.

Digitized by Google

Nauar. in manual.cap.27.num.179.Conar. in d. cap. Alma mater par.2.§.3 num.4.Henriq.lib.13.summa, de excomm.& interd.cap.45.§.4.Sayr. de censur.lib.5. cap.7.num.34.Suar.de censur.disp.33.sect.1.num.45. Vincent. Filliuc. moral.quaest. tract.18.cap.2. nu.47. Reginald.lib.32.praxis tract.3.num.27. vers. sextum est, Bonacin. de censur. disp. 5. punct.3. num.3. & alij apud eos citati.

2 Secùs dicendum foret, si interdictum esset perso-
nale tantùm, & non locale, quia tunc posset Abbas
Regulares sibi subditos, qui causam interdicto non
dederint, & personaliter interdicti non sunt, ad Ton-
suram, & Minores Ordines promouere. Ideò si inter-
dictus esset Populus tantum, vel Clerus tantū, vel Po-
pulus, & Clerus simul, non autem locus, posset Abbas
3 Regulares subditos ordinare; Quia interdicto Popu-
lo, non censetur interdictus Clerus, *Nauar.d.cap.27.*
num.167. Suar. de censur. disp. 32. sect. 2. num. 14.
4 & alij communiter. Similiter nec interdicto Clero,
intelligūtur interdicti Religiosi, etiamsi interdictum
feratur à Summo Pontifice, quia hi in fauorabilibus
veniunt appellatione Clericorum, non autem in
odiosis, vt tenent *Syluest. verb. Interdictum 3.nu.17.*
Angel.eod.verb.1.num.9.Henriq.d.lib.13.cap.42.§.3.
Vgolin.de censur.Eccles.tab.5.cap.8.§.5.num.3.Sayr.
d.lib.5.cap.4.num.29. Auil. de censur. 5.par. disp. 1.
dub.4. conclus. 7. Aegid. de Coninch. disp.17. num.8.
Filliuc.d.tract.18. num.14. Bonac.d.disp.1. punct. 1.
num.11. & alij contra *Nauar.Couar.& Suar.*& alios
apud *Sayr.& Bonac.locis citatis,*& dictum est à nobis
supra in 2.*quaes. huius disp. in princ.*

5 Dico secundò. Non licet Abbatibus tempore in-
terdicti localis publicè ornamenta Ecclesiastica, Cor-
poralia ad Missam celebrandam, alios Abbates, &
Abbatissas benedicere, neq; Calices, Patenas, Altaria,
vel Virgines, aut Campanas consecrare: neque tra-
dere benedictionem solemnem cum Baculo, & versu,
Adiutorium nostrum &c. neque benedicere Candelas
in die Purificationis, neque Oliuas, & Palmas in
Dominica Palmarum, quia sunt Diuina Officia, quæ
tempore interdicti prohibentur publicè ministrari.
Ità *Syluest.verb. Interdictum 5.q 1. vers. tertium, in*
fine, & q.4. vers. quintum, Franch. in d. cap. Alma
mater, §. adijcimus num.7. Nauar.d.cap.27. nu.177.
Vgolin.d.cap.8.§.5.num.3.Sayr. d.lib.5.cap.6.num.7.
Suar disp.33. sect. 3.nu.1. & seqq.Filliuc.d.tract. 18.
num.55.Bonac.d.disp.5. punct.7. num.6. & alij apud
Nauar.& Sayr.locis cit. Pœna autem, quam id fa-
ciendo incurrerent, esset irregularitatis, vt colligi-
tur ex *cap. is, cui, de sent. excom. in 6.* & tradunt *Bo-*
nac. loco cit. & eod.punct.7.num.4. necnon alij, quos
retulimus supra *quaes.3.* Limita, vt liceant eisdem
6 Abbatibus prædicta ianuis clausis, & cum modera-
tionibus, cum quibus possunt Diuina Officia inter-
dicti tempore celebrari, cum non sint Sacramenta,
sed tantùm Diuina Officia ad facienda quædam Sa-
cramentalia; ideo fieri etiam possunt in festis, in
quibus interdictum suspenditur, de quibus egimus
supra. Ità *Federic. de Sen.cons.3 col.2. & 3. Calder.*
*in tract.de Eccles. interd.membr.6.num.91.*apud *Na-*
uar.& Sayr. idem docentes locis citatis.

QVAESITVM VI.

Quæ Sacramenta tempore interdicti possint admi-
nistrari in Ecclesijs Abbatialibus tàm seculari-
bus, quàm Regularibus de iure communi, quæ
verò ex priuilegio.

SVMMARIVM.

1 *Baptismi Sacramentum tempore interdicti non solum paruulis, sed etiam adultis ministrari potest.*

2 *Eucharistiæ Sacramentum tempore interdicti an possit Clericis sanis ministrari.*

3 *Religiosis potest tempore interdicti Eucharistia Sacramentum ministrari.*

4 *Cessationis à Diuinis tempore an liceat Baptismum adultis, & Pœnitentiæ Sacramentum etiam ministrari.*

5 *Extremæ Vnctionis, Ordinis, & Matrimonij Sacramenta an tempore interdicti, & cessationis à Diuinis celebrari possint.*

1 Dico primò. Tempore interdicti generalis potuisse olim, & posse hunc Baptismi Sacramentum non solum paruulis, verum etiam adultis ministrari, *cap. quoniam, de sent. excommun. in 6. vbi gloss. Abbas, & gloss. in cap. quod in te, de Pœnitent. & remiss. in cap. non est vobis, de spons. Couar. in d. cap. Alma mater 2. par. §.1. num.7. & Suar. de cens. disp.33. sect.2.num.22. Nauar in man. cap.27.num. 178. Syluest.verb. Interdictum. 5.q.1. Filliuc. instit. moral. tract. 18. cap. 2. num. 31. Reginald. in prax. lib.32. tract.3. cap.27 nu.24.* & alij. Ratio est, quia propter periculum vitæ, & eius necessitatem hoc Sacramentum semper reputatur necessarium; ideò tempore interdicti, non solum potest ministrari paruulis, in periculo mortis constitutis; sed etiam extra tale periculum; quare eodem modo adultis etiam poterit Baptismus conferri ad peccata delenda; & in *d. cap. quorum,* non videtur limitari pro paruulis tantum, sed dicitur Baptismus paruulorum de iure, quia debuerit dari in pueritia, quod etiam ampliatur, vt tali tempore interdicti Sacramentum hoc possit cum solemnitate conferri ius enim absolutè de illo loquitur, sinè vlla distinctione, ità neque nos distinguere debemus, & ità cum solemnitate est administrandum ob decentiam Sacramenti.

2 Dico secundò. Eucharistiæ Sacramentum tempore interdicti non potest pœnitentibus administrari: nisi in mortis articulo, vel periculo sint constituti; vt notat *gloss. in d.cap.Alma mater, in verb. admittantur,* quam communiter receptam dicit *Conar. ibid. par.2.§.3.num.1.* notat etiam *Panormit. in cap. quod in te col.1. de pœnit. & remiss.* Quod ab aliquibus ità verum putatur, vt nec etiam ministrari possit Clericis, & Religiosis, quibus licitum est, ianuis clausis celebrare; quia Eucharistiæ Sacramenti vsus tempore interdicti non est licitus, nisi tantum celebrantibus Missarum solemnia, vel in periculo mortis constitutis. Ità tenent *Conar. d. §. 2. num. 1. Nauar.in manual cap.27.num.169. Vgolin. Henriq. Sayr.* & alij apud *Bonac.d.punct.3.§.2. num. 8.* Contrarium tamen sentiunt *Syluest. verb. Interdictum 5. quaes.7.*

quæſt. 7. Suarez diſput. 33. ſect. 1. num. 35. & alij. Verum quoad Monachos,& Religioſos nulla eſt difficultas, quin poſsint, tempore interdicti, etiam non celebrantes Miſſæ Sacrificium, Eucharistiæ Sacramentum ſumere; & hoc ex priuilegio ſpeciali à Iulio Secundo conceſſo Fratribus Minoribus Obſeruantiæ Prouinciarum Regnorum Caſtellæ, & Legionis. *Quod abſque aliquo conſcientiæ ſcrupulo, poſsint Sacramentum Eucharistiæ tempore interdicti coram quibuſuis perſonis ſecularibus, vel Regularibus, facultatem audiendi Diuina Officia habentibus accipere.* Ità refertur in *Compend. priuileg. Mendicant. verb. communicare* §. 8. cuius priuilegij meminit *Couar.* vbi proximè.

4 Dico tertiò. Tempore ceſſationis à Diuinis, ſtando in rigore iuris Baptiſmi Sacramentum paruulis, & Sacramentum Pœnitentiæ morientibus tantum miniſtrare licèt; ex benigna tamen Doctorum interpretatione, & communi praxi licitè etiam Baptiſmi Sacramentum adultis, & Pœnitentiæ Sacramentum ſanis, & cum ſolita ſolemnitate miniſtratur.

Primum probatur ex *cap. non eſt vobis, de ſponſ.* cuius verba ſunt. *Nulla Diuina officia præter Baptiſmum paruulorum, & Pœnitentiam morientium, celebrentur, vel permittatis aliquatenus celebrari*; vbi ſolum excipitur pœnitentia morientium: & alio iure non inuenitur exceptum; nam in *cap. Alma*, conceditur tantùm pro tempore interdicti, non autem pro tempore ceſſationis à Diuinis; quia ceſsatio non comprehenditur ſub interdicto.

Secundum conſtat ex conſuetudine, & praxi, quæ fundata eſt in grauiſsimorum Doctorum Salmanticentium authoritate, qui conſilium, de hac re fecerunt anno 1566. & docuerunt Baptiſmi Sacramentum etiam adultis, & Pœnitentiæ Sacramentum etiam ſanis tempore ceſsationis miniſtrari poſse. Videantur *Couar. in dicto cap. Alma mater par.* 2. §. 4. *num.* 7. *Sayr. de cenſur. lib.* 5. *cap.* 19 *num.* 12. *Henriq. lib.* 13 *cap* 53. *num* 4. *Suar. de cenſur. diſput.* 39. *ſect.* 2. *à nu.* 18. *vſq; ad* 28. excluſiuè, *Aegid. de Conninch diſp.* 17. *dub.* 7. *num.* 87. & alij apud *Bonacin de cenſur diſp.* 6. *punct.* 3. *num.* 5. & 6. qui omnes concludunt hoc tempore licitè, etiam Confirmationis Sacramentum miniſtrari poſse; quia cenſetur Baptiſmi complementum, & conſequenter conceſso Baptiſmo, videtur etiam conceſſa Confirmatio.

5 Dico quartò. Reliqua Sacramenta eſse prohibita tempore ceſsationis, eodem modo, quo prohibita ſunt tempore interdicti; quod autem prohibita ſint tempore interdicti, patet; quia eo tempore ſpeciali iure, *dicti cap. quoniam*, & *dicti cap. Alma mater*, Sacramenta ſuperiùs enumerata, ſolum miniſtrari poſsunt; igitur in hoc caſu, quod non reperitur ſpecialiter conceſſum quoad celebrationem Diuinorum Officiorum, & miniſtrationem Sacramentorum cenſetur prohibitum. Videantur *Couar. dicto* §. 3. *Suar. diſp.* 33. *per totum*, *Nauar. dicto cap.* 27. *num.* 121. & *aliquot ſequentibus, Henriq. lib.* 13. *cap.* 45. *Sayr. lib.* 3. *cap.* 7. *Regnald. lib.* 32. *tract.* 3. *cap.* 7. *à num.* 22. *vſque ad* 30. excluſiuè, *Conineb. diſput.* 17. *dub.* 2. *Bonacin. dicto punct.* 3. *per totum*, & alij apud eum, & Doctores citatos.

QVAESITVM VII.

Vtrùm Abbates poſsint de iure communi, vel priuilegio tempore interdicti in ſuis Eccleſijs ſepulturam aliquibus dare.

SVMMARIVM.

1 *Interdicti tempore Eccleſiaſtica ſepultura eſt omninò prohibita.*

2 *Clerici, & Religioſi an tempore interdicti poſsint in loco ſacro ſepeliri.*

3 *Ceſſationis à Diuinis tempore an ſit prohibita eccleſiaſtica ſepultura.*

4 *Clerici, & Religioſi an tempore ceſſationis poſsint in loco ſacro ſepeliri.*

1 Dico primò. Quod eccleſiaſtica ſepultura ratione tumulationis cadaueris in loco ſacro, abſq; vlla reſtrictione eſt omninò prohibita tempore interdicti propter Officium, quod fit ſupra cadauere. Probatur ex *cap. non eſt vobis, de ſponſ.* vbi abſolutè prohibentur omnia Diuina Officia; at illud connumeratur inter vnum ex Diuinis Officijs; ergò &c. & in hac ſententia reſident omnes Doctores, vt affirmat *Suar. de cenſur. diſput.* 35. *Filliuc tom.* 1. *moral. quæſt. cap.* 7. *q.* 8. & quoad hoc eadem eſt ratio de ceſsatione, & interdicto.

2 Dico ſecundò. Clerici,& Religioſi non interdicti, qui interdictum ſeruauerunt, nec ad illud culpabiliter cauſam dederunt, poſsunt tempore interdicti localis generalis, vel etiã ſpecialis, ſepeliri in loco etiam ſpecialiter interdicto, nempè in Eccleſia, vel cœmeterio ſacro; modò id fiat ſinè ſolemnitate, & abſque pulſatione campanarum, *cap. quod in te, de pœnit. & remiſſ. Nauar. cap.* 27. *num.* 176. *Henriq. lib.* 13. *cap.* 44 *Syluest. verb. Interdictum* 5 *q* 8. *Scotus in* 4. *diſt.* 22. *q.* 3. *art.* 1. *Suar. de cenſur. diſput.* 35. *ſect.* 1. & 3. *Regnald. lib.* 32. *ſuæ praxis tract.* 3. *num.* 37. Imò poſt *cap. Alma mater, de ſentent. excom. in* 6. poſsunt ſepeliri cum Diuino Officio,& Miſsa iuxtà moderationem illius cap. nam ibi conceditur, vt tempore interdicti localis generalis poſsint celebrari Diuina Officia ſubmiſsa voce,& ianuis clauſis, *Sayr. lib.* 3. *cap.* 7. *num.* 6. *Henriq. dicto cap.* 44. *Suar. dicta diſput.* 35. *ſect.* 1. *Bonac. de cenſur. diſp.* 5. *punct.* 5. *num. vlt.* Quod ſi cœmeterium ſit extra Eccleſiam, Officia in Eccleſia celebrari poterunt, ſeruata ſolemnitate, *dicti cap. Alma mater*, deindè cadauer in cœmeterium cum ſilentio transferri poteſt. Ità *Suar. eadem ſect.* 1. *num.* 10. *Bonac. loco citato.*

3 Dico tertiò. Eccleſiaſticam ſepulturam ratione depoſitionis, ſeù tumulationis cadaueris in locum ſacrum, non videri prohibitam iure in ceſsatione. Probatur pluribus à *Suarez*, & *Filliuc. locis ſupra citatis*. Ratio præcipua eſt, quia tempore ceſsationis nullo iure prohibita reperitur eccleſiaſtica ſepultura; generalibus autem verbis tantum prohibentur Diuina Officia, at traditio ſepulturæ modo dicto non eſt Officium propriè, & per ſe loquendo; ergò ſi fiat tumulatio cadaueris in locum ſacrum, tunc non videtur prohibita.

Confirmatur, quia nullo iure caoetur cessationem priuare ijs omnibus, quibus primae interdictum; verum quia solet persępe poni cessatio post interdictum locale, ideò cum interdictis etiam ecclesiastica sepultura prohibita sit, consequenter etiam tempore cessationis non traduntur corpora ecclesiasticæ sepulturæ, verum hoc fit vi & ratione interdicti, non autem cessationis.

4 Dico quartò tempore cessationis à Diuinis, ecclesiasticam sepulturam non prohiberi fauore Clericorum eo modo, quo tempore interdicti, nec etiam prohiberi, secundum probabilem nonnullorum opinionem, qui eam negaot pro laicis tempore cessatioois; modo ramen Clerici sepeliãtur sinè Diuinis Officijs. Ità *Doctores Salmaticenses*, teste eodem *Fillius. tom. e. moralium quæstion. tractat. 18. cap. 7. quæst. 8. Suar. disput. 39. sect. 2. num. 31. & sequent. Bonacin. de censur. disput. 6. punct. 3. num. 8.* Supponunt enim hi Doctores concessionem factam clericis, ex priuilegio tempore interdicti posse extendi etiam ad cessationem à Diuinis.

Idemque multò magis respectu, & fauore Clericorum, verum erit non prohiberi sepulturam. Nomine Clericorum hic veniunt etiam Religiosi, etiam Nouitij; quia Religiosi in fauorabilibus veniunt etiam nomine Clericorum, Prædicatores, & Minores in hoc sunt priuilegiati, vt per *Syluestr. verbo, cessatio, num. 5. & Capucc. in annot. ad Compend. priuileg. verb. Interdictum 3. vers. & per priuilegium, & vers. seq.* vbi cum *Cordub.* ex priuilegio à Leone X. Beoedictinis concesso, concludit licere Regularibus in diebus festiuis io quibus ioterdicta virtute prioilegiorum, tàm specialiter, quàm aliàs de iure generaliter concessorum suspenduntur, in eorum Ecclesijs omnium secularium cadauera cum solemnitate sepulturæ tradere.

QVAESITVM VIII.

Vtrùm Abbas possit ponere cessationem à Diuinis.

SVMMARIVM.

1 *Cessationem à Diuinis ponere potest Abbas.*
2 *Interdictum qui potest ferre, potest etiam ponere cessationem à Diuinis.*

1 Vpposita cessationis diffinitione deueniendo ad propositam quæstionem. Dico primo, quòd Abbas potest ponere cessationem à Diuinis ea ratione, qua potest interdictum; quicumque enim potest
2 ferre interdictum, potest etiam, & cessationem à Diuinis imponere, vt tenent *Sotus in 4. distinct. 22. quæst. 3. art. 2. conclus. 3. Syluest. verbo, cessatio, in princip. Couar. in cap. Alma mater part. 2. §. 2. num. 6. Enriq. lib. 13. cap. 54. §. 1.* & communis opinio *Summistarum in verbo, cessatio*, quod etiam videtur affirmari per *Suarez disput. 39. sect. 3. num. 2. Auilam de censur. part. 6. disp. 2. dub. 1. Sayr. eodem tractat. lib. 5. cap. 18. num. 3. Reginald. lib. 32. tract. 3. num. 72. Bonacin. de censur. disput. 6. punct. 2. num. 1.* & alios; & colligitur ex *glossa in cap. si Canonici, in verbo, cessare, de offic. Ordinar. in 6.* vbi habetur, quod Canonici Ecclesiæ Pictauen. habent ex priuilegio, vel ex consuetudine, quod cum aliquis eos offendit, possunt cessare à Diuinis, donec sic eis satisfactum &c. ratio est, quia succedunt in iurisdictionem Episcopalem Ordinaria, Sede vacante; sed Abbas, vt suprà probatum est, habet iurisdictionem quasi Episcopalem, & sicut potest ponere ioterdictum potest etiam ponere & cessationem à Diuinis, quia ad ponendam cessationem à Diuinis sufficit iurisdictio Episcopalis, & communis, ac publica fori contentiosi Ecclesiastici.

Hic autem adnotare libuit, quod in ponenda cessatione à Diuinis, oet essariò requiruntur aliquę conditiones, adeò quod sit sint de essentia, atque substantia prædictæ pœnæ, seù censuræ cessationis à Diuinis, vt aliqua earum deficiente, cessatio sit nulla; vt colligitur ex *cap. si Canonici, de offic. Ordinar. lib. 6.* Ideò, vt sit legitima decem habere debet conditiones. Prima, vt imponens prædictam cessationem potestatem habeat, à iure, vel consuetudine, vt in *dicto cap. si Canonici, de offic. Ordinar. lib. 6.* Secunda, vt si cessatio ponenda est à Capitulo, omnes Canonici, nemine dempto, conuocentur, etiam absentes, qui conueniri possunt, vt habetur *in cap. coram dilecto, cap. quia propter, de elect. & cap. quamuis, de offic. Ordinar. lib. 6.* Tertia, vt diligentèr, ac maturè tractetur de causa ipsa cessandi, priusquam ipsa cessatio imponatur. Quarta, vt maior Capituli pars, seù Conuentus sit in deliberatione, per *dict. cap. si quamuis*. Quinta, quod offensa, propter quam cessatur, sit notoria, & manifesta, oec sufficit esse probabilem, aut quod probabilibus rationibus agatur contrà aliquem, contrà quem talis cessatio ponitur; nec valet allegare vllam consuetudinem circà hoc, quia esset onerosa; vt habetur in *cap. 1. & cap. cum venerabilis, de consuetud. Syluest. verbo, cessatio, quæst. 1.* Sexta, quod illa causa propter quam cessatur, non solum debet esse notoria, & manifesta; sed debet etiam esse rationabilis, & non sufficit, quod causa sit rationabilis, verum etiam requiritur, quod sit apertis rationibus mostrata. Quæ nam causa sit rationabilis, tradunt Doctores, dicendo non debere pooi cessationem, neque pro pensiooe subtracta, neque pro aliqua offensa parui momenti, sed pro iniuria Ecclesiæ illata, nempè quia fiunt statuta contrà Ecclesiasticam libertatem; vel quia imponuntur gabellæ Clericis: aut quia Canonicus aliquis per Iudicem secularem detinetur. Septima, quod ante cessationem per scripturam aliquam publicam causa cessationis exprimatur. Octaua, quod illa scriptura tradatur illi contrà quem cessatio emanat. Nona, quod cessaturi requirant ipsum, vt satisfaciat iniuriæ, siuè offensæ, quæ fuit causa cessationis; quod si ille facere contempserit, habet locum talis pœna cessationis. Decima, quod post talem cessationem ambæ partes tàm cessans, quàm illa, contra quam emanauit cessatio, infrà mensem per se, vel per procuratorem se conferat ad Sedem Apostolicam, & competenti interuallo dierum, se eidem præsentet; vt causa cognita, Summus Pontifex remedium

medium adhibeat necessarium. De quibus omnibus per Doctores prædictos, & per *Syluest. verbo, cessatio, quæstio 1. num. 2.* & exceptæ sunt ex *cap. quamuis, de offic. Ordin. lib. 6.* & ibi per *Ioann. Andream*.

2 Sed est aduertendum, quod non omnes suprà enumeratæ conditiones seruandæ sunt generaliter in omni cessatione lata ab Abbate, qui Ordinariam habet potestatem; quod ex eo patet, quia nonnullæ ex conditionibus ibi appositis, ita cohærent cum supradictis cessationibus, vt nullo modo in istis locum sibi vendicent: Cum enim cessationis pœna fertur ab Abbate, seù ab alio Iudice habente Ordinariam iurisdictionem, conuocatio, & consultatio plurium in hoc sibi locum non vendicat, nec alia permulta, quæ in dictis conditionibus continentur, & quamuis ibidem aliæ enumerentur, quę possunt esse communes, certissimum est etiam, prædicta iura non posse adstringere Abbatem, aliosq; Iudices Ordinarios, cum non loquantur generaliter de Iudicibus Ordinarijs, sed specificè de Collegijs, & Capitulis; de quibus optimè discurrit *Filliuc. tom. 1. moral. quæstion. tract. 18. cap. 6. quæst. 4.* vbi vult aduertendum esse differentiam penès has prædictas conditiones si cessatio à Diuinis fertur, ab Ordinario, siuè ab habente prædictam iurisdictionem, vel à pluribus simul Canonicis, scilicet vel Capitulo eamdem iurisdictionem habentibus. Verum quidem est, vt notat idem *Filliuc. loco cit.* quod etiamsi ex vi illius *cap. si Canonici*, non habeatur huiusmodi conditiones esse de essentia cessationis; tamen ex *cap. quamuis*, hoc probabiliter colligitur, vt ipse per *Ioannem Andream, Angel. Syluest. Suarez* probat, & tenet, sed cum hac limitatione, quod prædictæ conditiones non sunt extendendæ omnes ad cessationes, quas ferunt Prælati, & alij Iudices Ordinarij, inter quos nos meritò enumeramus Abbates prædicta iurisdictiones pollentes.

Circa formā in imponenda cessatione à Diuinis seruandam aduerto, quod Abbas, vel alius Prælatus, & omnes, quibus de iure, vel priuilegio huiusmodi facultas in hac re conceditur, illa obseruare debent, quæ pro forma traduntur in *cap. 1. de sent. excomm. in 6.* Necnon ea, quæ etiam pro forma ponuntur per *glos. in prædicto cap. si Canonici, in verbo quæritur*, vbi habetur; *quod in scriptis, in instrumento publico, vel literis sigillatis, & sigillo authentico debet inserere causam sua cessationis, & notificare delinquenti, quod propter illam causam intendit cessare à Diuinis.* Ità tenent communiter Doctores, qui agunt de cessatione prædicta, qui id probare nituntur, dicentes, quod quamuis non sit de rigore præallegati capituli, quod solum loquitur de excommunicatione, mandatq; illa esse seruanda in ferenda sententia excommunicationis; extenditur tamen à paritate rationis ad suspensionem, & interdictum, sub quibus in rigore non comprehenditur cessatio prædicta; nihilominus tamen illud est consuetudine obseruatum, & receptum vt forma illa seruetur in hac sententia cessationis ferenda, vel propter rationis similitudinem, quæ fumitur ex principio illius text. ibi, *cum medicinalis sit excommunicatio, & non mortalis*; idque etiam conuenire debet prædictæ cessationi, vndè non seruans formam dicti *cap. primi, de sentent. excommunication.* sup. allegati incurrit pœnam in ipso appositam, quæ est suspensio per mensem ab ingressu Ecclesiæ, & si celebret in ea, fit irregularis, vt videre est in *glos. dicti cap.*

QVAESITVM IX.

Qui possit cessationem ab Abbate, vel alio Prælatò positam tollere, & auferre, & quæ forma tunc sit adhibenda.

SVMMARIVM.

1 *Cessatio à Diuinis, a quo tolli possit, ostenditur.*
2 *Successor omnem, & eamdem auctoritatem, & iurisdictionem habet, quam suum prædecessor habebat.*
3 *Forma in tollenda cessatione à Diuinis seruanda.*

1 CVm cessatio à Diuinis iustis de causis ab homine imponitur, ab eodem homine tolli vtique poterit, vel à Superiore ipsius, vel ab eius successore, si ipse è vita excesserit, vel ab illo, qui ad ponendam cessationem delegatus fuit; & sic poterit cessatio ab Abbate posita tolli, vel per seipsum, vel per suum Superiorem, vel successorem etiam, si antecedens Abbas è vita non discedat, quia verbi gratia, si Abbas Montis Casini in vltimo suo quinquennio cessationem ponit, poterit eadem cessatio auferri ab eius successore, etiamsi Abbas, qui cessationem posuit, adhuc viuat. Ratio est, quia successor 2 omnem, & eamdem auctoritatem, & iurisdictionem habet, quàm suus prædecessor habebat, & non potest ab eo impediri, vt prædictam iurisdictionem, quo melius successori videbitur, impediat. Difficultas solum remanet de Superiore, quis sit præter Papam intelligendus, quæ difficultas loquendo de Abbatibus Regularibus, alicui Generali subiectis tollitur, dicendo per Superiorem Abbatem Generalem, seù Diffinitorium esse intelligendum, ratio est, quia in omnibus huiusmodi Abbates tàm in iurisdictione spirituali, quam temporali subduntur Generali, & Diffinitorio, & eorum auctoritas potest à prædicto Generali, & Diffinitorio auferri, & limitari, & suppleri, quandò opus est. De alijs verò Abbatibus, nulli Generali, & Capitulo subiectis tàm Regularibus, quàm secularibus loquendo, putò per Superiorem intelligendum esse Summum Pontificem, non alium, maximè si sint exempti, eique immediatè subiecti.

3 Quoad formam tollendi cessationem, dico nullam certam esse præscriptam, sed requiri tantum, vt eam tollens, suam explicet voluntatem, aliquibus verbis eam auferendi, solo enim facto est Summi Pontificis proprium in censuris, & similibus tollendis procedere, quia ipse solus, non est ligatus iure. Ità *Reginald. in praxi fori pœnit. lib. 32. tractat. 3. num. 84.*

QVAESITVM X.

In quas pœnas incurrunt Abbates, & Prælati Regulares, & Religiosi violantes cessationes à Diuinis.

SVMMARIVM.

1 *Religiosi non seruantes cessationem à Diuinis, quæ ab Ecclesia Cathedrali, Matrice, vel Parochiali obseruatur, incidunt in excõmunicationis pœnam.*
2 *Religiosorum nomine veniunt Abbates, & eorum Monachi.*

1 EXcommunicationis pœnam ipso facto incurrunt Religiosi omnes tàm exempti, quàm non, qui non obseruant generalem cessationem à Diuinis, quandò sciunt Ecclesiam Cathedralem, vel Matricem, seu Parochialem illam obseruare, tàm si sit lata cessatio huiusmodi à Papa, quàm ab Episcopo, vel Concilio Prouinciali, aut Capitulo, vel Collegio, seu Abbate, alioque prædictam potestatem ponendi cessationem habente, ità colligitur ex *Clem. 1. §. 2.*
2 *de sent. excomm.* vbi nomine Religiosorum veniunt etiam Abbates, & eorum Monachi, etiamsi sint exempti, quia vniuersaliter contrà omnes Religiosos, cessationem non obseruantes, sed violantes, prædicta sententia excommunicationis ipso facto incurrenda promulgatur. Ità *Nauar. cap. 27. num. 146. Auila de censur. par. 5. disp. 5. dub. 3. Sayr. de censur. lib. 8. cap. 14. num. 13. Suar. de censur. disp. 34. sect. 4. num. 14. Eman. Sà verb. Interdictum, num. 13. Filliuc. moral. quæst. tomo 1. tract. 18. cap. 4. num. 60. Coninch. disp. 17. dub. 4. num. 72.* & alij apud *Bonac. de censur. disp. 5. punct. 7. num. 4. vers. dixi in propositione.*

DISPVTATIO XVII.

De potestate Abbatum, & Prælatorum inferiorum quoad absoluendum ab irregularitatibus.

QVAESITVM I.

Vtrùm Abbas possit, suis Monachis pœnam irregularitatis, & impedimentum ad gradus, & dignitates suæ Religionis imponere.

SVMMARIVM.

1 *Irregularitas quomodo diffiniatur.*
2 *Prælatus nullus (Papa excepto) potest irregularitatem imponere.*
3 *Abbates possunt declarare tantum, an subditi irregularitatem incurrerint.*
4 *Inhabilitare potest Abbas Monachum suum ad gradus, & dignitates Religionis, ex aliquo delicto.*

1 SVpponendum est pro intelligentia huius quæsiti, irregularitatem esse inhabilitatem, seu impedimentum canonicum, ex se directè, & primario impedientem acceptionem Ordinum Ecclesiasticorum, & consequenter etiam vsum eorum. Ità colligitur ex *Soto in 4. distinct. 22. art. 1. Hostiens. in cap. 2. de Cleric. excommun. minist. Ledesma 2. par. 4. quæst. 26. art. 2. vers. 6.* qua posita differentia, dico non posse Abbatem, nec alium Prælatum Papa
2 inferiorem irregularitatem ponere; quià duobus modis, vt notat *Suarez de censur. disput. 40. sect. 4. num. 1.* ferri contingit aliqua pœna spiritualis. Primò per modum medicinæ. Secundò per modum puniendi. Primus modus repugnat irregularitati. Et secundus modus non est in vsu, vt ait *Suarez loco citato.* Ergò non fertur irregularitas ab aliquo Prælato; imò quoties aliqua irregularitas habetur ex ali-

ex aliquo Concilio Prouinciali, in tantum vim habet, in quantum per Summum Pontificem, vel vniuersalem Ecclesiæ vsum approbata est. Tum quia irregularitas rea adeo grauis est, vt à nullo, excepto Summo Pontifice, imponatur in casibus ab eo expressis in *cap. 11, de sent. excom. in 6.* & præter illos casus, non potest imponi irregularitas, nec per Iudicis sententiam, nec per nouum ius inferiorum; sed tantum possunt Abbates, & inferiores Prælati declarare, an sui subditi, irregularitatem incurrerint; quod nihil addit in tali casu eorum iurisdictioni.

4 Si verò loquamur de impedimento respectu gradus, vel dignitatis, vel officij suæ Religionis; tunc cum huiusmodi impedimentum non sit irregularitas (vt ex diffinitione allata constat) poterit Abbas, inhabilitare suum Monachum ad gradum, & dignitatem, vel officium suæ Religionis, quia constitutiones Religiosorum à Sede Apostolica approbatæ inhabilitatis pœna solent aliquando delinquentes punire, vt commisso hoc, vel illo errore, & facinore, ad Prælationes, aliaque officia inhabiles reddantur, Vnde quoticicumque constitutiones sunt à Sede Apostolica approbatæ, vel pœnæ ab Abbate imponendæ sunt à iure communi præscriptæ; potest Abbas delinquentes subditos ità punire, nisi aliàs sit ei specialiter interdictum. Dixi *à iure communi præscripta*, quia cum Iudex debeat secundum ius iudicare; nisi habeat proprium ius, & particularem legem, potest secundum ius commune suos Monachos inhabilitare; In quo casu Monachi non intelliguntur exempti à pœna à suo Abbate infligenda; neque ex hoc quod ab Episcopis exempti sunt, eximuntur etiam à iure communi. Si verò talis inhabilitas non esset de iure communi, si respiciat actum, cuius valor pendet aliquo modo ex potestate administratiua, siuè Oeconomica ipsius Abbatis, tunc poterit subditum inhabilitare.

Aliæ verò pœnæ spirituales, & inhabilitantes, quæ à constitutionibus, vel à iure communi non sunt institutæ, nec potestatem dominatiuam respiciunt, de nouo non possunt constitui, & excogitari ab Abbate: sed tantum à Summo Pontifice, vt per *Suarez de censur. disput.* 40. ferè per totam.

QVAESITVM II.

Quomodò intelligenda sint verba priuilegiorum, per quę Abbatibus conceditur, vt possint absoluere ab irregularitatibus.

SVMMARIVM.

1 *Verbum, absoluendi, latè sumitur pro verbo, abolendi, seù tollendi.*

2 *Priuilegia, & fauores ampliandi, præcipuè quandò nulla, vel minori verborum impropriatione id fieri potest.*

Est aliquibus priuilegijs concessa facultas Regularibus Prælatis absoluēdi ab irregularitatibus, infamia, &c. cùm autem irregularitas non sit censura Ecclesiastica, vertitur in dubium, quid sibi velint illa verba, vt absoluant ab irregularitatibus; quia absolutio traditur à censura, non autem à pœna. Cui difficultati putant aliqui satisfacere dicendo posse Prælatos absoluere ab irregularitatibus, idest, à culpa, remanente adhuc irregularitate. Alij verò dicunt posse Prælatos absoluere ab irregularitatibus, idest à peccatis irregularitatem inducentibus; quæ doctrina videtur fuisse *Nauar. cap. 27. num. 76. in man.* hæ quidem opiniones magnam cum priuilegiis inducunt contrarietatem; imò ex his cum nihil addatur Prælatis supra commune ius, videntur illa verba, in priuilegijs gratis posita, & circa irregularitates, stantibus prædictis opinionibus, nulla essent priuilegia Regularibus cōcessa, quod falsum est, vt videbimus infra; & videri potest in *Comp. priuileg. verb. irregularitas*: Ideo dicendum erit cum *Suar. 4. tom. de Rel. tract. 8. lib. 2. c. 21. n. 16.* in illis priuilegijs verbum, absoluēdi, 1 latiùs sumi pro verbo, abolēdi, seù tollendi; quia sicut sub potestate ligandi, & soluēdi includitur etiam potestas dispensandi; ità verbum absoluendi, interdū potest accipi in illa generali significatione, quæ includit etiam dispensationem. Et licet, iuxtà communem vsum, & proprium Canonum, nō soleat accipi pro dispensando, tamen id intelligendum erit, quando adiuncta verba ad id non cogerent, non autem secus; vt hic, vbi per coniunctionem illatum duarum vocum, *Absolutio irregularitatis*, oportet, vel vtrumq; illarum improprietatem, vel extensionem significationis, vt supra, admittere; minor autem improprietas est, extendere verbum absoluendi ad dispensationem, quàm accipere irregularitatem pro culpa, quæ irregularitatem produxit, aut producere potest; maximè quià 2 priuilegia, & fauores sunt ampliandi, quod erit faciendum quando cum nulla, vel minori verborum impropriatione fieri potest.

QVAESITVM III.

Verùm Abbas dispensare possit cum suis Monachis super irregularitate contracta per bigamiam.

SVMMARIVM.

1 *Bigamia quotuplex sit, ostenditur.*

2 *Dispensare nequeunt Abbates super bigamia vera, vel interpretatiua.*

3 *Dispensare possunt Abbates super bigamia interpretatiua, quandò occulta est.*

4 *Dispensare an possint etiam Regulares Prælati in bigamia similitudinaria Clerici, vel professi contrahentis cum vnica, & Virgine.*

5 *Prælati seculares cum suis subditis possunt in bigamia irregularitate dispensare in casibus in quibus potest Abbas cum suis Monachis.*

6 *Clericus in Sacris constitutus, vel professus si cum vidua, vel corrupta, aut duplex inijt matrimonium quis possit in huiusmodi bigamia cum illo dispensare, ostenditur.*

1 Triplex irregularitas per bigamiam contrahitur secundum *glo. in c. nuper, de bigam.* Nempè vera; ficta, vel interpretatiua, & similitudinaria. Vera est quando quia verè duas vxores legitimè duxit, & cognouit carnaliter, vnam post alteram, per *c. debitum, de bigam. c. Acutius, & c. qui sana distinct. 26.* Ficta, aut interpretatiua est; quando quis, re-

vera non contraxit cum duabus: sed secundum interpretationem iuris censetur contraxisse cum duabus; vtpotè qui contraxit cum vidua, quæ cum priori marito matrimonium consummauerat; vel cum alia iam per alium corrupta, per *tex. in c. maritum dist. 32. & cap. curandum dist. 34.* Secus verò, si ipse met eam corruperit, iuxta *gloss. in c. fin. de bigam. & c. 2. de Cleric. coniug. Nauar. in man. cap. 27. nu. 197. Sanch. de matrim. lib. 7. disp. 84. num. 14. Suar. de censur. disp. 49. sect. 3. num. 7. Sayr. de censur. lib. 6. cap. 4. num. 17.* & alij communiter. Item ficta, vel interpretatiua bigamia contingit, quandò quis iam coniugatus iterum contrahit matrimonium cum alia, & cum ea copulam habet; vel quandò vnam vxorem legitimam habuit, & deindè aliam inualidè ducit cum impedimento dirimente; nam tunc si eum ea copulam consumat, incurrit bigamiam non realem, sed interpretatiuam; quia censetur bis contraxisse matrimonium ob effectum, & intentionem contrahendi cum duabus, copula subsecuta, animo maritali, *cap. nuper, de bigam.* Quod si quis vnum matrimonium, ficto consensu, animo tantum copulam extorquendi, contraheret: non dicetur bigamus; quia non haberet maritalem affectum requisitum ad bigamiam in *d. cap. nuper*, vt ait *Bonac. de censur. disp. 7. quæst. 2. punct. 5. sub num. 2. vers. primò quandò*, contra *Suar. d. disp. 49. sect. 2. num. 10.* Dicitur etiam bigamus bigamia interpretatiua, qui duo matrimonia, etiam inualidè contracta cum aliquo impedimento dirimente, consummauit, vt colligitur ex *d. cap. nuper, de simon.* Ità *Sanch. d. disp. 84. num. 3.* vbi alios congessit, *Sayr. d. lib. 6. cap. 4. num. 7. Suar. d. sect. 3. Soto, Filliuc. Tolet. Vgolin.* & alij apud *Bonac. d. punct. 5, num. 12.* contra *Auilam, Henriq. & Conineb.* Aliomodò dicitur quis bigamus interpretatiuè, quandò contraxit matrimonium cum Virgine, eamq; cognouit, post quam ipsa, siuè volens, siuè per vim, aut metum cum alio adulterata est, *cap. si cuius, cap. si laici 34. dist.* Secus quando quis contraxit cum Virgine, sed eam, postquam adulterata est, non cognouit. Ità *Suar. & Bonac. locis cit.* & alij apud eos. 3

Bigamia similitudinaria ea est, quam incurrit, qui voto solemni castitatis in professione Religionis, vel in sacrorum Ordinum susceptione emisso adstrictus, contraxit, & consumauit matrimonium cum aliqua etiam vnica, & Virgine, *can. quotquot 27. q. 1. & d. cap. nuper, de bigam.* notant *Angel. verb. bigamia, Sylu. eod. verb. in princ. Nauar. in man. cap. 27. num. 195. Suar. d. disp. 49. sect. 4.* & latè *Filliuc. tom. 1. quæst. moral. tract. 19. cap. 4. q. 9. num. 121.*

2 Quibus sic annotatis, dicimus. Nullum Abbatem, nec quoslibet alios Prælatos Papa inferiores cum suis subditis super irregularitate, prouenienete ex bigamia vera, aut interpretatiua dispensare posse, vt ad sacros Ordines promoueantur; quia talis dispensatio iure communi Summo Pontifici est reseruata. *Sylu. verb. casus, q. 1. cas. 1. & D. Thom.* expressè *in quolib. 4. & in 4. dist. 27. q. 7. art. 3. Nauar. d. cap. 27. num. 197.* & alij communiter. Nec de ea Religionum Prælatis aliqua apparet concessio; ergò sequitur eos cum suis subditis verè, vel interpretatiuè bigamis nullo modo dispensare posse, vt ad sacros Ordines promoueantur. Imo neque quo ad minores; quia hodie hoc neque etiam Episcopis licere videtur; vt expressè declarauit Sacra Cardinalium Congregatio apud *Garc. de benefic. par. 7. cap. 6. nu. 5. Bonacin. d. punct. 5. num. 15.* Atque ità *Suar. d. disp. 49. sect. vlt. nu. 17. Lopez in instruct. tom. 2. par. 2. cap. 22. Tolet. lib. 1. cap. 68. num. 4. Bonac. loc. cit.* & alij plures, quos refert, & sequitur *Garc.* vbi proximè *Bartbol. de Vecch. in praxi pro Nouit. de Relig. recip. disp. 9. dub. 15. num. 2.* licet contrarium teneat *Sanch.* pluribus alijs relatis *d. lib. 7. disp. 86. num. 11.*

Nec suffragatur, quod Sixtus IV. concesserit Minoribus *Vt quilibet eorum possit semel eligere Confessarium de huiusmodi Obseruantia, qui audita eius Confessione pœnitentiam salutarem iniungendo absoluat eos &c. & dispenset cum eis in omnibus irregularitatibus, si quas fortè contraxerint, homicidio voluntario, & mutilatione semper exceptis*; vt refertur in *Compend. priuil. verb. absolutio extraordinaria quoad Fratres, num. 5.* cuius concessionis vigore *Henriq. in sum. lib. 2. de matrim. cap. 6. num. 11. in gloss. lit. Z. & Auila de censur. par. 7. disp. 7. dub. 4. concl. 8.* aiunt Religiosos dispensari posse super huiusmodi bigamia non solum à Superioribus, verum etiam à quocumque Confessario Ordinis, nam in dicto priuilegio solum excipiuntur homicidium voluntarium, & mutilatio membrorum; quæ irregularitas est omnium grauissima, at non excipitur ea, quæ procedit ex bigamia, neque alia facilioris dispensationis, ex quo aiunt, prædictos Prælatos, & Confessarios posse talem irregularitatem tollere. Non suffragantur inquam; quia in priuilegijs semper intelligitur excepta bigamia, nisi specialiter exprimetur. Ità *Collect. priuileg. Mendicant. in Compend. vbi supra, Roderic. in 1. par. sum. cap. 158. conclus. 7. Nauar. lib. 3. consil. sub tit. de Regular. cons. 84. num. 1. in 2. edit. Bartbol. de Vecch. d. dub. 15. num. 2. in fine.*

Quandò autem est bigamia interpretatiua ex delicto consurgens, vt quæ oritur ex duplici matrimonio, neutro existente valido, aut altero valido, & altero irrito, si delictum sit occultum, poterunt Prælati Episcopo inferiores super ea cum suis subditis dispensare; quia id posse Episcopos vigore facultatis à *Concilio Tridentino sess. 24. cap. 6. de reformat.* eis concessæ, docent *Sanch. d. disp. 86. num. 12. in fine.* Ergò idem licebit etiam Prælatis inferioribus haben tibus Diœcesim cum iurisdictione quasi Episcopali per ea, quæ dicemus infra *quæst. vlt. huius disput.* necnon etiam Prælatis Regularibus virtute priuilegij Pij V. vt idem etiam patebit, quod in terminis docet *Bartbol. de Vecch. loco cit. num. 3.*

4 Quoad impedimentum denique bigamiæ similitudinariæ distinguendum est. Nam vel Clericus in Sacris constitutus, vel professus Matrimonium cum vnica, & Virgine contraxit, & eo casu poterunt Prælati Regulares Episcopalem iurisdictionem habentes cum subditis dispensare; Quia de iure communi id Episcopis licitum est, vt probat *tex. in cap. sanè Sacerdotes, de Cleric. coniug. & cap. 1. & 2. qui Cleric. vel vouent.* & dicunt *Panormitan. d. cap. 2. in fine, Nauar. d. cap. 27. num. 197. in fine, Valent. tomo 4. disput. 7. q. 19. punct. 3. in 1. spec. irregularit. in fine,* & plures alij relati, & approbati per *Sanch. de matrimon. d. lib. 7. disp. 86. num. 20.* Ergò idem licebit etiam

etiam Abbatibus, & alijs Prælatis Regularibus Epiſcopalem iuriſdictionem habentibus; quia circa iuriſdictionem in ſubditos ſunt Epiſcopis ſimiles, ac poſſunt de iure diſpenſare cum ſibi ſubditis in omnibus, in quibus poſſunt Epiſcopi ſecundum idem ius cum ſuis; Atque ita *Roderic. quæſt. Regular. tom. 1. q. 24. art. 2. Mirand. in Manual. Prælat. tom. 2. q. 8. art 2. concluſ. vlt. Suar. d. ſect. vlt. num. vlt & tomo 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 22. num. 11. Sigiſmund. à Bonon. de elect. & poteſt. Prælat. Regular. dub. 71. num. 2. Filliuc. loco cit.* qui licet indiſtinctè, & illimitatè loquantur, tamen intelligendi ſunt modò à no-
5 bis expoſito. Idem aſſerendum videtur de Abbatibus, alijsq; Prælatis ſecularibus inferioribus, habentibus iuriſdictionem Epiſcopalem, ſeù quaſi, nempè quod poſsint ſimiliter diſpenſare in bigamia ſimilitudinaria in caſu prædicto cum ſuis ſubditis, in quos iuriſdictionem Epiſcopalem exercent, in his enim militat eadem ratio, quæ in Abbatibus, & Prælatis Regularibus, quibus (vt Doctores proximè allegati concludunt) hæc poteſtas prouenit ex eo, quod habent iuriſdictionem Epiſcopalem, ſeù quaſi; ergò id etiam licebit Abbatibus, & Prælatis ſecularibus eamdem iuriſdictionem habentibus.

6 Si verò Clericus in Sacris conſtitutus, vel profeſſus cum vidua, vel corrupta, aut duplex inijt matrimonium, non poterunt prædicti Prælati in irregularitate ex ea prouenienti diſpenſare, quod probatur ex *cap. nuper, de bigam. & cap. fin. eod. tit.* Ex quibus iuribus non poſſe Epiſcopos cum huiuſmodi bigamis ſimilitudinarijs diſpenſare probat *Sanch. d. num.* 20. ergò à fortiori neque id etiam licebit Prælatis Epiſcopo inferioribus.

7 Verùm hoc limitatur, niſi hæc irregularitas bigamiæ ſimilitudinariæ, qualiſcumque illa ſit, ex delicto occulto proueniat. Nam eo caſu poterunt Epiſcopi ex *Concilio Trident. ſeſſ. 24. de reformat. cap. 6.* ſuper ea diſpenſare, vt docent *Roderic. 1. tom. ſumm. cap. 158. nu penult. in 2. edit. Sanch. d. diſp 86. nu. 23.* Ergò idem etiam poterunt Prælati inferiores iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem in Diœceſi habentes, necnon Regulares Prælati, ve ſupra notauimus. Quod habet locum, licet Clericus ille in Sacris conſtitutus, vel profeſſus viduam duxerit poſt ſacri Ordinis ſuſceptionem, vel profeſsionis emiſsionem, cum antea nullo matrimonio iunctus eſſet, quia hic ex ſola bigamia ſimilitudinaria eſt irregularis, vt probat *Sāch. d. lib. 7. diſp. 84. num. 11. & d. diſp 86. num. 23.* ſubdens idem etiam dicendum fore, quandò antè Ordinem ſacrum, vel profeſsionem vnicum matrimonium validum cum Virgine contraxit, & poſt Ordinem, vel profeſsionem aliud irritum cum quacumque; vel antè Ordinem, & profeſsionem duxit viduam, corruptam inualidè, & poſteà aliud matrimonium contraxit, Ordine iam ſuſcepto, vel profeſsione emiſſa; vel poſt hæc contraxit plura matrimonia cum quacumque fœmina. Quia cum in his caſibus non inueniantur duo matrimonia valida, nec vnicum validum cum corrupta ſolum reperitur propter bigamiam ſimilitudinariam alia interpretatiua, quæ cum etiam ex ſolo delicto proueniat, vt probat idem *Sanch. d. diſp. 84. num. 6.* ſi illud occultum ſit, poterit Epiſcopus, ac perconſequens prædicti Prælati cum ſuis ſubditis ſuper irregularitate ex illo proueniente diſpenſare.

QVÆSITVM IV.

Vtrùm Abbas poſsit diſpenſare cum ſuis ſubditis, ſuper irregularitatibus prouenientibus ex defectu corporis, & animæ.

SVMMARIVM.

1 *Irregularitatem quinam corporis defectus inducat, oſtenditur.*

2 *Nullus Summo Pontifice inferior poteſt ſuper irregularitate, ex huiuſmodi defectu proueniente diſpenſare.*

3 *Morbus notabilis quis dicatur, vel quæ notabilis deformitas Ordinis executionem impediens, an ſpectet ad Abbatem determinare circa ſuos ſubditos.*

4 *Diſpenſare an poſsit Abbas cum illiteratis, vt ad Ordines promoueantur.*

5 *Diſpenſare cum Neophitis, vt ad Ordines promoueantur, quis poſsit, oſtenditur.*

6 *Rationis vſu qui nam carere dicantur ad irregularitatem incurrendam, oſtenditur.*

1 Defectus corporis, qui vel impedit vſum, & exercitium Ordinum, vel notabilem generat deformitatem, aut horrorem (vt eſt naſi amputatio, aut vnius oculi priuatio, vel inſignis macula in oculo, quæ notabilem deformitatem pariat) inducit irregularitatem, *cap. 2. de Cleric. ægrot. cap. 1. & per tot. de corpore vitiat.* quod procedit ſiuè huiuſmodi vitium contractum ſit ex culpa, ſiuè ſinè culpa: ſiuè ex iuſta cauſa, ſiuè ex iniuſta, ſiuè ex cauſa naturali, ſiuè ex accidentali; ipſa enim naturalis æquitas dictat eum ad Ordines, vel eorum exercitium promouendum non eſſe, qui nequit Ordines ipſos exercere, aut horrorem incutit adſtantibus; Ità *Garc. de benefic. par. 7. cap. 12. nu. 4. Tolet. lib. 1. cap. 57. & 58. Suar. de cenſur. diſp. 50. ſect 2. num. 16. Molin. de iuſt. tomo 4. tract. 3. diſp. 70. num. 2. Sayr. de cenſur. lib. 6. cap. 7. num. 6. Coninch. diſp. 18. dub. 13. nu. 106. Filliuc. mor. quæſt. tract. 19. cap 6. q. 4. Reginald. prax. lib. 30. tract. 2. num. 46.* & alij apud *Bonac. de cenſur. diſp. 7. q. 2. punct. 2. nu. 1. & D. Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſcop. par 2. alleg. 42. num. 1.* Et ſuper hac irregularitate, non ſolum Abbates, & Prælati Regulares, verum
2 etiam nemo alius Summo Pontifice inferior diſpenſare poteſt; *Suarez tom. 5. de cenſur. diſp. 51. ſect. 2. num. 18. Molin. d. diſp. 70. nu. 19. Sayr d. lib. 6. cap. 8. num. 16. Filliuc d. cap. 6 num. 180. Reginald. d. nu. 46. & num. 59. Bonac. d. punct. 2. num. 36. Barboſ. d. alleg. 42. num. 57. & alij locis citatis.* Et licet Regulares Prælati gaudeant priuilegio diſpenſandi in omnibus irregularitatibus, exceptis ijs, quæ ex bigamia, homicidio voluntario, & mutilatione etiam voluntaria membri procedunt; tamen in hac generali conceſsione nō intelligitur tradita facultas diſpenſandi in his irregularitatibus, ex quarum diſpenſatione ſcandalum oriri poteſt. Vndè ſicut in priuilegijs excipitur diſpenſatio irregularitatis ex delicto procedentis, quoties delictum publicum eſt propter ſcandalum;

vt in

vt in priuilegio Martini V. Benedictinis Hispaniæ concesso, quod inferius referemus. Ità pariter censendum est excipi in eis de priuilegijs dispensationem irregularitatis consurgentis ex vitio corporis quandò illud est adeo notabile, vt ex eo deformitas scandalosa oriatur.

3 Difficultas autem est, ad quem respectu Religiosorum, & subditorum Abbatis spectet determinare, quod dicatur notabile vitium, aut morbus Ordinis executionem impediens, & quæ notabilis deformitas; Multi tenent hoc spectare ad Episcopum, qui debet Ordines conferre; nisi eisdem Prælatis hoc expresse à Sede Apostolica delegaretur; Ità *Sylu. verb. corpore vitiatus q. 2. Nauar. d. num. 200. Roder. tom. 1. q. 24. art 4.* & alij. Qui Doct. non videntur id negare Abbatibus, qui possunt Ordines minores conferre, saltem quoad illos ex ratione, quam ipsi adducunt. Verum vniuersaliter dicendum videtur Prælatos, qui possunt suis subditis ad Ordines suscipiendos literas dimissoriales concedere, posse etiam hoc iudicium ferre; quia hoc magis spectat ad iurisdictionem Episcopalem, quam ipsi Prælati habent, quàm ad Ordinis characterem. Vndè ità sentiunt *Angelus verbo, corpore vitiatus, nu. 5. Tabien. eod. verb. nu. 2. & Suar. d. disp. 51. nu. 16. Mirand. man. Prælat. tom. 2. q. 8. art. 3. concl. 2. Barthol. de Vecch. d. disp. 9. dub. 21. num. 3.* licet contrarium sentiant *Syluest. verb corpore vitiatus, num. 1. in fine Henriq. lib. 13. cap. 14. §. 1. vers. secundò, Roderic. quæst. Regul. tom. 1. q. 24. art. 4. Campanil. in diuers. iur. canon. rub. 11. cap. 17. nu. 204. D. August. Barbos. de offic. & potest. Episc. par. 2 alleg. 42. num. vlt. iuxta impress. Lugdun.* Verum est autem quod semper liberum est Episcopo, qui Ordines collaturus est, admittere, vel reijcere tale arbitrium, vt aiunt *Suar. & Mirand. loc cit.* Possunt tamen Regulares Prælatos, quasi Episcopali iurisdictione gaudentes dispensare cum suis subditis in irregularitate ex vitio corporis proueniente, quandò vitium non est adeo fœdum, aut turpe, vt ex eo scandalum oriri rationabiliter timeatur. Ità *Mirand. d. q. 8. art. 3. conclus. 3. Cruz de stat. Relig. lib. 1 cap. 6. dub. 17. concl. 2. Barthol. de Vecch. in in prax. pro Nouit. ad Relig. recip. disp. 9. dub. 20. num. 3. Laur. de Peirin. tom. 1. priuileg. Ord. Minim. in annot. ad const. 2. Iulij 11. n. 118.* asserētes posse prædictos Regulares Prælatos dispensare in irregularitate cum suis subditis habentibus aliquod membrum etiam manifestum, & sua culpa abscissum, cessante tamen homicidij præsumptione, vt si quis v.g. careat digito, qui tamen non sit pollex, vel si careat oculo dextero, quia cum prædictis Episcopus dispensare potest.

4 Quo verò ad irregularitates ex defectu animæ, seù animi, distinctione opus est. Nam vel est defectus proueniens ex ignorantia, & illiteratura; vel defectus proueniens ex infidelitate, & noua conuersione, vel ex defectu vsus rationis. Quoad primum dicimus, quod quamuis illiterati prohibeantur, ad sacros Ordines promoueri, *c. illiteratos dist. 36. c. in singulis dist. 77.* tamen tanta sufficientia, & literatura requiritur in clericis secularibus, non autem Regularibus; nam isti, si sciant benè legere, & cantare, etiamsi lingua latina non benè polleant, possunt, absq; vllo conscientiæ periculo, à suis Prælatis Episcopis ordinandi præsentari, vt voluit *Henriq. lib. 10. cap. 16. gloss. in c. legi 16. q. 1. verb. instructio*, dicens, sufficere Monacho, vt sit bonus, licet illiteratus, *Sylu. verb. Clericus 2. num. 1.* qui agens de idoneitate requisita in Clericis, excipit Monachos, & ait, *quia contemplatione magis quàm scientia indigent, Sot. in 4. dist. 25. q. 1. art. 4. Mirand. man. Prælat. tom. 2. q. 8. art. 7. conclus. 1.*

5 Quo verò ad defectum prouenientem ex infidelitate, seù noua conuersione, dicimus neminem Papa inferiorem posse super tali irregularitate dispensare; quia defectus fidei, hoc est diuturnæ professionis in fide efficit irregularem, vt est in Neophyto. Ità habetur *c. 1. & 2. dist. 48. c. 1. in aliquo dist. 51. c. si officia dist. 59.* Dicitur Neophytus, qui nouiter conuersus est, non autem is, qui licet ab aliquo Iudæorum, vel infidelium originem trahat, tamen per nonnullos annos iam baptizatus est, ità vt sufficienter sit in fide instructus; quæ sufficientia requirit tempus decem annorum; ex *Nauar. in man. c. 27. n. 205. Maiol. lib. 1. cap. 31. nu. 1. Sayr. de cens. lib. 6. cap 13. nu. 10. Valent. tom. 4. disp. 7. q. 19. punct. 3. §. 3. Henriq lib. 14. cap. 4. §. 7. Filliuc. moral. tom. 1. tract. 19. cap 7. quæst. 1. & tract. 20. num. 240. Tolet. lib. 1. cap. 59. Reginald. lib. 30. tract. 2. nu. 41. Bonac. de censur. disp. 7. q. 2 punct. 1. num. 5. & 6. D. Augustin. Barbos. de offic. & potestate Episcop. par. 2. alleg. 10. num. 7.* Et talis infidelis est irregularis ad omnes Ordines, ex *c. Monasterijs 19. q. 3.* Ante decem annos saltem ad maiores, opus est Papæ dispensatione; ad minores autem, si nonnulla fidei, charitatis, doctrinæ, prudentiæ, & aliarum virtutum signa concurrunt, prudentis Episcopi, vel Abbatis, & Prælati iudicio remittitur. Ità *Suarez de censur. disp. 43. sect. 3. nu. 7. Filliuc. d. cap. 7.*

6 An autem possint Abbates dispensare super irregularitatibus, prouenientibus ex defectu vsus rationis; Notandum, quòd huiusmodi irregularitas in quinque hominum generibus reperitur. Primò sunt pueri vsu rationis carentes. Secundò sunt amentes. Tertiò furiosi ad tempus, qui si continuò hunc defectum patiantur, non poterunt licitè ordinari, ex *c. maritum dist. 33. Suar. disp. 51. sect. 1. nu. 3.* qui testatur de communi. Vel semel inciderunt in amentiam, & semper remanent irregulares, quoad Ordines recipiendos, ex *d. cap. maritum*; quo casu requiritur Papæ approbatio, vt cognoscat de sanitate integrè recuperata. Quò autem ad vsum Ordinum receptorum, tutius est Abbatis consensum habere, quem ipse tenetur præstare; vt ait *Filliuc. loco cit.* Quarto sunt lunatici, & similes, qui sunt irregulares, vt constat ex *dist. 33. per tot.* qui si essent ordinati, tunc vel frequenter id patiuntur, & eo casu debent abstinere omninò, seù raro celebrare; & tunc si faciant aliquod, in decentiam, & horrorem afferens, debent abstinere; si verò, præsente coadiutore, & sublato scandalo possunt celebrare. Si verò talis infirmitas penitus auferatur, poterunt, absque illo impedimento, susceptis Ordinibus vti. Quintò est eorum, qui dicuntur energumeni, de quibus idem dicendum est, quod de lunaticis dictum est supra; & cum ijsdem moderationibus procedendum est; Ità *Filliuc. ibidem, & c. 6.*

QVAE-

Digitized by Google

QVAESITVM V.

Vtrum Abbas poſsit diſpenſare cum ſuis Monachis ſuper irregularitate ex defectu natalium proueniente.

SVMMARIVM.

1 *Natalium defectum pati quis dicatur, oſtenditur.*
2 *Irregularitas ex defectu natalium prouenìens tollitur per profeſsionem Religionis.*

1 DEfectus natalium dicitur, quãdo quis eſt natus ex illegitimo matrimonio. Qui autem dicãtur, habere defectum natalium, habetur latiùs apud *Sayr. de cenſur. lib. 6. cap. 10. num 6. Molin. de iuſt. tract. 2. diſp. 165. Suar. de cenſur. diſp. 50. ſect. 2. Filliuc. quaeſt. moral. tom. c. tract. 19. cap. 5.* Cum autem irregularitas, ex tali defectu proueniens ſit vna ex reſeruatis ſummo Pontifici, de iure communi, & præciſo omni priuilegio, nullus Prælatus, ipſo ſummo Pontifice inferior poterit, ſuper ea diſpenſare, nec quantum ad ordines, nec quantũ ad dignitates, *Nauarr. in Man. cap. 27. num. 201.* dicens, quòd quamuis ad Papam ſolum pertineat diſpenſatio ſuper dicta irregularitate, quoad Ordines Sacros, & beneficia curata; tamen quoad ordines minores, & beneficium ſimplex poterit Epiſcopus diſpenſare, per *cap. c. & 2. de fil. Presbyt lib. 6.* Ità etiam *Suar. d. diſp. 50. ſect. 5. Filliuc.*
2 *Sayr. & alij locis citatis.* Verum (quo ad rem noſtrã ſpectat) per profeſſionem Religionis tollitur iſta irregularitas quoad Ordines per *cap. 1. de fil. Presbyt.* ibi, *niſi Monachi fiant, vel in Congregatione Canonica regulariter viuentes*; Nec obſtat, quod dictum ius ſit ablatum per Sixtum V. in ſua Conſtitutione contra illegitimos; quia Gregorius XIV. reduxit eam ad terminos iuris communis. Aduertendum autẽ, quod non ſufficit tantum Religionis ingreſſus, vel habitus ſuſceptio, ſiue educatio in Religione; ſed requiritur profeſsio. Ità communis ſententia Doctorum apud *Filliuc. loc. cit.* Ex quibus patet non requiri Abbatis diſpenſationem; cum ex profeſſionis emiſſione Monachi diſpenſati intelligantur ſuper tali irregularitate, vt ſupra diximus.

QVAESITVM VI.

Vtrum Abbas poſsit diſpenſare cum ſuis Monachis ſuper irregularitatibus prouenientibus ex homicidio, vel voluntaria mutilatione alicuius membri.

SVMMARIVM.

1 *Diſpenſare ſuper irregularitate, proueniente ex homicidio voluntario publico, & notorio quis poſsit, oſtenditur.*
2 *Diſpenſare poſſunt Abbates, ſuper irregularitate ex homicidio voluntario occulto prouenìente cum ſuis Monachis.*
3 *An per Concilium Tridentinum ſint reuocata priuilegia concedentia Regularibus Prælatis prædictam facultatem?*
4 *Delictum occultum, & notorium quod dicatur?*
5 *Abbates poſſunt ſuper irregularitate, quæ prouenit ex mutilatione voluntaria membrorum (dummodò ſit occulta) cum ſuis Monachis diſpenſare.*

PRo ſolutione huius quęſiti oportet pręmittere ho-
1 micidiũ dupliciter conſiderari poſſe. Nam vel eſt homicidiũ publicum & notoriũ voluntarium; & tunc nullus ſummo Põtifice inferior poterit ſuper irregularitatibus ex eo prouenientibus diſpenſare. Ità expreſsè *Nauar. in man cap. 27 n. 240.* vbi diffinit quid ſit homicidiũ voluntariũ, cuius irregularitatis diſpẽſatio tãtùm ſummo Põtifici eſt reſeruata, & qui ſunt irregulares ex dicto homicidio voluntario illicito nõ modò ad Ordines, verum etiam ad dignitates, nec nõ ad Prælaturas in Religionibus, & beneficia Eccleſiaſtica, etiam ſimplicia ſunt inhabiles, & voluit *Conci-*
2 *lium Trident. ſeſſ. 14 de reformat. cap. 7.* Vel homicidium fuit voluntarium iniuſtum, ſed omninò occultum, & tunc de iure communi diſpenſatio ſuper irregularitate ex eo proueniente ſummo Pontifici reſeruata eſt, vt docent *Nauar. in man. cap. 27. nu. 240. Greg. Sayr. de cenſur. lib. 7. cap. 7. num. 19. Suarez eod. tract. diſp. 44 ſect. 4 num. 35. & 36.* & alij communiter ex *Concil. Trident loco cit. & ſeſſ 24. de reformat. cap 6.* Verum ex priuilegio Abbates habentes Epiſcopalem, vel quaſi Epiſcopalem iuriſdictionem, poſſunt cum ſuis Monachis ſuper irregularitate ex eo proueniente diſpenſare: probatur ex priuilegio ſpeciali, ad id per Martinum V. conceſſo Abbati Monaſterij Sancti Benedicti Valliſoleti. *Quod in foro conſcientia poſſit abſoluere ſuos Monachos ab omni excommunicationis ſententia: etiamſi talis eſſet, quam ipſe ſummus Pontifex reſeruare conſueuit; & cum eis ſuper omni irregularitate, etiam in illis caſibus, in quibus Papa ſibi vicem reſeruat, in morte videlicet, & in membrorum truncatione, & enormi ſanguinis effuſione valeat diſpenſare; dum tamen aliquod horum trium non ſit notorium, & hoc propter ſcandalum*, vt habetur in *Compendio priuil. mendic. verbo abſolutio ordinaria, quoad fratres §. 4* vbi *Collector* ait, quod licèt huiuſmodi priuilegium Abbati Monaſterij Valliſoleti tantùm conceſſum fuerit; tamen communicatum fuit omnibus cæterarum Congregationum Abbatibus; vt ibidem verbo, *Communicatio priuilegiorum. §. 34.* Nec obſtat, quod poſt Martinum Quintum Sixtus Quartus dederit facultatem, diſpenſandi in homicidio caſuali, excipiendo expreſsè voluntarium, vt habetur in *Man. Ord. 1. impreſ. fol. 63. & 2. fol. 66 conc. 3. ſuppl. fol. 195. concluſ. 319.* Nam ſupradicta exceptio procedit tantum circa conceſſiones ab ipſo Sixto IV. factas, non autem ampliatur ad reliquas aliorum Pontificum, cum non fecerit de illorum conceſſionibus ſpecialem derogationem, aut generalem; ex quo prædictum priuilegium manet in ſuo
3 robore. Et licet huiuſmodi poteſtas diſpẽſandi ſuper irregularitate proueniente ex homicidio voluntario occulto, per *Concilium Tridentinum ſeſſ 24 de refor. cap. 6.* auferatur Epiſcopis; non tamen exinde cenſebitur etiam ablata Abbatibus, ac alijs Regularibus Prælatis, qui illam ex ſpeciali priuilegio habent; quia ſupradicta conceſſio eis facta non intelligitur reuocata per *Concil. loco cit.* tùm ibi expreſsè non deroget

priuile-

priuilegij Regularium; potestas enim, quæ prædictis Prælatis ex vi priuilegiorum competit, tunc ablata censetur à Concilij decretis, cum in ijs expresè ipsorum priuilegia derogantur; non autem, quãdò determinant aliquid contra prædicta priuilegia absolutè, absque vlla eorum derogatione: vt docet *Roder. tom. 1. q. 8. art. 6.* cuius doctrinam approbat *Suarez de legibus lib. 8. cap. 18. in fine.* ex quibus ità expresè id affirmant idem *Roder. tom. 1. q. 24. art. 12. Mirand. in man. prælat. to. 2. q. 8. art. 10. concl. 2. Ioan. de la Cruz de stat. relig. lib. 1. cap. 6. dub. 19. concl. 2. Sigismund. à Bononia de elect. & potest. Prælat. regular. dub. 71. n. 6. Barthol. de Vecchi. in praxi habenda pro Nouitijs recipiend. disput. 9. dub. 16. num. 2.* licet contrarium sentiat *Laurent. de Peirin. to. 1. priuileg. sui Ord. Minim. in annot. ad constit. Iulij II. num. 103.*

Et quod Regulares Prælati virtute suorum priuilegiorum dispensare possint cum suis subditis in irregularitate contracta per homicidiũ casuale quãuis culpabile, etiam sub mortali, siuè dando operam rei licitæ, siue debita adhibita diligentia, siuè dando operã rei illicitæ, docent *Henriq. lib. 14. c. 9. §. 3. lit. A* vbi testatur Regulares in Hispania ità practicare *Maiol. de irregularit. c. 51. nu. 12.* & alij plures, quos citat, & sequitur *Greg. Sayr. de censur. lib. 7. c. 7. n. 24. Martin. Bonacin. de censur. disp. 7. q. 4. pun. 8. num. 5. & alij.*

Delictum occultum in casu, de quo agitur, accipiẽdum est prout distinguitur contra publicum, quare licet ab aliquibus sciatur, & probari possit, tamen dicetur occultum, & super irregularitate ex eo proueniente dispensare poterunt Regulares Prælati; tũc autem solum non erit occultum, sed publicum, quando est publicum, non tantum in Ciuitate, sed etiam in maiori parte viciniæ, Collegij, Parochiæ, vel Monasterij cognoscitur; dummodò saltem decem personæ reperiantur in ea vicinia, Collegio, Parochia, vel Monasterio, in quibus id publicũ est. Ità circa facultatem Episcopis concessam in prædicto *Concilij Trident. decreto sess. 24. de reformat. cap. 6.* ad dispensandum in censuris, & irregularitatibus ex delicto occulto consurgentibus docent *Nauar. in man. cap. 27. num. 255. Henriq. lib. 14 de irregularit. cap. 20. num. 4 Roderic. in exposit. Bull. Cruciat. §. 9. nu. 129. in fine & 1. tom. summæ, in 2. edit. cap. 166. num. 3. Suarez de censur. lib. 4. cap. 17. num 21. & lib. 7. cap. 13. num. 12. Eman. Sà verb. Episcopus num 33. Azor. tom. 1. instit. moral. lib. 8. cap. 10. q. 9. Sanch. de matrimon. lib. 2. disput. 37. num. 11. & lib. 8. disp. 34. num. 55. & 56. & in præcepta Decalogi lib. 2 cap. 11. num. 19.*

Nec satis est, ad hoc vt delictum dicatur notoriũ, quod actus, qui est delictum, sit notorius, sed requiritur, vt delictum ipsum sit notorium. Quia qualitas adiuncta verbo, debet intelligi iuxta verbi qualitatem *l. in delictis. §. 1. ff. de noxalib.* Non dicetur enim verè delictum publicum, licet materialiter actus ille, qui est delictum, sit notorius, nisi sit formaliter notorius, nempe quatenus est delictum. Nam si exempli gratia, excommunicatus occultus celebrat, licet manifestè, & publicè celebret, non tamen delictum illud, quod est in excommunicatione celebrare, dicetur notorium, & publicum esse? Nam licet notorium sit, illum celebrare, non tamen notorium est quod celebret in excommunicatione. Ità *Nauar. d. nu. 255. in fine, vers. 12. & nu. 241. vers. 12. & num. 241. vers. circa hæc, dicò primò,* affirmans ità in Sacra Pœnitentiaria definitum fuisse, *Eman. Sà d. verb. Episcopus, num. 35. Sayr. d. cap. 13. num. 13. Roderic. in sum. d. cap. 166. num. 3. Sanch. d. lib. 8. de matrim. disp. 34. nu. 56. & in Decalog. d. cap. 11. nu. 19. Ricc. in prax. for. Eccles. decis. 523. in fine in 1. edit. & resol. 450. num. 5. in 2. edit. Bonacina de censur. disp. 7. q. 5. punct. 1. nu. 4. vers. dixi in prouenientibus, Vgolin. de censur. Eccles. tab. 1. cap. 13. §. 7. sub nu. 4. Sigismun. à Bonon. de elect. & potest. Prælat. regular. dub. 71. n. 8. Piasec. in praxi noua Episc. par. 1. cap. 1. rub. de dispens. sub n. 56.* & alij, quos refert, & sequitur *D. Augustin. Barbosa de offic. & potest. Episc. p. 2. alleg. 39. num. 26. iuxt. impress. Lugdun.* quibus adde *Reginald. in prax. lib. 30. tract. 2. nu. 30. Barthol. de Vecch. d. dub. 16. n. 4.* Adde ex *Nauar. lib. 5. consil. tit. de cler. non ordin. ministr. in vtraq. edit. cons. 2. num. vnic. Eman. Sà, & Roderic. vbi proximè,* delictũ dici occultum, licet vt delictũ notorium sit, tamen vt censuræ subiectũ sit occultum, nõ enim dici potest publicè sciri, ob delictum illud incurri censurã illã, etsi duo, vel tres delicti conscij norint, per illud incurri censurã. Et hanc opinionem satis probabilem vocat *Sanchez d. disp. 34. n. 56.*

Delictum autem dicetur ad forum contentiosum deductum, quando in id forum per accusationem, aut denunciationem deductum est quamuis in eo planè probari nequeat. Vt circa *Conc. Trid. decretũ sess. 24. de reform. c. 6.* docent *Henriq. in summa lib. 14. de irregularit. cap. 7. num. 5. Auila de censur. par. 2. cap. 7. disp. 1. dub. 11. concl. 3. & part. 7. disp. 10. dub. 6. ad fin. Suarez de censur. disput. 41. sect. 2. num. 6. Sanch. d. disp 34. num 57. & d. cap. 11. nu. 21. Barthol. de Vecch. d. dub. 16. num. 5.* Nec refert an iustè, vel iniustè res sit in iudicium delata; Requiritur tamen, vt delictũ dicatur publicum, & notorium, quod sit ad forum contentiosum deductum, ac simul parti intimatum: quia si Iudex apud se causam retineret non intimans parti adhuc censeretur occultum: nam cum citatio sit primus Iudicij actus, ea non facta, res non dicetur ad forum cõtentiosum deducta. Vt docent *Sayr. de censur. lib. 4. cap. 17. num. 22. Graff. tom. 2. lib. 5. consil. 2. n. 26. de homicid. Sanch. d. disp. 34. num. 58. & d. cap. 11. n. 21. Barthol. de Vecch. d. dub. 16. num. 6.*

Quod si delinquens in foro externo sit absolutus ex eo quia delictum plenè probari non potuit, remanebit delictum occultum, & ità poterunt prædicti Prælati super irregularitate ex eo proueniente dispensare; Ità circa prædictum *Concil.* decretũ docent *Suar. d. sect. 2. num. 7. Sayr. d. cap. 17. n. 23. Molin. de iustit. tract. 3. disp. 79. num. 8. vers. 2. & 3. Auila Sanch. & Barthol. de Vecch. locis cit. Bonacin. de censur. disput. 1. q. 3. punct. 2. n. 2. & d. disp. 7. q. 5. punct. 1. num. 4. vers. dixi excepto, D. Aug. Barbos. d. alleg. 39. num. 32.* & alij apud ipsum. Et hoc habet locũ, licet delinquens iniustè, ac falsos testes producendo se defenderit, & siuè definitiuè absolutus sit, siuè ab instantia, seù obseruatione iudicij, vt docent *Henriq. lib. 14. cap. 20. nu. 4. Sayr. d. lib. 7. cap. 7. num. 12. Sanch de matrimon. lib. 2. disp. 37 n. 12 in fine, & d. disp. 34. nu. 57. circa med. & d. cap. 11. n. 21. Sigismund. à Bonon. d. dub. 71. num. 12. D. August. Barbos. d. alleg. 39. nu. 33.* Etiamsi delictum fuisset aliquo modo probabile, *Sanch. d. n. 58. et Bart. de Vecch.*

de Vecch. num. 7. contra *Suarez d. sectio. 2. num. 5.*

Quod si iudicium non fuerit sententia finitum, eò quod accusatos per annum tacuerit, poterunt prædicti Prælati, elapso anno dispensare, vt quoad Episcopũ docent *Campanil.* alijs allegatis in *diuersor. iur. Canonici rubr. 11. cap. 23. num. 144. D. August. Barbos. loco cit. num. 34.*

Dicitur etiam occultum delictum ad effectum, de quo agitur, quod alicubi publicum est, vbi verò absolutio, vel dispensatio petitur, est occultũ, quando scilicet publicum, & notorum est in loco itá distanti, vt non sit spes fore, vt ad illum locum deferatur. Itá *Auila de censur. par. 2. cap. 7. disput. 1. dub. 11. conclus. 3.* & alios refert *Sanch. d. lib. 2. in Decalog. cap. 11. num. 20. Duard. in Bull. Cœnæ Domini lib. 3 §. 2. q. 11. n. 10. Fagundez in quinque Eccles. præcept. par. 2. lib. 8. cap. 8. n. 28. D. August. Barbos. d. alleg. 36. num. 26.*

Præterea vbi duo eiusdẽ criminis socij existant, ac alter tantùm ad iudicium deferatur, delictum alterius delinquentis nondum delatum censebitur occultũ, ac ideò poterũt prædicti Prælati super irregularitate ex eo proueniente dispensare; quia res inter alios acta alijs præiudicare nequit, quibus res iudicata non nocet, *l. 2. C. res inter alios acta. Itá Nauar. lib. 2. cons. 12. tit. de sent. & re iud. Sanch. d. cap. 11. num. 21. vers. insuper si duo.*

Quod si delictum ad contentiosum forum deductũ iam absoluto iudicio punitum fuit, nõ poterunt prædicti Prælati super irregularitate ex eo consurgente dispensare; quia negari non potest delictum istud ad contentiosum forum deductũ fuisse, nec deinde occultum, imò notoriũ, & publicũ fore, nam quæ probantur in iudicio appellantur publica. Atque itá quoad Episcopos sustinent *Gutier. quæst. Canonicar. lib. 1. c. 3. ad finem Sayr. de censur. lib. 4. c. 17. nu. 23. Roderic. in sum. par. 1. c. 168. in fine, Suar. d. sect. 2. n. 5 ad fi Mart. Bonacin. d. disp. 1. q. 3. punct. 2. num 2. & d. disp. 7. q. 5. punct. 1. n. 5. D. August. Barbos d. alleg. 39. n. 35. in fine, Barthol. de Vecch. in d. dub. 16. in fine,* qui licet contrariam sententiam satis probabilẽ dicat, tamen ait tutius esse hanc in praxi amplecti. Quicquid dicãt *Henriq. d. lib. 14 c. 7. n. 5. Sanch. d. c. 11. n. 21. vers. sed quid. Auil. Reginald. & Sigismund. à Bonon. locis cit.*

5 Restat vltimò videndum an possit dispensare super irregularitate prouenientẽ ex voluntaria alicuius mẽbri mutilatione. Pro quo dicimus Abbatẽ posse dispẽsare super irregularitate proueniente ex mutilatione alicuius membri occulta, dum tamẽ publica nõ sit, & ad forum contentiosum non deducta; quod ita probatur. Nam per *Concilium Trid sess. 24. de refor. c. 6.* fuit concessum Episcopis, vt possint dispensare super omnibus irregularitatibus, & suspensionibus, quæ proueniunt ex delicto occulto: præter eam, quæ habet originem ex homicidio voluntario: & excepta alijs deductis in iudicium, seu forum contentiosum: ergo cum mutilatio membrorum non excipitur, possunt Episcopi super ea dispensare, dummodo sit occulta. Atque ita quoad Episcopos declarasse Sacram Congregationem testantur *Molin. de iust. tract. 3. disp. 79. num. 8. Garc. de beneficijs p. 7. cap. 11. num. 32. Suar. de censur. disp. 44. sect. 2. num. 4. Reginald. lib. 30. tract. num. 91. Bonacin. de censur. disp. 2. q. 4. punct. vlt. nu. 11.* & alij apud eum. Sed Pius V. per speciale priuilegium concessum fratribus Prædicatoribus anno 1571. die 22. Iulij extendit concessionem factam Episcopis à *Concilio Tridentino loc cit.* ad Prælatos illius Ordinis, & consequenter aliorum, qui in priuilegijs cum eo communicant, vt patet ex *Roder. tom. 1. q. 6 c. art. 9. in fine, & in Collect. priuil. in Bullis Pij V. bulla 13 & Suar. tom. 4. de relig. tract. 8. lib. 2 cap. 12. n. 9. præter Llam. 1. part. Method. cap. 12. §. 25.* qui ait Gregorium XIII. concessisse Abbatibus Ordinis S. Bernardi, Societati Iesu, ac Ordini Minorum quoad forum conscientiæ eandem auctoritatem, quam Synodus Tridẽtina Episcopis concesserat *d. cap. 6. sess. 24. de reformat.* Ergo Abbates, & cæteri Prælati Regulares hanc potestatẽ habent; quod etiam eis quoad dispensationem in irregularitate proueniente ex occulta mutilatione membrorum competit ex supra memorato priuilegio Sixti Quarti, concesso Mendicantibus, vt ait *Suarez. disp. 45. sect. 1. in fine.*

6 Per mutilationem autem in iure intelligitur membri amputatio, non autem sola debilitatio, cum membrum ad suum officium ineptum reddatur. Quia mẽbrum debilitatum nõ desinit esse membrum *arg. can. sicut vrgeri, 2. q. 1.* ibi, *si cuius manus arida est, membrum quidem est, licet inefficax.* tum etiã quia in pœnis mitior interpretatio, & strictior facienda est, *cap. odia, de reg. iur. in 6.* mutilatio autem propriè, & strictè sumpta est amputatio membri, *gloss in cap. accusasti, in verb. debilitatus, de accusat.* vbi etiam *Panorm. num. 3.* Atque itá tenent *Card. Calderin. & Prepos. in cap. 1. qui cleric. vel vouent.* vbi eam *Panorm. n. 9.* sibi contrarius ab illis, quæ senserat in *cap. cum illorum, num. 8. in fine, de sent. excom. Felin. in cap. inter cæteras col. 4. nu. 8. vers. aduerte tertio, de rescript. Sotus lib. 5. de iust. q. 2. art. 1. conclus 3. Nauar. in Manual. cap. 27. num. 207 Didac. Couar. in clem. si furiosus part. 3. in princip. relect num 9 Henriq. lib. 14. cap. 8 §. 4 in fine Tolet. lib. c. cap 27. §. mutilans. vers. secũdus, Gregor. Sayr. de censur. lib. 6. cap 15. nu. 6. Molin. tom 4 de iust. tract 3. disput. 68.*

7 Porrò nomine membri hic illa cantũ hominis pars membrum dicitur, quæ non solùm spectat ad integritatem, & consistentiam totius integri, verum etiam ad proprium, & distinctũ officium, & operationem ab alijs partibus habet in corpore humano, vt oculus ad videndum, manus ad palpãdum, pedes ad ambulandũ, aures ad audiendum, nares ad odorandum, lingua ad loquendum, *arg. cap. cum singula 89. dist.* quare digitus non est membri, sed pars membri, quia non habet propriam, & per se distinctam operationem ab alijs, sed coniunctam, & accessoriam cum aliqua parte pręcipua, vt cum manu, vel pede. Probatur ex *l. item Offilius. ff. de ædilit. edict.* vbi habetur, quod habens abscissum vnum digitum, habet abscissam partem membri, non membrum ipsum, & ex *l. non sunt liberi, ff. de stat. homin.* vbi dicitur, quod habens æquo plures digitos, non censetur habere æquò plura membra; Atque ita sentiunt *gloss. in c. 3. in princ. de homic. in 6. Card. in clem. vnic. eod. tit. Panorm. in d. num. 10. qui cler. vel vouent. & d. cap. cum illorum, num. 8. de sent. excom.* vbi etiam *Felin. in cap. ego N. num. 1. de iureiur. Bart. in l. 2. ff. de public. iudic.* quem dixit receptum *Nauar. d. cap. 27. num. 206. versic. secundò dico, Couarr. loco cit. num. 8. Graff. decis. aur. part. 1. lib. 2. cap. 62. num. 4.*

num 4 Valent.tom.4.disp.7.q.19. punct.3.§.4. Henriq.lib.14 cap.8.§.1. & alij apud *Sayr d.cap.15 n.13.* quibus addo *Farinac. in praxi criminal.q.19.nu.24. Aloys. Ric.in praxi aur.resolut 67.num.3.D.August. Barbos.de offic & potest.Episc part.2.alleg.42. n.19. iuxt.impress. Lugdun.* contra Caiet.2.2 *q. 95. art. 1. Sot. de iust lib.2.q.5.art.1 & in 4. dist.25. q.1. art.3. conclus.4. & Palud.in 4.dist.25 q.3.art.4. conclus.1.*

QVAESITVM VII.

Vtrùm Abbates possint cum suis subditis super irregularitate ex infamia prouenienete dispensare.

SVMMARIVM.

1 *Infamia iuris quid sit, & qua requirantur ad eam incurrendam, num.2.*
3 *Infamia facti quid sit.*
4 *Qua requirantur, vt infamia facti irregularitatem inducat.*
5 *Infamis infamia tàm iuris, quàm facti est irregularis.*
6 *Infamiam iuris quandò est publica, nequeunt Pralati inferiores dispensare, limita vt num. seq.*
8 *Pralati inferiores possunt super infamia occulta dispensare, nisi procedat ex haresi, vel ex alijs casibus Bulla Cœna Domini, vt num. seq.*
10 *Pralati inferiores possunt dispensare cum subditis superueniente iuris infamia, vt retineant vsum Ordinum, & beneficia tàm obtenta.*
11 *Pralati inferiores possunt dispensare super irregularitate procedente ex infamia meri facti.*
12 *Infamia meri facti tollitur pœnitentia, & emendatione vita.*
13 *Prasumptio Regula semel malus triennio bona conuersatione tollitur.*

1 AD clariorem huius quęsiti dilucidationem præmitto, quod ex proprio delicto dupliciter quis infamiam contrahere potest, aliam scilicet iuris, & aliam facti infamiam iuris contrahit committens aliquod crimen, cui ipso iure Canonico, aut Ciuili pœna infamiæ imponitur: nam infames de iure Ciuili regulariter censentur etiam infames de iure Canonico, nisi expresse ius Canonicum illam maculam tollat, facit *can. infames, & can omnes 6.q.1.* & docent *Auil.de censur par.7.cap.11.dub.5.conclus.1.Garc. de benefic.par.7.cap 8 num.11. Henriq. in sum. lib.14. cap.5.§.4.in glos.lit.T. D.August.Barbos.de offic. & potest.Episc.par.2 alleg.43. in princ.*

2 Vt autem infames huiusmodi infamia patiantur eosdem effectus, quos ex ipsamet infamia oriri solet, necessarium est eos esse de crimine in iudicio confessos, aut victos, *cap. testimonium, de testibus Farinac. in prax. crimin. part 2. q. 56. num. 5. & 18. Suarez de censur. disp. 48.sect.1,num.8. & 9. Bonac. eodem tract. disp.7.q. 3 punct. 1. num. 2. D. Barbos.* alijs citatis *d.alleg.43.nu.13 iuxta impress.Lugdun. Sigismund.à Bonon.de elect. & potest. Pralat. Regul. dub.86. nu.* 2. requiritur etiam sententia declaratoria de crimine famoso, quod infamet, vt quis dicatur infamis infamia iuris, *l furti, ff. de his, qui not. infam.Caputaq.decis.90.part.2. Suarez Farinac. D. Barbos. & alij locis cit.* In quibusdam tamen casibus hæc infamia iuris incurritur absque proprio delicto, vt patet in filijs eorum, qui violentas manus in Sanctæ Romanę Ecclesiæ Cardinales iniecerunt, qui ipso iure infames fiunt, *cap. felicis, vers. quod si quis, de pœn. in 6.* & in filijs, qui læsæ Maiestatis crimen incurrunt, horum enim filij iure Ciuili infamia notantur, *l. quisquis §. filius C. ad l. Iuliam Maiest.*

3 Infamis infamia facti est, qui notatur de aliquo crimine apud bonos, & graues viros, seù cum opinio alicuius grauata est apud bonos, & graues viros super aliquo crimine, seù peccato; quod debet esse publicum, *Felin. in d.cap.testimonium num. 14. de testib.* & alij apud *D Barbos.d.alleg. 43.nu.17. Sigism. à Bonon.d.dub.86.num.4.* & communiter Doct.

4 Vt autem infamia facti irregularitatem inducat, necessarium est, vt fundetur super aliquo iure statuente quod nam crimen ad infamiam incurrendam sufficiat; quia sicut non incurritur irregularitas nisi in iure expressa sit, *cap.is qui, de sent. excomm. in 6.* ita neque infamia inducere potest irregularitatem, nisi expressa in iure habeatur. Ità *Suarez d. sect.1. num.11.Garc.d.cap.8.num.64 & par.11 cap.3.num. 118. Aegid. de* Conimb. *de censur. disput. 18. dub. 7. num. 57.* & alij apud *Bonacin. de censur. disp. 7. q.3. punct.1.num.5.Sigismund.à Bonon.d.dub.86.num.4. Barthol. de Vecch. in praxi pro Nouit. ad Relig. recipiend.disp.9.dub.12.num.6.* Vnde is dicitur infamis infamia facti, cuius delictum est notorium, ac publicum euidentia solummodò facti, & tale connumeratur inter ea, quæ in iure notantur infamia. Sinistra autem opinio, seù infamia inter homines orta ex aliquo crimine, de quo in iure, non statuitur, vt tale delictum sit ex ijs, quæ infamant, non dicitur infamia facti legalis, nec per eam irregularitas propriè, simpliciter, & absolutè, ac strictè sumpta incurritur; licet tali opinione grauetur quidem persona, ac illius fama denigretur, possitq; reddi indigna munerum, ac dignitatum, quantum rei natura, vel conditio postulauerit, non tamen per modum pœnæ, vel legalis impedimenti, sed ex naturali tantùm ratione; idcircò talis infamia non dicitur legalis, sed humana, vt docent *Suar,d.sect.1.num.11.Garc.d.cap.8.nu.64. Conimb.loco cit.Barthol. de Vecch.d.dub.22.num.10.*

5 *& 11.* Infamis tàm facti, quàm iuris infamia est irregularis, *reg.infamibus 87.cum gloss. & not. ibi per Franch.de reg. iur.in 6.cap.2. iuncta gloss.fin.de ord. cogn. & can.ipsi Apostoli 2.q 7. Nauar. dicto cap. 27. num. 204. in initio.*

6 His ità explicatis, pro solutione quæsiti dico primò. Laborans publicè infamia iuris non potest à Prælatis inferioribus dispensari; eam enim solus Papa abolere potest, *cap.cum te, de sent. & re iudic. Panormitan. in cap. de simoniacè num. 6. circa med. de simon. Nauar.in manual. cap* 22.*num.*204. *Henriq. lib.14. cap.5. §.3.Sayr.de censur. lib.7. cap.11. nu.15.* & alij. Nam etsi Princeps, vel Iudex possit tollere infamiam ab eo, quem ipse, vel lex ciuilis damnauit, *Suarez de censur. disp.48.sect.2.num.9. Bonacin. de censur. disp. 7.q.3. punct.1. num.6.Sayr. & Henriq. locis cit.* tamen ipse Princips, vel Iudex non dispensat directè, sed indirectè, quatenus scilicet tollit infamiam,

Google

famiam, qua ablata, tollitur irregularitas ex ea prouemiens. Et licet *gloss. in rap. rum deputati, verb. nationis*, asserat professionem Regularem emundare profitentem ab omni macula, & irregularitate illam præcedente, *arg. tan. non licet, 19. q. vlt.* quod est *princ. Auth. de Monach. col. 1.* hoc tamen non est verum, nam speciale est, vt abstergat maculam irregularitatis ex natalium defectu peruenientis, *t. t. de fil. presb.* imò nec illam penitus abstergit, quia licet eam tollat ad effectum Ordines, etiam sacros suscipiendi, non tamen ad effectum obtinendæ Prælationis, vt *d. rap. 1.* Imò *gloss. prædicti princip. Auth. de Monac.* affirmat ingredientem Religionem non liberari etiam ab infamia iuris, vel facti.

7 Hæc conclusio limitatur, vt procedat solummodò in criminibus, in quibus prædicti Prælati dispensare nequeunt. Nam sicut Episcopus dispensando super delicto, ad quod eius facultas extenditur, vt super crimine, quod non est grauius adulterio, accessoriè tollit infamiam ex tali delicto cōsurgentem, iuxta *gloss. in ran. Euphemium, §. 1. verb. infamiam, 2. q. 3. & in cap. domino, verb atq; ignominiam, 50. dist. Nauar. in man. cap. 27. n. 204. Henriq. lib. 14. cap. 5. §. 3. Sayr. d. nu 15. in fine, Auil. de censur. par. 7. disp. 4. dub. 6. Bonac. loc. cit. D. Barbos. de offic. & potest. Episc. par. 2. alleg. 43. num. 31. Sigism. à Bonon. dub. 87. nu. 3.* Ità pariter dicendum est de Prælatis Episcopo inferioribus, vt idem circa suos subditos, in quos Episcopalem iurisdictionem habent, vt scilicet possint dispensare super delicto, quod non est grauius adulterio; ac per consequens maculam infamiæ inde peruenientem accessoriè abolere; quia prædicta potestas est in Episcopis ratione iurisdictionis non Ordinis, vt citati Doctores loquuntur; at Prælati regulariter possunt in subditos quicquid possunt Episcopi in suos quoad ea quæ sunt iurisdictionis, vt alibi latè docuimus, & hoc ità de Prælatis Regularibus affirmant *Roderic. tom. 1. q. 24. art 17. Mirand. in man. Prælat. tom. 2. q. 31. art. 11. Io. de la Cruz de stat. Relig. lib. 1. cap 6. dub. 5. conclus. 6 Sigismund. à Bonon. d. dub 87. nu. 3. Bartholom. de Vecch. d. dub. 12. num 16.* aduertens, id non procedere in volente ingredi Religionem nominatim inquisito in foro contentioso super aliquo ex narratis criminibus; nam durante inquisitione non potest dispensari in Religione, donec à Iudice absoluatur.

8 Dico secundò. Prælati inferiores iurisdictionem quasi Episcopalem habentes, tàm Regulares, quàm seculares possunt cum suis subditis infamia iuris laborantibus dispensare, quandò delictum, seu factum est occultum. Quia sicut Episcopi vigore facultatis à *Concilio Tridentino sess. 24. de reformat. cap. 6.* eis traditæ, possunt cum suis subditis dispensare in delictis occultis, excepto homicidio voluntario. Ità idem etiam poterunt prædicti Prælati cum suis, per ea quę infra quæst. vlt. huius disputationis docebimus. Quo fundamento hanc conclusionem quoad Regulares Prælatos probant *Sigismund à Bonon. d. dub. 87. num. 4. Barthol. de Vecch. d. dub. 22. nu. 16.* cum qui-

9 bus limitanda est prædicta conclusio, vt non procedat in infamia ex hæresi etiam occulta, vel ex alijs casibus Bullæ Cœnæ Domini prouenientę, nam ab his absoluere non possunt prædicti Prælati, vt superius disput. 14. docuimus.

10 Dico tertiò. Possunt supradicti Prælati dispensare cum suis subditis, superueniente iuris infamia, vt retineant vsum Ordinum, & beneficia iàm obtenta, quamuis non, vt de nouo obtineant. Id enim posse Episcopum, sustinent *Henriq. d. §. in fine, & D. Barbos. d. alleg 43. num. 31. etiam in fine.*

11 Dico quartò. Supradicti Prælati possunt cum suis subditis dispensare in irregularitate, procedente ex infamia meri facti, qualis est, quę nascitur ex crimine aliquo notorio; quia super tali irregularitate dispensat Episcopus, vt docent *Nau. d. nu. 204. Auil. & D. Barbos. loc. cit.* ergò eadem facultas reperietur in Prælatis inferioribus iurisdictionē quasi Episcopalem habentibus, quod pro Prælatis Regularibus notant *Roderic. d. q. 24. art. 6. Mirand. tom. 2. q. 8. art. 5. Io. de la Cruz d. cap. 6. dub. 17 concl. 2. Sigism. à Bonon. d. dub. 87. nu. 6. Barthol. de Vecch. d. dub. 22. n. 18.* qui nu. seq. hoc limitat quoad volētem ingredi Religionem, cum quo dispensare nequeunt Regulares Prælati, quando eius infamia procedit ex delicto ad forum contentiosum deducto, & quod in eodem foro à Iudice agitatur.

12 Dico quintò. Infamia meri facti tolli, aboleriq; potest pœnitentia iusta, & emendatione vitæ, ex qua bona opinio apud probatos, & graues viros denuò consurgat, & mala quæ antea orta erat, tollatur: & sicut hominum oblocutione infamia processerat, ita contrario eorum dicto tollatur; quia omnis res per quascumque causas componitur, per easdem dissoluitur, *rap. 1. de reg. iur. cap. testimonium, de testib. gloss in can. primum 25. dist, in fin.* Infamia autem facti nascitur per factum malum; ergò per factum bonum, siuè per emendationem, vel per purgationem dissoluitur. Ità *Panormit. in rap. rum te, nu 9. de sent. & re iud. Nau. d. num. 204. vers. quin etiam, Suar. c. d. sect. 1. num. 8. Bonacin. d. punct. 1. num. 5. D. Barbos. d. alleg. 43 num. 21. Sigismund. à Bonon. num. 7.* & alij communiter. Criminosus autem emendatus, & purgatus præsumitur, si trium annorum spatio ab improbis factis se ab-

13 stinuerit, vt in rectis, ac honestis actionibus se exercuerit. Nam præsumptio de qua *regula semel malus, & c. de reg. iur. lib. 6.* tollitur, si quis per triennium laudabiliter vixerit post cōmissum delictum, vt notarunt *Frlin. in d. cap. cum deputati, nu. 1. de iudic. Nau. comment. 2. de Regular. num. 60. Mascard. de probat. conclus. 465. nu. 10. D. Barbos. d. alleg. 43. nu. 23.* Ideo Monachus, qui in sæculo erat infamis infamia facti, triennio post susceptum habitum præsumitur mundus ab omni macula humana, donec contrarium probetur, *iuxt. §. sancimus, d. Authent. de Monach.* notat *Nauar.* vbi proximè.

QVAESITVM VIII.

Vtrùm Abbates possint cum suis subditis dispensare in omnibus, in quibus possunt Episcopi cum suis.

SVMMARIVM.

1 *Abbates an possint cum suis subditis dispensare in quibus possunt Episcopi cum suis, tàm de iure communi, quàm ex Concilio Tridentino.*

2 *Potestas Episcopis cōcessa à Trid. sess. 24. de ref. c. 6. nō extenditur ad Prælatos Regul. secus ex priuilegio.*

3 *Eadem potestas an competat Abbatibus, & Prælatis inferioribus habentibus Diœcesim cum iurisdictione Episcopali.*

4 *Potestas dispensandi alicui concessa est latè interpretanda.*

5 *Abbates, & Prælati inferiores habentes Diœcesim sibi subditam sunt in iurisdictione Episcopis omninò similes.*

1 PRo explicatione huius quæsiti distinguẽdum est; Nam aliqua conueniunt Episcopis iure Ordinario, quatenus Episcopi sunt; vt dispensare in votis, & in alijs casibus, qui Episcopales dicuntur; & super his Regulares Prælati habẽt omnem facultatem, dispensandi cum suis subditis, quam habent Episcopi; quando sunt actus illis conuenientes. Ratio est, quia cum eorum Religiones sint exemptæ, habent iure Ordinario hanc potestatem, quæ nisi limitetur, est æqualis quoad extensionem iurisdictioni Episcopalis, quià illius loco succedit. Secundò aliqua conceduntur Episcopis iure speciali, purà vt Delegatis Sedis Apostolicæ; vt multi casus, & potestates eis concessæ sunt in
2 *Conc. Trid. sess. 24 & 25.* & alibi; & facultas, quæ isto modo Episcopis tradita est, non extenditur ad Prelatos Religionum; quia iurisdictio eo titulo Episcopis concessa, non est Episcopalis, sed Apostolica; nec ad illos potest extendi cõcessio facta Episcopis, eo quia conueniunt cũ illis in iurisdictionis modo, quia verba delegationis sunt in sua proprietate accipienda; ergò delegatio, specialiter Episcopis facta, non potest ad Prælatum Regularẽ extendi, qui non est verè Episcopus. Tertiò quædam Episcopis specialiter circa dispensationes conceduntur, quæ antea non concedebantur: quamuis non dicatur, tamquam Apost. Sedis Delegatus, vt *d. Conc. Trid. sess. 24. de refor. c. 6.* & circa eadẽ ex vi iuris cõmunis, nullam facultatẽ habent Regulares Prælati, vt possint super talibus casibus, specialiter Episcopis concessis dispensare, quia ex tenore illius decreti Concil. Trid. clarè colligitur nomine Episcoporũ nõ intelligi eos qualitercumq; quasi Episcopalem iurisdictionẽ habentes, sed eos tantum, qui illã habent in aliqua Diœcesi sibi subdita, vt cõstat ex illis verbis *Trid. eo c. 6.* ibi, *quoscumq; sibi subditos in Diœcesi sua*, & hi Regulares Prælati Diœcesim nõ habent, eos enim, vt tales supponimus. Atq;ità docent *Suar. to. 4. de Rel. tract. 8. lib. 2. c. 12.* & antea idẽ tenuit in *4. to. in 3. p. disp. 30. sect. 2. n. 7. Sanch. in Decal lib. 2. c. 11. n. 7.* qui idem probant ex cõcessione Pij V. super hoc specialiter Fratribus Ord. Præd. tradita ann. Domini 1571. die 21. Iulij, per quã motu proprio voluit, vt concessio facta Episcopis à *Cõc. Trid. sess. 24. de refor. c. 6.* extenderetur ad Prælatos illius Ordinis; nec declarat prædictã Conc. Trid. cõcessionem Episcopis factam ad hos Prelatos extẽdi, sed ipse eam extendit, vt constat ex illis verbis, *quia S. Concilium concessit Episcopis*, vsq; ad illa, *auctoritate præsentiũ cõcedimus*. Ex quibus apparet non benè sensisse *Roder. dum to. 1. qq. Reg q. 61. art. 9.* dũ tenet eam facultatem cõpetere Prælatis Regularibus non ex vi prędicti priuilegij tantum, sed ex vi prædicti decreti Cõcilij, atq; in eo Prelatos hos Episcoporum nomine comprehendi. Ex vi igitur illius motus proprij Pij V. videtur hos Prælatos Regulares habere eãdem potestatem in suos subditos Regulares, quam habent Episcopi in suos, circa ea, quæ in prædicto decreto Cõcilij eisdem Episcopis concessa sunt. Quod præter supradictos DD. tenent etiam *Henriq lib 6. c. 16 § 8 & lib. 7. c 25. § 2. & lib. 14. c. vlt § 5. in fi Roder qq. Reg. to. 1. q. 61. art. 9. Pias. in prax. noua Episc p. 2. c. 3 n. 52. Lud Molin. de iust. tract. 3. disp. 61. nu. 4. & 5. & disp. 70. in fine, Cruz de de stat. Relig. lib. 1. c. 6 dub. 16 Sayr. de cens. lib. 7. c. 7. nu. 23 Coriolan de casib. reseru. p. 1 sect. art. 22. nu. 6. & art. 23. nu. 4.* & alij, quos refert, & sequitur *D. Barbos de offic. & potest. Episc. p. 2. alleg. 39. nu. 18. iuxta impress. Lugdunen.* Maiorem, & ampliorem potestatem obtinent ijdem Prælati communicatione priuilegij concessi à Sixto IV. Carthusiensibus anno 1481. nempè vt eorum Generalis per se, vel per quinquaginta Prælatos inferiores, ab ipso deputandos possit cum suis subditis dispensare in omnibus casibus Sum. Pont. reseruatis, nullo excepto, in foro conscientiæ tantum; solam dispensationem in homicidio voluntario concedit cum limitatione, scilicet, citra Altaris ministerium; hoc priuilegium refertur in *Comp. Societ. verb. dispensatio § 4* refert etia *Suar. d. cap. 12. n. 9* & nonnulla alia priuilegia referuntur in *Comp. Minorum*, ad hunc propositum.

3 Et hęc quoad Prælatos Regulares. An autem ea facultas in prædicto *c. 6 sess. 24.* à *Conc. Trid.* Episcopis concessa competat etiam Abbatibus, & alijs Prælatis habentibus Diœcesim nulli Episcopo, sed ipsis pleno iure subiectã, & in ea Episcopalẽ iurisdictionem habentes, aliqui negant, eorum ratio est, quia cum illud Cõcilij decretum exorbitet à iure communi, quo attẽto solus Papa super his, quæ ibi Episcopis cõceduntur, dispensare poterat, ideo tãquam odiosum restringendũ est, vt comprehendat tantùm Episcopos, qui in eo nominantur. Ità tenent *Cened. collect. 4. ad decret. nu. 3. Suar. de cens. disp. 41. sect. 2. nu 7.* & alij, quos refert, & sequitur *D Barbos loc. cit. n. 17.* Verum his nõ obstantibus contrarium asserimus, nempè illam facultatem Episcopis d. Concilij decreto concessam etiam competere his Prælatis, de quibus agimus.

4 Quia licet dispensatio ipsa sit odiosa, cum sit vulneratio iuris communis, & ideo strictè interpretanda, *c. 1. §. ille verò de fil. presbyt in 6.* tamen potestas dispensandi alicui commissa est latè interpretanda, tamquam fauorabilis, nam nulli iuri aduersatur, ac vtilis est ad commune bonum, si moderarè, & prudentèr exerceatur, neq; vlli præiudicium infert, licet præiudicet ipsi Principi concedenti, qui voluntariè cedit iuri suo, tum etiam quia potestas delegata extendenda est, ac latè interpretanda; ergò à fortiori etiã extendẽda est potestas Ordinaria, qualis est hec, quæ in *Trid. Synodo habetur d. sess 24. c 6.* Nam *Trid. Synodus* ius commune constituit. Ità tenent *Panor. in c. fi. n. 3. & 5. de sim.* & ibi cõmuniter DD. *Nau. comment. 4. de Regul. n. 15. & lib. 4. consil tit. de consang. in 1. edit. cons. 8. in fi. in 2. cons. 4. in fi. Gutier. quæst. canonic. lib. 7. c. 15. n. 125. Molin tom. 1. de iust tract 2. disp. 173 vers. obseruandum est, Salas de legib. disp. 20. sect. 3. n. 18. & sect. 11. n. 110.* & alij, quos magno numero congessit *Sanch. de matr. lib. 9. disp 2 nu. 1. vers. & ideo hanc conclusionem, Bonac. de legib. disp. 1. q. 3. punct. 7. a. c. n. 19. in princ.* vbi ait facultatem Episcopis concessa in Tridentino extendendam esse.

5 Alia

5 Alia ratio est, quia huiusmodi Prælati in sua Diœcesi ab Episcopis sola consecratione differunt, in iurisdictione autem sunt omninò eis similes, & Confessarios pro suis Diœcesibus approbant, vt probauimus *disp. 9. q. 5.* quod tamen ad Episcopos spectare in *Conc. sess. 23. c. 11. de refor.* statutum est; Atq; hanc sententiam sustinent *Henriq. in sum. lib. 14. de irregul. c. 18. n. 2. in comment. lit. P. & lib. 7. de pœn. c. 16. n. 1. Roderic. 2. tom. sum. c. 10. nu. 6. concl. 6. & tom. 1. quæst. Regul. q. 24. art. 13. & 17. & q. 61. art. 9. Flores de Mena variar. lib. 3. q. 24. nu. 18. Clauis Regia lib. 6. cap. 17. nu. 83. in fin. Aula de censur. part. 7. disp. 10. dub. 6. Sanch. d. disp. 2. nu. 12. & lib. 2. in Decalog. cap. 11. nu. 5. & lib. 4. cap. 54. num. 7.*

DISPVTATIO XVIII.

De potestate Abbatum, & Prælatorum inferiorum ad dispensandum in votis.

QVAESITVM I.

Vtrùm in Abbate sit auctoritas dispensandi in votis simplicibus suorum subditorum.

SVMMARIVM.

1 *Dispensatio votorum non est actus Ordinis, sed iurisdictionis spiritualis.*
2 *Dispensandi potestas in votis plenissima, ac in supremo perfectionis gradu residet in Summo Pontifice, qui respectu inferiorum vota sibi reseruare potest.*
3 *Dispensare possunt Abbates in votis suorum subditorum, sicut Episcopi.*
4 *Abbates potestatem in votis subditorum dispensandi possunt alijs delegare.*
5 *Dispensandi potestas competit etiam Abbatibus Conuentualibus.*

1 VT tota hæc materia de potestate Abbatis quoad dispensanda vota suorum subditorum, faciliùs innotescat, præmittendum est, dispensationem non esse actũ Ordinis; quia nullus adest Ordinis character ad hoc deputatus, sed esse actum iurisdictionis spiritualis, vt constat ex eius origine: hæc enim potestas collata est à Christo Domino Ecclesiæ suæ, *Matth. 16.* dum dixit D. Petro. *Pasce oues meas; & Quodcumque solueris super terram, erit solutum, & in Cœlis,* quæ verba sicut generalia sunt, ità intelligi debent de omni vinculo, quod homo ergà Deum contrahere potest, & aliquando solui expedit. Constat etiam hanc potestatẽ dispensandi in votis esse actum iurisdictionis spiritualis ex eius fine, qui est merè spiritualis: necnon ex vsu, & traditione Ecclesiæ. Ità *Less. lib. 2. de iust. cap. 40. dub. 11. nu. 100. Sayr. in Clau. Regia lib. 6 cap. 11. nu 85. Valent. tom. 3. disp. 6. q. 6. punct. 3. Sanch. lib. 4 in Decalog. cap. 37. nu. 16.* & esse de fide ait *Suar. tom. 2. de Relig. tractat. de voto, lib. 6. cap. 20. num. 1.*

2 Secundò supponendum est, hanc potestatem plenissimam, ac in supremo perfectionis gradu residere in Summo Pontifice, immediatè à Christo Domino acceptam, qui cum illam D. Petro ad regimen suæ Ecclesiæ tradiderit: eamdem in eius successoribus, tamquam necessariam ad suam Ecclesiam optimè regendam, continuat. Vndè potestas huiusmodi, quæ in alijs Prælatis reperitur, pendet à Summo Pontifice, qui respectu omnium eorum vota sibi reseruare potest; proptereà Episcopi habent etiam potestatem Ordinariam dispensandi cum suis subditis super votis, quæ reseruata non sunt, vt per *S. Thomam 2. 2. quæst. 88. art. 12. ad 3. Syluest. verb. votum, quæst. 3. Nauar. cap. 12. num. 75. & Suar. d. cap. 10. num. 3.* & alios locis citatis. Ex his patet, quid dicendum sit de Abbatibus, & cæteris Prælatis Regu-

3 laribus, qui possunt dispensare super votis suorum subditorum exemptorum sicut Episcopi; vt est communis sententia Theologorum, *Sotus lib. 7. quæst. 4. articulo 3. Valent. dicto puncto 7. columna 10. vers. sed vtrumconstet, Aragon. 2. 2. quæst. 88.*

art. 8. Azor. par. 1. lib. 11. cap. 18. quæst. 4 Nauar. vbi supra, Roderic. quæst. Reg. tom. 1. q. 25. art. 7. Lop. 1. par. cap. 49. Less. d. cap. 40. dub. 13. n. 107. Graff. decis. aur. par. 1. lib. 2. cap. 31. nu. 18. Sayr. d. cap. 11 nu. 88. & 89. Suar. d. cap. 10. num. 14. 15. & 16. Sanch. in Decalog lib. 4. cap. 39. num. 3. vbi plures cumulat, *Reginald. in praxi lib. 18 num. 340. Bonac. in Decalog. disp. 4. q. 2. punct. 7. §. 4. num 9.*

Et ratio est, quia Abbates, & Prælati Religionum exemptarum habent iurisdictionem quasi Episcopalem in vtroq; foro ergà suos subditos; nam ex exemptione sequitur, vt ipsi participent iurisdictionem Episcoporum, in quorum locum succedentes illa potiuntur; aliàs si tali potestate carerent, exemptio in præiudicium exemptorum vergeret: priuarentur enim commoditate, qua gaudent non exempti, vt non compellantur adire Summum Pontificem, quandò indigent dispensatione in votis. Nec potestas irritandi competens ipsis Abbatibus, & Prælatis Regularibus excludit potestatem dispensandi; quia vtraque simul stare potest, & vtraque in ipsis reperitur: neque est superflua, vt dixerunt *Palud. in 4. dist. 38. q. 4 art. 4. conclus. 7 num 45. D Anton. 2. par. tit 11. cap 2. §. 9. vers. item Abbas*, ex quo moti sunt, asserere talem potestatem in Prelatis Regularibus nõ reperiri, non est, inquam, superflua, quià aliquandò Superiori magis expediens videri poterit dispensare, quàm irritare; prætereà in aliquibus votis dispensare potest, quæ tamen irritare nequit, vt est votum, transeundi ad arctiorem Religionem, & votum de Superioris licentia emissum, vt suo loco videbitur.

4 Cum autem hæc potestas Abbatibus ex vi sui muneris competat, certum est eam esse Ordinariam, vt indè possint illam alijs delegare, quod fatentur *Clauis Regia dicto cap. 11. num. 205. Suar. dicto num. 14. & Sanch. dicto cap. 31. num. 4.*

5 Competit etiam non solum Generalibus, verùm etiam inferioribus, & Conuentualibus Abbatibus; hi enim sunt quoque veri Prælati, & potiuntur iurisdictione quasi Episcopali, ac illis plena sui Cœnobij cura commissa est. Ità *Soto, & Graff. locis cit. Sayr. d. cap. 11. num. 89. Suar. d. cap. 10. num. 24.* Reginald. *d. num. 340.* Competit tamen eis cum quadam subordinatione, nempè vt Superiores possint inferioribus aliquorum votorum dispensationem reseruare. Ità *Sanch. d. cap. 39. num. 5.*

QVAESITVM II.

Vtrùm Abbates habentes territorium cum iurisdictione Episcopali, possint cum subditis suæ Diœcesis in votis dispensare.

SVMMARIVM.

1 *Abbates tàm Regulares, quàm sæculares, habentes iurisdictionem Episcopalem possunt in votis subditorum æque, ac Episcopi dispensare.*

1 CVm Prælati tàm sæculares, quàm Regulares habentes propriam Diœcesim sibi subditã, in qua Episcopalem iurisdictionem exercent, eãdem habẽt iurisdictionem in subditos, qua fruuntur Episcopi in suos, vtique resoluendum erit, absque vlla contrarietate ipsos Prælatos posse cum suis subditis dispensare in votis, in quibus possunt Episcopi cum suis. Quia dispensatio est actus spiritualis iurisdictionis, non Ordinis, vt in superiori quæsito probauimus, sed tales Prælati sunt verè Superiores illius Diœcesis, & habẽt iurisdictionẽ in eius subditos; ergò possunt cum illis in votis dispensare modo prædicto, sicut Episcopus. Ità docẽt *Panor. in cap. 1. n 7. de voto, & voti redempt. Sylu verb. votum 4 q 3. dict. 4 Nau. in man. cap. 12. n. 75. Azor par. 1. inst. moral. lib. 11. cap. 19. q. 2. Valent. tom. 3. disp. 6. q. 6. punct 7. col. 10. vers. secundum constet, Sayr in Clau. Regia lib. 6 cap. 11. nu. 83. Roderic. 2. tom. sum. cap 100 n 3. Suar. tom. 2. de Relig. tract. de voto lib. 6. cap. 10. nu. 13. Graff. 1 par. decis. lib. 2. cap. 31. nu. 8. Sanch. in præcep. Decalog. lib. 4. cap. 38. n. 19. Reginald in praxi lib. 18. num. 339.* & alij apud *Sanchez loco citato.*

QVAESITVM III.

Vtrùm Abbas possit in votis suorum Nouitiorum dispensare.

SVMMARIVM.

1 *Nouitiorum in votis an Abbas dispensare possit, ostenditur, & num. 2.*
3 *Nouitij gaudent priuilegijs Religionis.*

NOn est nobis sermo in præsenti de iurisdictione Abbatis in suspendenda executione votorum Nouitij, quæ statui Regulari onerosa sunt, eique omninò, vel magna ex parte contrariantur; de hac enim nulla est difficultas posse, videlicet Abbatem, suspendere executionem huiusmodi votorum eo tempore, quo in Nouitiatu sub Abbatis regimine viuit. Neque loquimur de dispensatione, aut commutatione votorum Nouitij in exercitia aliqua Religionis; quorum dispensatio, & commutatio, quòd sibi liceat, certum, indubitatumq; est, vt fusius probant *Sayr. lib. 6. cap. 11. nu. 92* Azor. *par. 1. lib. 11. cap. 19. q. 21. Roder. par. 2. sum. cap. 91. nu. 10.* & alij inferius citandi. Sed quæritur de propria dispensatione, qua simpliciter vota
1 Nouitiorum tolli possunt. In qua re duæ sunt sententiæ; Prima est dicentium Abbatem non posse propriè, & simpliciter dispẽsare in votis Nouitiorum; sed hoc pertinere ad Episcopum proprium. Ità *Angl. in mat. de voto Lop. 1. p. c. 47. Azor. inst. mor. p. 1. lib. 11. c. 19. q. 21. Suar. tom. 2. de* Relig. *lib. 6. de voto c. 11. nu. 9. Regin. in praxi lib. 18. n. 340. Clau.* Reg. *lib. 6. c. 11. n. 92.* & alij, eorum ratio est, quia Abbates in Nouitios non habent iurisdictionem Episcopalem, quia non dum emiserunt professionem, per quam cõstituuntur eius
2 subditi. Secunda sententia, quæ mihi verior, & probabilior videtur est posse Abbatem licitè dispensare in votis Nouitiorum. Ratio est, quia licèt Abbas nõ habeat in Nouitios potestatem dominatiuam; vndè non valet illorum vota irritare, vt supra de irritatione votorum diximus; habet tamen in eos potestatem iurisdictionis; cum ad ipsum spectet de Nouitiorum delictis cognoscere, non autem ad Episcopum. Tùm quia Nouitij gaudent etiam priuilegijs Religionis, vt tra-

dunt

Digitized by Google

dunt Enriq. lib. 7. de Indulgent. cap. 22. num. 7. & Molin. tomo 1. de instit. disput. 139. vers. præter hos, Roderic. quæst. Regular. tomo 1. quæst. 15. art. 8. & Sanch. lib. 9. de matrimon. disput. 39. & lib. 4. in Decalog. cap. 39 num. 17. Azor. 1. par. instit. mor. lib. 7. cap. 30. ergò etiam gaudere possunt priuilegio dispensationis votorum. Tum etiam, quia Abbas videtur, habere in Nouitios eam iurisdictionem, quam habet Episcopus in existentes in sua Diœcesi. Atque ideo hanc sententiam defendunt Roder. d. art. 8. & in sum. par. 2. cap. 89 conclus. 9. num. 10. vbi refert Alcozer, & alios, Miranda in manual. Prælat. tomo 2. q. 32. art. vlt. Less. de iust. lib. 2. cap. 40. dub. 18. num. 80. & 107. Enriq. loco cit. Cordub. in suo quæstionario lib. 1. quæst. 4. Sanchez de matrimon. lib. 9. disput. 39 & in præcepta Decalogi lib. 4. cap. 39. num. 17. Bonacin. in Decalog. disput. 4. quæst. 2. punct. 7. §. 4. num. 27. Bartholom. à Sancto Fausto in thesauro Relig. lib. 3 quæst. 27.

QVAESITVM IV.

Vtrùm Abbas subditorum vota sine causa dispensare possit.

SVMMARIVM.

1 *Dispensare nequit Abbas in subditorum votis, sinè iusta causa.*
2 *Dispensandi in votis causa an sit iusta quomodo cognoscatur, ostenditur.*
3 *Dispensatio in votis, etiam à Summo Pontifice, sinè iusta causa, facta, inualida est.*
4 *Causa iusta existente, si tamen Abbas sinè eius prænognitione dispensat, an sit valida dispensatio.*
5 *Dispensationis ad validitatem an requiratur, causam esse manifestè iustam, & an subditus vtenao dispensatione cum dubia causa facta sit tutus in conscientia.*

Certum est ex communi Doctorum sententia, ad votorum dispensationem iustam causam requiri, ne dispensatio irrita sit, & inualida. Ratio est,
1 quia inferior non potest validè dispensare in lege Superioris sinè causa; ergò non poterit Abbas in votis simplicibus dispensare absque legitima, & rationabili causa: ne dicatur dispensare aliquo modo in lege diuina naturali, absque causa iusta; quia dispensatio voti, est aliquo modo dispensatio in iure diuino naturali, saltem ratione materiæ. Atque ità docent D. Thom. 2. 2. q. 88. art. 12. ad 2. Soto de iust. lib. 7. q. 4. art. 3. Caietan. in summa verb. dispensatio, Sylu. verb. votum 4. q. 3. Nauar. in man. cap. 12. num. 57. Less. de iust. lib. 2. cap. 40 dub. 14. num. 101. Suarez de Relig. tom. 2. lib. 6. de vot. cap. 17. num. 62. Sanchez in Decalog. lib. 4. cap. 45. num. 3. Filliuc. moral. quæst. tom. 2. tract. 26. cap. 9. q. 6. Reginald. in praxi lib. 18. nu. 341. Bonac. in Decalog. disp. 4. q. 2. punct. 7. §. 4. Quomodo
2 agnoscenda sit causa iusta ex qua possit Prælatus eum suis subditis in votis dispensare, per has regulas satisfaciemus. Prima est, si ex indiscreto vouendi modo, nempè ex metu, calore iracundiæ, vel subita passione impediente deliberationem, quis vouerit. Secunda ex parte materiæ, vt si materia sit occasio ruinæ, vel peccati. Tertio ex conditione personæ, si impediat maius bonum spirituale, & ex dispensatione speretur maior fructus, & vtilitas. Quarta ex comparatione materiæ ad talem personam, si materia mutata sit, quoad magnitudinem difficultatis, & incommoditatis. Quinta ex necessitate extrinseca, vt si sit necessitas, vel vtilitas, ad publicum bonum domus, & Monasterij pertinens. Sexta si ita prudens arbitretur, potest enim euenire, vt singulę non sufficiant; sed plures requirantur. Insuper requiritur proportio agnoscenda inter qualitatem causæ, & votum. De hac re fusius Suar. loco cit. cap. 20. Præterea debet Prælatus animaduertere principaliter, & super omnia in dispensatione habenda, quid liceat secundum æquitatem, quid deceat secundum honestatem, & quid expediat secundum vtilitatem, vt benè notat Innocent. cap. magna, de vot. hæc ergò omnia valdè notatu digna sunt, quia eorum cognitio requiritur, non solum in dispensatione, verùm etiam in irritatione, & commutatione votorum, de quibus infra.

3 Hinc sequitur dispensationem in votis, & in quocumque præcepto, ad quod iure diuino obligamur, etiam à Summo Pontifice concessam absque vlla causa, irritam, & inualidam esse; quia voluntas inferioris de se non est efficax ad voluntatem Superioris mutandam solo arbitrio suo; tùm quia potestas dispensandi data est Ecclesiæ ad ædificationem, non ad destructionem; sed quandolibet Prælatus absque iusta causa votorum vincula relaxaret, esset destruere, non ędificare; ergò sinè causa dispensare non poterit: Minor habetur ex S. Bernard. lib. 3. de considerat. ad Eugen cap. 23. & S. Thom. 2. 2. q. 88. art. 12. Si verò iusta causa adesset, licet Abbas eius cognitionem non præmiserit, dispensatio in foro conscientiæ valeret, quousque non reuocaretur, & subditus tuta conscientia dispensationem acceptare posset. Abbas autem tamquam sua potestate in re grauissima abutentes, seq; actus irritandi periculo exponens, mortaliter peccaret. Ità Supplement. Gabr. in 4. distinct. 38. q. 1. art. 5. & Sanch. alijs citatis de matrimonio lib. 8. disput. 17. num. 11. & in Decalog. dicto cap. 45. num. 6.

4 Si autem dubium sit an adsit iusta causa dispensandi, Abbas dispensans non peccat; quia in eo dubio in benigniorem partem inclinandum est, & præsumendum pro Superiorum potestate. Ità Syluestr. verb. dispensatio quæst. 14. num. 20 in fine, Sanch. dicto cap. 45. num. 10. subdens secus dicendum esse, si non dubitaretur an adsit sufficiens dispensandi causa, sed dubium foret, an existeret causa dispensandi, quia in dispensatione necessariò requiritur causa. Vnde fieri non debet, quandò dubitatur, an ea adsit. Ex
5 his patet, quod si Abbas proposita sibi causa dispensat, licet dubitetur, an sufficiens sit nec nè, subditus vtendo dispensatione tutus erit in conscientia; quia in hoc dubio Superioris iudicio standum est. Ità Syluest. verb. votum 4. q. 6. Clauis Regia lib. 6. cap. 11. num. 25. vers. quæ omnia, in fine, Suarez de Relig. tomo. 2. lib. 7. de voto cap. 17. num. 6. & 20. & de censur. disput. 41. sect. 3. in fine, Sanchez alijs citatis d. lib. 4. cap. 44.

QVAESITVM V.

Vtrùm Abbas dispensare posit cum suis Monachis in voto transeundi ad arctiorem Religionem.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus dispensare potest cum suis subditis in voto arctioris Religionis adstrictis, vt laxiorem ingrediantur.*

2 *Abbas potest, cum suis Monachis in voto strictioris Religionis, antequam ad eam transeant, dispensare.*

QVia (vt supra dictum est) Abbates, & alij Regulares Prælati dispensare possunt cum suis Religiosis exemptis in omnibus, in quibus Episcopi cum subditis suæ Diœcesis dispensare possunt: meritò sequitur dicendum ipsos Abbates licitè posse, cum suis Monachis in voto transeundi ad arctiorem Religionem, priusquàm transeant, dispensare. Nam
1 Episcopus potest, cùm sibi subdito, qui emisit votum, strictiorem clausuram intrandi, vt laxiorem ingrediatur, dispensare, quia hæc non dicitur propriè dispensatio in voto Religionis, sed in quadam ipsius circumstantia, nam illa dicitur dispensatio, in qua voti obligatio tollitur; at hic non tollitur, sed remanet obligatio voti. Ità *Less. de iust. lib. 2. cap. 40. dub. 13. num. 105. Roderic. quæst. Regular. tom. 1. q. 25. art. 5. Azor. instit. moral. par. 1. lib. 11. cap. 18. q. 8. Enriq. lib. 7. de Indulg. cap. 22. num. 7. Clauis Regia lib. 6. cap. 11. num. 73. Sanch. de matrimon. lib. 8. disput 9. num. 17. & in Decalog. lib. 4. cap. 40. num. 74. Reginald. in praxi lib. 18. num. 331. & 335. Bonac. in Decalog disp. 4. q. 2. punct. 7. §. 4 num. 21. vers. tertio commutando*, & alij plures apud *Sanch. locis citat.* Ergò
2 pariter Abbas, cum quasi Episcopali iurisdictione potiatur, hanc dispensationem suis Religiosis concedere poterit. Nec refragatur illum non habere potestatem talis voti irritandi; quia in hoc est dispar ratio. Nam ideò Abbas votum sui Monachi quoad transitum ad strictiorem clausuram irritare nequit; quia Monachus, quoad illum transitum ipsi non subditur, vt domino, & subiectione propria Religiosi, cum non sit de ijs, quę ad obedientiæ votum spectant; sed subditur Abbati, vt suo spirituali Prælato, sicut Episcopo subduntur, & propterea cum illo, sicut Episcopus cum secularibus, dispensare poterit. Atq; ità hanc sententiam tenent *Soto de iust. lib. 7. q. 3. art. 1. dub. 2. col. 5. vers. tertius operum ordo est, & q. 4. art. 3. col 5. vers. sequitur subindè, Nauar. comment. 4. de Regul. num. 22. in fine, & lib. 3. consil. tit. de voto in 1. edit. cons. 30. num. 3. in 2. cons. 40. num. 3. Enriq. loco citato, Roderic. 2. tomo summa cap. 89. num. 4. Less. dicto dub. 13. num. 107. Azor. dicto lib. 11. cap. 22. quæst. 12.* Clauis Regia *dicto cap. 11. nu. 90. & 91. & dicto lib. 4. cap. 42. num. 2.* vbi alios refert *Suar. de Relig. tomo 2. tractat. de voto lib. 6. cap. 10. num. 16. & tomo 3. etiam de Relig. lib. 4. cap. 8. num. 8.*

QVAESITVM VI.

Vtrùm Abbas dispensare posit in votis Religiosorum sibi subditorum, de ipsius, vel alterius Superioris licentia emissis.

SVMMARIVM.

1 *Abbas potest in votis subditorum, de ipsius licentia emissorum dispensare, & num. 2.*

2 *Dispensare etiam potest Abbas in votis emissis de licentia alterius Superioris.*

1 QVoad vota de ipsius Abbatis licentia emissa, licèt à Doctoribus in dubium vertatur, an possint ab ipso irritari; tamen quòd in illis dispensare valeat, extra controuersiam est. Nam siuè illa licentia potestati dominatiuæ ipsius Abbatis concedentis præiudicet, siuè non, à qua potestate irritatio procedit; nullo modo tamen spirituali præiudicat, à qua dispensatio manat; nam vtraque potestas est valdè diuersæ rationis. Atque ità docent *Angelus verb. votum 4. num. 8. Syluest. verb. votum 4. q. 3. dict. 9. Tabiena eod. verb. votum. 5. q. 4. num. 5. in fine, Caiet. 2. 2. q. 88. col. 3. vers. ad eius euidentiam, in fine, Suar. de Relig. tomo 2. tract. de voto, lib. 6. cap. 10. num. 17. Sanch. in Decalog. lib. 4. cap. 42. num. 4. Fauit. in thesauro Relig. lib. 3. q. 31.* Potest etiam
2 Abbas Conuentualis dispensare in votis Religiosorum emissis de licentia alterius Superioris Prælati, licèt illa irritare nequeat. Ratio disparitatis est, quia cum irritatio procedat à potestate dominatiua, aduersatur dominio Superioris, qui illam licentiam concessit; dispensatio autem cum sit diuersæ potestatis, nempè spiritualis Ecclesiasticæ, illi non præiudicat. Ità *Suar. d. cap. 10. nu. 18. Sanch. d. cap. 42. nu. 5.*

QVAESITVM VII.

Vtrùm Abbates, & Prælati Regulares, ac alij Episcopo inferiores possint in votis secularium dispensare.

SVMMARIVM.

1 *Prælati inferiores Episcopali iurisdictione carentes nequeunt in votis dispensare; nisi hanc potestatem legitimè præscripserint, vel sit eis specialiter commissum.*

2 *Consuetudo hæc an extendenda sit, & quod tempus ad eam legitimè præscribendam requiratur.*

3 *Religiosi ad fidelium Confessiones audiendas expositi possunt in votis Episcopis reseruatis absoluere virtute suorum priuilegiorum.*

4 *Huiusmodi priuilegia fauorabilia sunt, & sic latè interpretanda.*

1 DIco primò. Prælati Episcopo inferiores, vt Archidiaconi, & alij huiusmodi, Episcopali iurisdictione carentes, nequeunt in votis dispensare, nisi hanc potestatem legitimè præscripserint, vel sit eis specialiter commissum. Ratio est, quia hi non sunt Ordinarij, & ideo id tantum possunt, quæ illis specialiter

Digitized by Google

cialiter reperiuntur concessa. Ita docent *Innoc. in cap. 1. in princ de voto, & vot. redempt. & ibi Host. n. 1. Io. Andr. num. 5.* & communiter scribentes; *Angel. verb. votum 4. num. 6. Syluest. verb. votum 4. q. 3. dict. 7. Nauar. in manual. cap. 12. num. 75. Azor. in. Instit. moral. tom. 1. lib. 11. cap. 19. q. 2. Sayr. in Claui Regia lib. 6. cap. 11. num. 82. & 86. Suar. tomo 2. de Relig. tract. de voto, lib. 6. cap. 10. num. 12. Less. de iust. lib. 2. cap. 40. dub. 13. num. 109. Sanch.* pluribus alijs relatis in *Decalog. lib. 4. cap. 38. num. 20.* qui *num. seq.* notat hanc consuetudinem non esse extendendam vltra casum per eam præscriptum quia tanquam contra ius est strictè accipienda, & ideo, non debent excedi limites eius, quod concessit, & *num. 22.* obseruat, ad hanc consuetudinem legitimè præscribendam, non esse necessarium tempus centum annorum, etiamsi præscriberetur potestas dispensandi in votis, aut casibus Apostolicæ Sedi reseruatis, vt censuit *Palud. in 4. dist. 38 quæst. 4. art. 4. conclus. 4. num. 44.* sed tantum quadraginta, quia centum annorum spatium requiritur ad consuetudinem, quæ præiudicet Ecclesiæ Romanæ, aut Coronæ Regni, non autem quæ solis legibus à Pontifice latis, quia tunc sufficit quadraginta annorum, vt cum *Panor.* & communi sententia tradit *Molina de iust. tom. 1. tractat. 2. disp. 77.* & in præsenti casu solùm præscribitur contra legem Pontificiam, aut consuetudinem, quibus hi casus reseruantur.

3 Dico Secundò. Prelati Regulares, ac Religiosi ad secularium Confessiones audiendas approbati possunt virtute suorum priuilegiorum in votis Episcopis reseruatis dispensare, hæc assertio probanda est referendo priuilegia eisdem Religiosis à Sede Apostolica concessa. Et primò, *Eugenius quartus concessit Confessoribus deputatis, & deputandis à Priore, siuè Præsidente Monasterij Sancti Benedicti Vallisoleti, ad ipsius Prioris, vel Præsidentis nutum reuocandis, quorumcumque vtriusque sexus fidelium ad d. Monasterium, seu Ecclesiam quacumque ex causa pro tempore confluentium, commorantium, siuè existentium, cuiuscumque gradus existant, Confessiones diligenter audire, ac cum eis, & eorum quolibet dispensare super votis, etiam Episcopo reseruatis, & ea commutare in alia pietatis opera, toties, quoties deuotioni prædictorum videbitur expedire. Non obstantibus quibuscumque in contrarium.* Id refertur in *Compend. priuileg. Mendicant. tit. absolutio quoad seculares 1. §. 16.* Amplius priuilegium concessum est à Martino V. Monachis D. Benedicti Vallisoleti, quo per communicationem gaudent Mendicantes, ac cæteri eorum indulta participantes, refertur in *Compend. priuileg. Societatis Iesu, verb. dispensatio 6. 10.* vbi dicitur. *Per facultatem Benedictinis concessam à Martino V. possunt nostri Confessores deputati dispensare etiam in votis Episcopo reseruatis*; & in *Compend. priuileg. Ord. S. Hieronymi in Hispania tit. dispensatio in Sacram. Pœnit per communicat. §. 3.* habetur, quod possunt etiam Confessores Mendicantes, & alij eorum priuilegijs gaudentes cum omnibus super votis Episcopo reseruatis, quoties opportunum fuerit, dispensare; & refertur ita concessum fuisse per Eugenium IV. Congregationi S. Benedicti Hispaniæ. Quæ

4 priuilegia non sunt odiosa, sed fauorabilia, & sic latè interpretanda; quia non continent dispensationem, quæ est odiosa, respectu illorum, cum quibus dispensatur, & vti talis strictè interpretanda, *cap. 1. de fil. presbyt. cap. non potest, cap. cum illius, de præbend.* eodem lib. sed concedunt dispensandi facultatem, quæ non inter odiosa, sed inter fauorabilia censenda est, & ideò latissimè est amplianda, vt pluribus probat *Sanch. de matrim. lib. 8. disp. 2. num. 1. Less. de iust. lib. 2. cap. 42, num. 60. D. Barbos. de offic. & potest. Episc. par. 2. alleg. 47. num. 24.* tum quia conceduntur Religioni, quo casu fauorabilia sunt, & extendenda, vt latè probat idem *Sanch. eod. lib. 8. disp. 1. num. 13.* & in terminis horum priuilegiorum id probat *lib. 4. in Decalog. cap. 43. num. 5.* Dubium autem est, an virtute prædictorum priuilegiorum possint Regulares dispensare in votis Summo Pontifici reseruatis, quandò in eis possunt Episcopi dispensare: quod in sequenti quæsito enodabimus.

QVÆSITVM VIII.

Vtrùm Prælati, & Confessarij Regulares possint dispensare in votis Summo Pontifici reseruatis, vbi & quandò possunt in eis Episcopi dispensare.

SVMMARIVM.

1 *Vota Summo Pontifici reseruata quænam sint, ostenditur.*

2 *Episcopi possunt in prædictis votis dispensare, & quando, num. 3.*

4 *Benedictini in Hispania, ac Mendicantes, eorumq; priuilegia communicantes possunt in votis Papæ reseruatis dispensare, quoties integrum est Episcopis in eis dispensare, ratione alicuius circumstantiæ occurrentis, quæ faciat illa à veri voti reseruati ratione deficere.*

Regulares Confessarij virtute priuilegij dispensare possunt in

5 *Voto disiunctiuo, cuius altera tantum pars reseruata est.*

6 *Voto castitatis non perpetuo, sed temporalis, nisi ad centum annos, vt num. 7.*

8 *Voto castitatis coniugalis seruandæ, & num. 9.*

10 *Voto, quo alter coniux absque alterius licentia, vel absque illa promisit se non petiturum debitum.*

11 *Voto non reseruato in quod Papa votum reseruatum commutauit.*

12 *Voto Virginitatis seruandæ.*

13 *Voto in quo vouens intendit se solum ad culpam venialem obligare.*

14 *Voto de nunquam contrahendo Matrimonio, & num. 15.*

16 *Voto non fornicandi, vel non tangendi mulierem.*

17 *Voto castitatis emisso ex aliquo metu licet leui.*

18 *Voto castitatis vbi dubitatur an sit validum.*

19 *Voto assumendi sacros Ordines.*

20 *Voto expresso promittendi castitatem.*

21 Votis

Regulares Confessarij virtute priuilegij dispensare possunt in

21 *Votis diuersis ad castitatem pertinentibus.*
22 *Voto ingrediendi Religionem non approbatam.*
23 *Voto paupertatis, vel obedientiæ in sæculo, aut Religione non approbata emisso.*
24 *Voto ingredi Religionem militarem exempta Hierosolymitana.*
25 *Voto arctioris Religionis vt commutetur in votum laxioris.*
26 *Qualitate peregrinandi.*
27 *Voto Religionis emisso ad duos, vel tres annos.*
28 *Voto, quo quis promisit se ingressurum, perseueraturum, & professurum in Religione.*
29 *Executione in differenda voti Religionis, vel aliorum reseruatorum, & num. 30.*
31 *Votis tribus peregrinationis non in eorum locorum deuotionem, sed ad alium finem emissis.*
32 *Voto non petendi dispensationem ab alio quàm à Summo Pontifice.*
33 *Voto reseruato conditionali.*
34 *Votum quandò dicatur verè, & quandò apparenter conditionale.*
35 *Quid si votum emissum est cum conditione de præsenti, aut de præterito.*
36 *Quid de voto emisso sub conditione necessaria, vel tacita, vel quæ tacitè inest, sed explicatur eo modo, quo inest.*
37 *Quid si conditio iam sit adimpleta.*
38 *Regulares Confessarij nequeunt dispensare in voto conditionali pœnali re reseruata, quando conditio est de præsenti, aut de præterito.*
39 *Quid quando conditio est de futuro.*

1 PRo huius quæsiti intelligentia clariori visum fuit præmittere, quænam vota sint Summo Pontifici reseruata? & relictis varijs Doctorum sententijs, dicendum est, ex vniuersali Ecclesiæ consuetudine hæc quinque illi reseruari, nempè votum castitatis perpetuæ, votum Religionis approbatæ, votum peregrinationis ad limina Apostolorum, votum ad inuisendum S. Iacobum Compostellanum, & votum in Terram Sanctam, quod vocatur Vltramarinum. Nam licet nullibi in Iure inueniatur expressè aliquod votum absolutè reseruari, nisi Vltramarinum causa subsidij, *cap. quod super his, & cap. ex multa, de voto,* nihilominus ex stylo Curiæ Romanæ, & ex consuetudine reliqua omnia reseruantur etiam votum Vltramarinum, & alia peregrinationis facta causa deuotionis tantum, & non in subsidium, quia sicut reseruatio potest consuetudine auferri, ità etiam induci potest; Præterea ità colligitur ex *extrauag. etsi Dominici, de pœnit. & remiss.* vbi Sixtus IV. excommunicat eos, qui prætextu facultatum ab ipso concessarum, hæc quinque vota, absque Summi Pontificis facultate commutant, & sic supponit ea esse reseruata, quia non vult ea comprehendi in generali concessione facultatis commutandi vota, sed requirit licentiam specialem Pontificiam, vt ea commutare liceat. Atque ità docent *Syluest. verb. votum 4. q. 3. dist. 4. & 5. Tabiena verb. dispensatio, q. 9. nu. 11. Soto de iust. lib. 9. q. 4. art. 3. col. 4. vers. qui sunt autem, Nauar. in manual. cap. 12. num. 75. Clau. Regia lib. 6. cap. 11. num. 35. & 36. Azor. instit. moral. par. 1. lib. 11. cap. 18. q. 4. & cap. 19. q. 3. & 4. Less. de iust. lib. 2. cap. 40. dub. 13. num. 104. Suar. de Relig. tomo 2. tract. de voto lib. 6. cap. 21. num. 4. & 5. Sanch.* qui plures congessit *lib. 4. in Decalog. cap. 40. num. 6.* qui de hac materia in pluribus numeris sequentibus plenè discurrit, *Bonac. in Decalog. disp. 4. q. 2. punct. 7. §. 4. nu. 11.* D. *Barbos. de offic. & potest. Episc. par. 2. alleg. 37. nu. 1. Francisc. Leo in thesaur. fori Eccles. par. 2. cap. 8. num. 51.*

2 Secundò supponendum est, quamuis in prædictis votis nemo præter Romanum Pontificem dispensare possit, tamen hanc facultatem aliquandò Episcopis conuenire, quod dupliciter contingere potest, primò modo quandò seruatur perfecta materia, & obligatio voti reseruati, sed ratione circumstantiæ concurrentis tunc est licitum: vt si est votum perfectum Religionis, aut perfectæ castitatis; sed interuenit simul impotentia moralis, vel graue impedimentum adeundi Pontificem. Secundò modo, quandò materia promissa deficit à natura materiæ reseruatæ; vt si non promittatur castitas perpetua, sed ad tempus, putà ad annum, vel promittatur pars castitatis, vt non committendi adulterium, vel aliud certum libidinis genus.

3 Ad explicandum autem quandò seruata perfecta voti reseruati materia, possint Episcopi ratione alicuius circumstantiæ concurrentis in illo dispensare, plures Regulæ à Doctoribus tradi solent, de quibus videndi sunt *Suar. d. lib. 6. cap. 26.* & latè *Sanch. dicto cap. 40. à num. 26. vsque ad 41.* exclusiuè. Pro enodanda verò alia difficultate; nempè quandò nam Episcopi in votis reseruatis absolutis dispensare possint, & quia materia promissa deficit à natura materiæ reseruatæ, ea regula assignatur, vt quandò non promittitur tota materia reseruata, sed eius pars, aut votum non obligat præcisè ad materiam reseruatam, aut dispensatio non est circa materiam reseruatam directè, sed circa aliquam circumstantiam ei adiunctam, semper integrum sit Episcopo dispensationem concedere; & ratio est, quia cum hæc reseruatio sit odiosa, ad hoc vt habeat locum, concurrere debent omnia ad eam requisita, vt dispensatio sit in ipsa voti reseruati substantia.

4 His ità explicatis pro solutione quæsiti, dicimus Benedictinos, ac Mendicantes, & alios eorum priuilegia participantes posse vigore priuilegij à Martino V. eisdem Benedictinis concessi (quod supra retulimus) dispensare in omnibus votis Summo Pontifici reseruatis, quoties in eis Episcopi dispensare possunt ratione alicuius circumstantiæ occurrentis, quæ faciat illa à veri voti reseruati ratione, & materia deficere. Ratio est, quia in eo indulto generaliter concessa est facultas Religiosis ad dispensandum in votis Episcopo reseruatis, idest in quibus iure Ordinario Episcopi dispensare possunt. At in his casibus Episcopi habent potestatem dispensandi iure Ordinario, cum reseruatio in illis non intelligatur. Ergò idem poterunt Religiosi. Neque obstat, quod concessa gene-

generali facultate dispensandi in omnibus votis non censetur concessa facultas dispensandi in reseruatis, nisi exprimatur; quia in generali concessione non veniunt ea, quæ quis verisimiliter in specie concessurus non esset *reg. in generali 81. de reg. iur. in 6.* sed in prædictis Regularium priuilegijs non exprimuntur; ergò non censentur concessa. Nō obstat, inquam, quia respondetur verum esse, quod in generali facultate dispensandi in votis non comprehendatur facultas dispensandi in his votis reseruatis, sed vt concessa censeantur specialis mentio de ijs facienda est. At in prædictis casibus eorum dispensatio reseruata non censetur; ergò speciali mētione non indigebunt; sed comprehendentur in concessione generali, & indefinita. Sic docent *Suarez tom. 2. de Relig. tract. de voto, lib. 6. cap. 26. num. 17. in fine, Sanch.* luculenter *in Decalog. lib. 4. cap. 43. nu. 7.* Limita vt non possint Religiosi dispensare in prædictis votis reseruatis, quandò seruata vera voti reseruati materia, & dispensatione in illa eadē, solum ratione necessitatis Episcopo dispensandi facultas esset; quia in his casibus vota illa sunt verè reseruata, & dispensatio verè cadit in materiam reseruatam; ideo casus illi non censentur Episcopales, & Ordinarij Episcoporum iuri commissi, sed per accidens Episcopus in illis ex quadam benigna volūtatis reseruātis interpretatione Doctorum dispensare potest. Atque ità docent *Henriq. lib. 6. de pœnit. cap. 14. num. 7. & in comment. lit. P. Roderic. in expositione Bullæ Cruciatæ §. 9. num. 118. & tomo 1. quæst. Regul. q. 41. art. 9. & q. 63. art. 6. Suar. d. cap. 26. num. 18. & 19. Sanch. d. cap. 43. d. num. 7. & de matrimon. lib. 2. disp. 40. num. 9. & lib. 8. disp. 40. num. 7. & lib. 8. disp. 15. num. 10. Bonacin. in Decalog. disp. 4. q. 2. punct. 7. §. 4. num. 16.*

Ex dictis colligitur posse Regulares approbatos ad secularium Confessiones audiendas virtute prædicti priuilegij dispensare in voto disiunctiuè emisso cuius altera pars tantùm est reseruata, vt si quis v.g. emittat votum castitatis, ieiunij, vel Religionis, vel voueat sacros Ordines assumere (nam votum hoc posterius sicut, & votum ieiunij, non sunt reseruata) quando res adhuc est integra, quia scilicet, vouens non dum elegit partem reseruatā, vt præcisè teneantur ad illam. Quià cum in alternatiuis electio spectet ad debitorem, satisfaciatq; quamcumque distinctionis partem præstando, *reg. in alternatiuis, de regulis iuris in 6.* cum igitur sit in potestate vouentis, qui est debitor, eligere partem non reseruatam, votum huiusmodi reseruatum dici non debet; nam versamur in odiosis, quæ non amplianda, sed restringenda sunt. Ità docent *Sanch. lib. 8. de matrim. disp. 7. num. 14. & d. cap. 40. num. 42. Azor. tom. 1. instit. mor. lib. 11. cap. 19. quæst. 10. Leonard. Less. lib. 2. de iust. cap. 40. dub. 13. num. 106. vers. octauus est, Clau. Reg. lib. 6. cap. 11. num. 62. Suar. tom. 1. de Relig. tract. de voto lib. 6. cap. 24. num. 1. & 2. Reginald. lib. 18. prax. for. pœn. nu. 338. Bonacin. in Decalog. disp. 4. quæst. 2. punct. 7. §. 4. sub num. 18. vers. octauo quandò.*

Si tamen vouens nullo modo velit sacros Ordines assumere, nec ieiunium seruare, sed fecerit electionem alterius materiæ, quæ reseruata est, Regulares Confessarij tunc nullam dispensandi facultatem habent; quia est quasi noua voti reseruati emissio, & vbi vouens semel elegit partem illam reseruatam, & propositum in animo illam adimplere non potest amplius resilire, sed manet voto adstrictus ad illam; quod enim semel placuit, amplius displicere non potest, *reg. quod semel, de reg. iur. in 6.* Ità quoad Episcopum docent *Azor. d. q. 10. Clau. Reg. d. nu. 62. Suar. d. cap. 24. num. 3. Bonacin. d. num. 18. vers. dixi modò, Sanch. d. disp. 9. num. 13. in fine, & d. lib. 4. in Decalog. cap. 40. num. 43. vbi num. seq. cum Suar. cit. cap. 24. num. 4. & 5.* addit, quod si votum non obliget præcisè ad materiam reseruatam ex vouentis electione, sed quia moraliter impossibile est reddere partem disiunctionis non reseruatam, posse tunc Episcopum dispensare, & perconsequens poterunt etiam Regulares Confessarij.

6 Secundò colligo posse Regulares Confessarios dispensare in voto castitatis non perpetuo, sed temporali, verbi gratia ad duos, quinque, vel decem annos, vel aliud tempus emisso. Nam votum, quod reseruatur est simpliciter votum castitatis; at votum simpliciter castitatis est perpetuum; quod docent *Nauar. in man. cap. 12. nu. 76. Henriq. lib. 7. de Indulgent. cap. 30. nu. 6. Valent. tom. 4. disp. 6. q. 6. punct. 7. col. 10. vers. ex quo sequitur, Clauis Regia d. lib. 6. cap. 11. num. 48. Azor. d. cap. 19. q. 6. Less. d. dub. 13. num. 105. Suarez d. lib. 6. de voto cap. 22. num. 9.* & alij plures, quos refert, & sequitur *Sanch. d. lib. 8. de matrim. disp. 9. nu. 6. & in Decalog. lib. 4. cap. 40. num. 48. Reginald. d. lib. 18. num. 331. Bonacin. d. num. 18. vers. septimò.*

7 Si tamen votum huiusmodi ad cētum annos emissum sit, censetur perpetuum; quia vita hominis non præsumitur vltra centum annorum spatium duratura, vt pluribus probat *Menoch. de præsumpt. lib. 6. præsump. 49. à nu. 1. Couar. variar. resolut. lib. 2. cap. 7. nu. 6. vers. tertio, Gutier. lib. 2. pract. quæst. q. 7. n. 5. Sanch. de matrim. lib. 2. disp. 36. n. 1. vers. fca hæc ratio.* Ergo votum censebitur reseruatum. Ità *Less. d. num. 105. vers. secundo, Sanch. d. cap. 40. lib. 4. in Decalog. num. 49. Reginald. num. 334. & Bonacin. dicto vers. septimo.*

8 Tertiò colligo, posse Regulares Confessarios in voto castitatis coniugalis seruandæ dispensare. Quia illud non est simpliciter votum castitatis, nam emittens tale votum potest matrimonium contrahere. Ità *Henriq. d. cap. 30. num. 6. Sanch. d. disp. 9. nu. 7. &*
9 *d. cap. 40. lib. 4. in Decalog. nu. 50.* vbi declarat hoc esse intelligendum, nisi votum auctoritate Pontificia annexum sit statui Religioso, vt est hodie status Equitum Ordinum Militarium, præter Equites Ordinis D. Ioannis Hierosolymitani, qui perfectam castitatem promittunt.

10 Quartò colligò, integrum esse Regularibus Confessarijs dispensare in voto, quo alter siue etiam vterque coniugum, absque alterius licencia, vel etiam cum illa, ad debitum non petendum se adstrinxit, & quandò vterque coniugum communi consensu promisit se non petiturum, nec redditurum. Quia in his casibus non promittitur omnimoda castitas, sed tantum pars. Nam eo matrimonio soluto, liberum est vtriq; ad secundas nuptias transire, nec adulterando peccant contra votum. Ità *Azor. d. cap. 19. q. 6. Less. d. num. 105. vers. tertio,* & alij plures relati à *Sanch. d. disp. 9. nu. 8.* qui idem tenet *d. cap. 40. nu. 51.*

Quandò

Quando autem votum coniugum fit absolutæ, & omnimodæ castitatis, docet plenè idem *Sanch.d.lib.8.de matrimon.disput. 11.per tot. & d.cap.40. à num. 52. vsque ad 65.* exclusiuè.

11 Quintò colligitur, posse Regulares Confessarios dispensare in voto non reseruato, in quod Summus Pontifex votum sibi reseruatum commutauit: Non enim dicuntur dispensare in voto reseruato, cum noua materia, in quam prius votum commutatum est, sit nouum votum per se non reseruatum; nam obligatio voti circa materiam reseruatam iam est ablata, sicut peccatum, quod affectum est excommunicatione Summo Pontifici reseruata, desinit esse reseruatum, excommunicatione semota. Sic docent *Henriq.lib.7.cap.3 num.5.vers.quarto, Clauis Regia lib.6.cap.12.num.23. Less. d. dub.13. num. 105. vers. septimo, Suar.lib.6. cap.20. num.15. Sanch. d.disp. 9. num.20.& d.cap.40 num.46. Reginald.lib.18.nu.332. Bonacin.d.§.4.num.18. vers. sexto.*

Nec obstat, quod actio, & res in alterius locum subrogata sortiatur, ac sapiat vim, & naturam eius, in cuius locū suffecta est, *l.vnic.C.de rei vxor.action. Panor.& cæteri Doct.in cap.Ecclesia il 2.vt lite pend. nihil innou.* Sed materia, in quam Summus Pontifex votum sibi reseruatum commutat, substituitur in locum ipsius voti reseruati; ergò etiam subrogatum debet esse reseruatum. Non obstat, in quam, quia respondetur, quod subrogatum debet sapere naturam illius, in cuius locum substituitur, quantum ad id, quod intrinsecè pertinet ad subrogationem, non autem quoad extrinsecas qualitates, quæ à lege, vel voluntate extrinseca proueniunt; vt eum pluribus docet *Suar.eodem cap.20 nu.16.* Ideo in casu nostro materia subrogata debet necessariò esse aliquid spectans ad diuinum cultum, & cadens sub Religionis obligationem, quæ sunt intrinseca subrogationi voti, non autem sicut prior est reseruata, sic etiam debet esse posterior; quia hoc est subrogationi extrinsecum pendens à voluntate reseruantis. Ità *Suar. Sanch. & Bonac. locis cit.*

12 Sextò deducitur, posse Regulares Confessarios dispensare in voto Virginitatis seruandæ, quandò expressè vouens nil aliud intendit quàm se obligare præcisè ad corporis integritatem seruandam, consistentem in abstinentia à primo luxuriæ actu, per quem Virginitas deperditur; quia quādò hæc expressa intentio reperitur, votum non censetur absolutæ castitatis, secus autem vbi talis intentio expressa non adest, vt docent *Nauar.in man.cap.12.num.43. vers.14.Valent.tomo 4.disp.6.q.6.de voto, punct.4.no. tab.2.Azor.instit.moral.par.1.lib.11.cap.19 q.14.* & plures alij, quos citat, & sequitur *Sanch. lib.9. de matrimon.disp.33. num.7.* Et quod Episcopus possit super huiusmodi voto dispensare, docent *Azor. d. cap. 19. q.14. Less.d. dub.13.num. 105. vers. octauo, Clauis Regia d.lib.6.cap.11.à num.55.Sanch.d disput. 9.num.9. & d.cap.40.num.65.* Verum in dubio de intentione, censendum est tale votum obligare ad perpetuam continentiam, ac esse simpliciter castitatis, quia votum de sui natura ad id obligat, nisi adsit expressa intentio vouentis in contrarium; vndè ipsum ad hoc habere vim obligādi, dum de opposita vouentis intentione non constat. Ità *Lopez 1.par. Instruct. cap.35. §.2.Sotus,Sanch.d.lib.9.disp.33. num.7. circa med.vers. & in dubio, Less. loco.cit. in fine.*

13 Septimò deducitur, posse Regulares Confessarios dispensare in voto emisso de materia reseruata, si vouens, emittendo votum, habuit intentionem se solum obligandi sub veniali, vel sub nulla obligatione; quia tale votum non censetur perfectum; vota autem reseruata sunt vota perfecta. Ità *Sanch. d. cap. 40. nu. 47.Bonacin.d.§.4. num.20.*

14 Octauò colligitur, posse Regulares Confessarios dispensare in voto de numquam contrahendo matrimonio: quia multum differt à voto castitatis, quod est reseruatum, nam per fornicationem non violatur. Ità *Nauar.in man.cap.12.num.76. vers. quanto diximus*, vbi testatur ità seruari in sacro Pœnitentiariæ prætorio, *Henriq. lib.7.de Indulgent. cap.30.num.6. Valent.tomo.4.disp.6.q.6.punct.7. col.10. vers. ex quo sequitur, Azor. instit.moral.par.1.lib.11.cap.19. q.5. Less.lib.2.cap 40.dub.13.nu.105. vers. quarto, Clauis Reg.lib.6.cap.11.num.47.Suarez de Relig. tom.2.tract. de voto lib.6.cap.21.num.9.Sanch.* pluribus relatis *lib.8.de matrimon. disput. 9. num. 11. & in Decalog. lib.4.cap.40.num. 66.* qui vtrobique hoc limitat.

15 vt procedat quando esset merum votum, aut merum iuramentum factum Deo; nam si in fauorem tertij id petentis, cuius interest, emissum sit, non licebit Episcopo, nec per consequens Regularibus Confessarijs dispensare. Vt si coniux ab altero coniuge petat, vt iuramento, vel voto se illi obliget ad non contrahendum aliud matrimonium; quod si ille, cui promissio facta est, remittat ius sibi acquisitum, integrum erit Episcopo, ac etiam consequenter Regularibus Confessarijs dispensare, quia id solum obstabat.

16 Nonò, quod possunt Regulares Confessarij dispensare in voto non fornicandi, aut abstinendi à certo actu venereo, & in voto non tangendæ mulieris. Quia nullum horum est perfectæ castitatis votum. Vt docent *Less. d num. 105. vers. tertio, Nauar d.cap.12. num.61.& lib.3.consil.tit.de voto, in prima edit. consil. 22.num.vnic.& in 2. consil 42.nu.vnic. Graff.1.part. decis.aur. lib.2. cap. 31. num. 30. & 31. Sanch. d.cap. 40. num. 67.*

17 Decimò, quod Regulares Confessarij dispensare possunt in voto castitatis, quando ex aliquo metu, licet leui, emissum esset; quia reseruatio votorum, cum sit odiosa, non videtur amplianda ad vota per metum emissa. Ità *Nauar.cap.12.num. 69. Less. d. dub.13. num.106. vers. tertius, Reginald. lib. 18. num. 338. Bonacin. in Decalog. disp. 4.q.2. punct.7.§.4. nu.17.* contra *Suarez d.lib.6.cap.26.num.4.*

18 Vndecimò, dispensare possunt Regulares Confessarij in voto castitatis, quando dubitatur, an sit validum, vel an sit reseruatum; quod est verum. Licet dubium non sufficiat ad excusandum vouētem à voti obligatione, nam quandò excusat, nulla indiget dispensatione. Ratio est, quia casus reseruati non sunt dubij, & in dubijs benignior pars accipienda est. Ità *Suarez d. cap.26. num. 6. Sanchez d. cap.40. nu. 26. & 80. Bonacin.d.§. 4. num. 17. vers. tertio quando.*

19 Duodecimò, possunt Regulares Confessarij dispensare in voto sacros Ordines assumendi. Quia hoc non est votum castitatis, nam vouens sacris initiari non tenetur ad castitatem seruandam, antequam sacrum Ordinem

Ordinem assumat, etsi eum ante prædictum tempus non obseruat, non peccat contra votum; sed est tantum votum assumendi status, in quo castitas obseruatur. Ità *Henriq. lib. 7. cap. 30. num. 6. Valent. tomo 4. disp. 6. q. 6. punct. 7. col. 3. vers. & quod ad primum, Azor. d. cap. 19. q. 7. Clauis Regia lib. 6. cap. 11. nu. 60. Less. d. dub. 13. nu. 105. vers. quintò, Suar. d. cap. 21. n. 7. & cap. 24. num. 2. Sanch. d. d. so. 9. num. 13.* vbi alios citat, & *d. cap. 40. num. 69. Reginald & Bonacin loc. cit.*

20 Imò dispensare etiam possunt in expresso promittendæ castitatis voto; quia hoc non est votum castitatis, sed illius promittendæ, & propterea ità vouens per fornicationem ante promissam castitatem non veniret contra votum. Ità *Suar. d. cap. 21. num. 7. Sanch. d. cap. 40. num. 70.*

21 Decimotertiò possunt Regulares Confessarij dispensare, quando diuersis votis, varia ad castitatem pertinentia promissa sunt, adeo vt ex omnibus illis vnitis consurgat obligatio ad perfectam castitatem, vt si quis semel voueat non contrahere matrimonium, & iterum non fornicari, & iterum nullum peccatum luxuriæ admittere. Nam in horum quolibet Regulares Confessarij dispensare possunt, quia nullum est perfectæ castitatis, ergò possunt in omnibus simul. Ità *Sanch. d. cap. 40. num. 68.* Qui hoc limitat, nisi ita vouens vltimum votum, quo castitas perfectè promittitur, consultò emittat, vt perfecta castitate adstrictus maneat.

22 Decimoquartò, possunt Regulares Confessarij dispensare in voto Religionis non approbatæ. Quia Religio non approbata non est verè Religio, *Less. de iust. lib. 2. cap. 41. dub. 1. num. 10.* & alij, & consequeuter votum illud non est Religionis. Ità *Less. d. dub. 13. num. 105. vers. primò, Sanch. d. cap. 40. num. 71. Reginald. lib. 18. num. 331. Bonacin. dicto §. 4. num. 21. vers. secundò.*

23 Decimoquintò dispensare possunt in voto paupertatis, vel obedientiæ in seculo, vel in Religione non approbata emisso; quia non sunt verè voto Religionis, neque statui Religioso annexa. Ità *Less* vbi proximè, *Suar. cap. 20. num. 8. & 9.* & alij apud *Sanch. loco cit. num. 72.*

24 Decimosextò colligitur posse Regulares Confessarios dispensare in voto ingrediēdi Religiones Equitum Ordinum Militiarum, excepta tamen Religione Equitum Melitensium, seu S. Ioannis Hierosolymitani, quia hæc est vera Religio, in qua tria solemnia vota promittuntur. At cæteri Ordines controuertitur, an sint verè Religiones, sufficit autem id esse sub opinione, adhoc vt possit Episcopus, & inde Regulares Confessarij dispensare, vt superiùs dictum est. Et ità docet *Sanch. d. disp. 9. nu. 16. & d. cap. 40. n. 73.*

25 Decimoseptimò colligo licitum esse Regularibus Confessarijs commutare votum strictioris Religionis in votum laxioris; nam hęc non dicitur propriè dispensatio in voto Religionis, quod est reseruatum, sed in quadam eius circumstantia, quia illa dicitur dispensatio, qua voti obligatio tollitur, at hic non tollitur voti obligatio. Ità *Henriq. lib. 7. de Indulg. cap. 22. num. 7. Azor. tom. 1. instit. moral. lib. 11. cap. 18. q. 8. Less. d. dub. 13. nu. 105. vers. sextò, Clauis Regia lib. 6. cap. 11. num. 63. Sanch.* alijs relatis *d. disput. 9. num. 18. & d. cap. 40. num. 74. Reginald. lib. 18. num. 331. & 335. Bonacina d. §. 4. num. 21. vers. tertio.*

26 Decimooctauò colligitur posse Regulares Confessarios dispensare in qualitate votis peregrinationum annexa; vt eundi pedibus ad limina Apostolorum, vel peregrinandi ad S. Iacobum Compostellanum, panem ostiatim quærendo, possunt Regulares Confessarij dispensare, vt qui ità vouit equester peregrinetur, iis etiam concessis, quæ ad vitæ sustentationem necessaria sunt. Quia non dispensant super substantiam voti, sed super circumstantiam. Ità *Less. d. num. 105. Sanch. d. cap. 40. num. 78. Reginald. num. 332. Bonacina d. §. 4. num. 21.*

27 Decimonouò deducitur posse Regulares Confessarios dispensare in voto Religionis emisso ad duos, vel tres annos, vel aliud tempus tantùm, non autem perpetuo; nam hoc non videtur perfectum votum Religionis, quæ perpetuam obligationem indueit. Nequibunt tamen dispensare in voto facto cum intentione ingrediendi Religionem, & probandi, vtrùm sibi placeat, nam hoc dicitur propriè votum Religionis votum. Ita *Reginald. d. lib. 18. num. 333. Bonacin. d. §. 4. num. 21. vers. quartò.*

28 Vigesimò colligitur posse Regulares Confessarios dispensare in voto, quo quis non solum promittit se ingressurum, verum etiam perseueraturum, & professurum in Religione; Nam super huiusmodi voto posse Episcopum dispensare defendit *Sanch. d. cap. 40. num. 75.* licet contrarium teneat *Bonacin. d. num. 21. vers. quintò, circa med.* Quia etsi nequeat Episcopus dispensare circa ingressum, potest tamen dispensare circa perseuerantiam in Religione, & sic vt possit ità vouens tempore Nouitiatus, si postquam Religionis austeritates probauerit, iusta causa ductus illam deserat. Quia sub opinione est, an ità vouens teneatur præcisè ad perseuerandum, an potius egredi posit ex iusta causa tempore Nouitiatus, sicut quandò est votum absolutè Religionis; nec desunt grauissimi Doctores, qui vtramque partem sustineaut, quos refert *Sanch. d. lib. 4. in Decalog. cap. 16. num. 80. & 81.* Satis est autem, vt superius diximus, id esse in controuersia, ad hoc vt Episcopus, & exindè Regulares Cōfessarij dispensare licitè valeāt.

29 Vigesimoprimò colligitur posse Regulares Confessarios dispensare in differenda executione voti Religionis, vel aliorum reseruatorum. Quia hoc non est dispensare in substantia voti reseruati, nam non tollitur, vel tollitur eius obligatio, sed est dispensare in quadam eius qualitate, & circumstantia temporis; licet enim multum attingatur substantia voti reseruati, nihilominùs tamen non dispensatur in illo, sed substantia suæ obligationis illæsa manet, quod sufficit, ne habeat locum reseruatio, quæ odiosa est, & restringenda. Ità *Sanch. d. cap. 40. num. 76. Bonacin. d. §. 4. num. 21. vers. sexto*, contra *Suarez lib. 6. cap. 26. num. 11.*

30 Quod limitant dummodò voti executio adeo non differatur, vt sit periculum, quod vouens in eum statum incidat, vt reddatur impotens ad votum persoluendum. Vt si opus esset dilatione temporis valdè incerti, & quod moraliter potest esse diuturnum, vt pro tempore vitæ parentum, aut simile; tunc enim concessio dilationis æquipolleret dispensationi circa substantiam, & finis voti nimium defraudaretur: quandò

quandò autem tale periculum moraliter vacat, licitum est Episcopo, & consequenter Regularibus Confessarijs dispensare, non semel tantùm, sed iterum, atq; iterum iusta dispensandi causa interueniente. Itâ *Sanch. & Bonacin.* vbi proximè.

31 Vigesimosecundò possunt Regulares Confessarij dispensare in tribus votis peregrinationis reseruatis; quandò expressus vouentis finis extitit, non visitandi ea loca, sed ad aliud. Vt si quis v.g. voueat accedere Romam ad deosculandos pedes Pôtificis, eumq; recognoscendum, vel impetrandam ab eo alicuius peccati absolutionem. Quia huiusmodi votum est solum per accidens, & materialiter Romanæ peregrinationis; ideò adimpleri posset accedendo ad alium locum, vbi Summus Pontifex adesset: & itâ dicendum est de reliquis duabus peregrinationibus reseruatis. Itâ *Sanch. d. cap. 40. num. 77.* Hoc tamen intelligendum est, quandò finis vouentis fuit expresè diuersus, nam quandò ea vota absolutè, nullo fine considerato, emittuntur, sunt reseruata; censentur enim emissa modo frequenti, quo emitti solent. Itâ *Sanch. loco citato*.

32 Vigesimotertiò colligitur posse Regulares Confessarios dispensare in voto non petendæ dispensationis, ab alio, quàm à Summo Pontifice; quia priuata vouentis intentio nequit Superioris potestatem coarctare, ac illum sua potestate priuare. Itâ *Azor. instit. moral. part. 1. lib. 11. cap. 19. q. 15. Clauis Regia lib. 6. cap. 11. num. 67. Suar. lib. 6. de voto cap. 21. nu. 15. Sanch. d. lib. 4. cap 40. num. 13. & 79. Reginald. lib. 18. num. 333. Bonacin d. §. 4. num. 19.*

33 Vigesimoquartò colligitur posse Regulares Confessarios dispensare in voto reseruato, quando est iure conditionale sub conditione de futuro, & hoc antè impletam conditionem, non tamen post; Itâ Doctores statim citandi.

Oportet autem, quod votum sit verè conditionale; quia si esset conditionale tantum apparenter, nullus prçter Summum Pontificem in eo dispensare posset; nam huiusmodi votum est verè absolutum. Itâ *Suar. d. lib. 6. cap. 12. num. 6. Sanch. d. cap. 40. num. 82. & 93. Bonacina d. §. 4. num. 17. vers. dixi quandò.*

34 Porrò votum tunc est verè conditionale, quandò particula, Si, apponitur ad suspendendum consensum perfectum vsque conditionis euentum, vt si Deus me ab hoc peccato præseruauerit, vel si pater consenserit, promitto Religionem: tunc verò est apparenter conditionale, quandò particula, Si, non apponitur ad suspendendum consensum vsque ad conditionis euentum, sed apponitur ad determinandum tempus persoluendi votum, vt si pater obierit, promitto Religionem. Sensus enim est, voueo ingredi Religionem, quando pater obierit. In dubio autem votum per particulam, Si, emissum, conditionale non autem absolutum censendum est; quia fortissima præsumptio desumitur ex communiter accidentibus. Itâ *Bonacina loco proximè citato, & Sanch. num. 83.*

35 Præterea necessarium est, votum factum fuisse sub conditione de futuro, quia in voto reseruato emisso sub conditione de præsenti, aut de preterito, solus Summus Pontifex dispensat; huiusmodi enim conditio non suspendit consensum, nec efficit votum conditionale, *l. cum ad præsens, ff. si cert. pet.* Itâ *Suar. lib. 6. cap. 23. num. 91. Sanch. d. cap. 23. num. 88. & 96. Bonacin. loco cit. vers. dixi factum*; Idipsum procedit
36 de voto facto sub conditione necessaria, vt promitto Religionem, si Sol cras oriatur, quia cum ea conditio sit necessariò euentura, habetur pro adimpleta, & ideò votum est perindè absolutum, ac si conditio esset de prçterito, aut de præsenti.

Idem etiam procedit, quandò votum reseruatum emissum fuit sub conditione tacita; quia huiusmodi conditio non suspendit actum, vt docet *Sanch. d. cap. 40. num. 94.* qui idem dicendum putat, de conditione, quæ tacitè inest, sed explicatur eo modo, quo inest.

37 Oportet etiam, adhoc vt Regulares Confessarij super voto reseruato conditionali dispensare possint, quòd conditio non dum sit adimpleta; quia adimpleta conditione, votum censetur absolutum, & non minus obligat, quàm si absque vlla conditione emissum fuisset. Itâ *Less. de iust. lib. 2. cap. 40. dub 13. num. 106. vers. septimò, Clauis Regia lib. 6. cap. 11. num. 77. Suar. d. lib. 6. cap. 22. num. 3. Reginald. lib. 18. nu. 336. Bonacin. d. num. 17. vers. dixi modo*, & alij, quos refert, licet non sequatur *Sanch. de matrim. lib. 8. disp. 10. num. 12.* contra eumdem *Sanch. ead. disp. 10. num. 13. & d. cap. 40. num. 99.*

38 Dubium est autem, quid dicendum sit quandò votum conditionale est pœnale. In qua re certum est, quando conditio est de præterito, aut de præsenti, vt voueo Religionem, vel castitatem, &c. in pœnam peccati, quod heri commisi, vel nunc propono me admissurum, si fuit, vel est mortale, eo casu nequire Episcopum, nec consequenter Regulares Confessarios dispensare, vt de voto conditionali tantùm superius dictum est, eadem enim ratio militat. Itâ *Suar. d. cap. 23. num. 9. & Sanch. d. num. 88.*

39 Si autem conditio erit de futuro, vt si lusero promitto Religionem, vel promitto me non lusurum, vel tale peccatum non admissurum sub pœna Religionis, vel castitatis, aut peregrinationis reseruatæ; dicendum est, posse Regulares Confessarios in huiusmodi voto dispensare, non solum antequam adimpletur conditio, verum etiam illa adimpleta; Quia cum hæc reseruatio sit odiosa, ac ideò nimis restringenda (vt docent communiter Doctores, de hac materia loquentes) vota hæc tunc reseruata censeri debent, quando sunt simpliciter rei reseruatæ; vt Religionis, Castitatis, &c. At vota pœnalia non sunt huiusmodi. Nam cum votum sit actum Religionis, quo quis rem sibi gratam, & acceptam offert Deo in eius cultum, id simpliciter, & absolutè censebitur tale, quod fit ex directa volitione, & ex affectu boni, quod promittitur. Vota verò conditionalia pœnalia non emittuntur ex affectu boni, quod promittitur, sed potius pœnam illam sibi proponit voluntas tanquam odiosam, & non vult eam, imò potius propositum habet cauendæ eius obligationis. Atque quod Episcopus possit in huiusmodi votis ante, & post impletam conditionem dispensare sustinent *Henriq. lib. 7. de Indulg. cap. 30. num. 6. Clauis Regia lib. 6. cap. 11. num. 72. Suarez lib. 6. cap. 23. num. 6. Sanch.* alijs pluribus relatis *de matrimon. lib. 8. disp. 10. num. 8. & in Decalog. lib. 4. cap. 40. num. 91. Reginald. lib. 18. num. 337. Bonacin. in Decalog. disp. 4. q. 2. punct. 7. §. 4. sub num. 17. vers. dixi modo, circa mid.*

QVAE-

Digitized by Google

QVAESITVM IX.

Vtrùm Abbates poſsint diſpenſare in votis cum ſuis ſubditis, quando priùs eſt aditus Pontifex; & an idem integrùm ſit Religioſis cum ſęcularibus virtute ſuorum priuilegiorum.

SVMMARIVM.

1 *Diſpenſare poſſunt Abbbates, & Prælati inferiores habentes iuriſdictionem Epiſcopalem in voto, in quo antea diſpenſare poterant, ſed prius eſt aditus Pontifex, & diſpenſationem conceſſit.*

2 *Papa an, & quando in eo caſu diſpenſationem denegauit, vel conſtat ipſum eam denegare conſueuiſſe, poſſint tunc dicti Prælati diſpenſare.*

3 *Confeſſarij Regulares virtute ſuorum priuilegiorum an, & quando poſſint diſpenſare vbi Papa diſpenſationem denegauit, vel denegare conſueuit.*

1 Dico primò. Qui emiſit aliquando votum, ſuper quo iure ordinario Prælatus Pontifice inferior diſpenſare poterat, licet adierit ſummum Pontificem, & ab eo obtinuerit commiſſionem directam Ordinario, vel Confeſſori, vt diſpenſet, poteſt nihilominus ei renunciare, & eumdem ſuum Prælatum, vt poteſtate ſua ordinaria diſpenſet adire. Quia illa commiſſio eſt ob vouentis gratiam, & fauorem conceſſa; ergò non debet in eius damnum retorqueri; ex vulgata regula, *quod ob gratiam. de regul. iur. in 6.* tum quia liberum eſt vnicuique fauori ſuo cedere, *cap. ad Apoſtolicam, de regular. c. ſi de terra, de priuileg.* tum etiam, quia adire Principem ad rem aliquam petendam, nullum præuentionis effectum operatur, ne liceat deinde idem ab inferiori petere. *l. 1. & tot. tit. C. quando libell.* Atque ita vniuerſaliter etiam in reſcriptis iuſtitiæ docet *Nauar. lib. 1. conſil. in 2. edit. tit. de offic. delegat. conſ. 1. num. 2.* & in terminis de Epiſcopo tradit *Sanchez de matrimon. lib 8. diſput. 14. n. 3.* quod idem dicendum eſt de reliquis Prælatis inferioribus iuriſdictionem Epiſcopalem, ſeù quaſi obtinentibus; nam ipſi regulariter poſſunt omnia cum ſuis ſubditis, quæ poſſunt Epiſcopi cum ſuis circa hanc materiam, vt pluries ſupradictum eſt.

2 Dico ſecundo. Si Papa de caſu illo conſultus diſpēſare negauit iudicans cauſam legitimam non adeſſe, non a alia cauſa nō emergenti, non poſſent hi Prælati diſpenſare. Quia eo ipſo, quòd Pontifex diſpenſationem denegauit, videtur inferioribus cum illo ſingulari diſpenſandi facultatem adimere: niſi noua alia cauſa ſuperueniat; ſi vero huic ſingulari non denegaſſet; at conſtaret conſueuiſſe ſummum Pontificem alijs ob eas cauſas diſpenſationem denegare; reputando eas non eſſe iuſtas, tunc Prælatum integrū eſſet cum illo, cui denegata non eſt, diſpenſare, iudicando eas eſſe cauſas iuſtas. Quia cum iure ordinario diſpenſare poſſit, non compellitur ad diſpenſandum ex ijs tantum cauſis, quibus interuenientibus Pontifici diſpenſare libet. Neque ex eo quia Papa alijs ex ea cauſa diſpenſationem concedere renuit, ligatur ordinaria Prælati poteſtas, ne valeat diſpenſare cum hoc, cui Pontifex non denegauit. Ita *Sanch. d. diſput. 14 nu. 5.*

3 Dico tertio. Qui obtinuit à ſede Apoſtolica diſpenſationem voti, ſuper quo Religioſi virtute ſuorum priuilegiorum diſpenſare poterant, vt in voto pœnali Caſtitatis, vel non nubendi, vel Religionis, (de qua re egimus in antecedenti quæſito) poteſt, non obſtante commiſſione Ordinario, vel Confeſſori à ſummo Pōtifice facta, confugere ad Confeſſarium Religioſum, & ab eo commutationem, vel diſpenſationem obtinere, ſicut ſuperius dictum eſt poſſe eum ad Prælatum proprium accedere: quia adiiſſe ſuperiorem, nullum præuentionis effectum operatur, & commiſſio facta in fauorem illius, qui eam obtinuit, non debet in eius damnum retorqueri. Neque obſtat, Ordinarium, vel Confeſſarium virtute commiſſionis iam diſpenſaſſe, quin hic poſſit habentem diſpenſandi priuilegiū adire, poteſt enim regredi ad priorem voti obligationem, omiſſa cōmutatione obtenta: quia cum commutatio fit in vouentis fauorē, & gratiam, nimirum, vt ipſius commodo conſulatur, Ratio huius fauoris petit commutationem ipſam ſub ea conditione intelligi, vt liberum ſit vouenti materiam ſubrogatam exequi, ſiue primam, in cuius locum alia materia ſubrogata fuit, vt docent *Azor. inſtit. moral. part. 1. lib. 11. cap. 18 q. 10. Sanchez d. lib. 8. diſput. 9. num. 11.* & ſic poteſt tanquam noui voti diſpenſationem, aut commutationem petere ab ipſis Confeſſarijs Regularibus habentibus priuilegium, nulla prioris diſpenſationis, aut commutationis obtentæ mentione habita. Atque ita *Sanchez d. diſput. 14. num. 7.*

DISPVTATIO XIX.

De poteſtate Abbatum, & aliorum Prælatorum inferiorum ad commutanda vota.

QVAESITVM I.

Vtrùm Abbates, & Prælati inferiores ſubditorum vota commutare poſsint.

SVMMARIVM.

1 *Diſpenſandi in votis habens ordinariam poteſtatem, habet etiam ordinariam facultatem illa commutandi.*

Digitized by Google

2 *Vota subditorum commutare possunt Abbates, & Prælati habentes diœcesim cum iurisdictione & Prælati Regulares, vt n.2.*

3 *Prælati inferiores quasi Episcopalem iurisdictionem non habentes an possint subditorum vota commutare, ostenditur.*

4 *Commutatio voti an inuito vouente fieri possit per Abbatem, ostenditur.*

1 Hoc quæsitum vnicam regulam proponendo resoluendum erit, nempe, quòd omnis, & solus habens ordinariam potestatem in votis dispensandi, habet etiam ordinariam facultatem illa commutandi; & è contra: nam vtraq. potestas est iurisdictionis spiritualis in foro externo, ergo omni, & solè hanc habēti competit; tum quia vtraque annexa est pastorali muneri, & in illius adæquata iurisdictione per modum vnius simplicis ad id munus necessariæ includitur, & ideo neutra ab alia separatur; ita *Syluester verb. votum. 4. q.3. dist. 2. Tabien. verb. Dispensatio q.9. num.11. ad finem, Tolet. lib.4. sum. cap.18. num. vlt. Suar. de relig. tom.2. lib.6. de voto, cap.12. n.4. in fine Sanch. in Decalog. lib.4. cap.49. num.18.*

2 Ex hac proposita regula quæsiti huius explicatio colligitur; Dicendum est enim, Abbates, & alios quoscumque inferiores Prælatos habentes territoriū, in quo iurisdictionē Episcopalē, seu quasi Episcopalem exerceant, posse suorum subditorum vota commutare eo modo, quo possunt Episcopi suorum, vt de dispēsandi potestate diximus in superiori disputatione.

3 Secundo. Idem dicendum est de Abbatibus, & Prælatis Regularibus respectu suorum subditorum; nam hi etiam habent iurisdictionem quasi Episcopalem ordinariam in vtroque foro, ratione sui muneris erga Religiosos subditos, sicut pluries probatum fuit, & diximus in eadem disputatione de potestate dispensandi vota.

4 Item patet, quid dicendum sit de alijs Prælatis Episcopo inferioribus, quasi Episcopalem iurisdictionem non habentibus, quos eadem *Disput. quas....* diximus in votis dispensare non posse, nisi ex speciali commissione, vel consuetudine legitimè præscripta eam potestatem acquisierit, vnde idem dicendum est in præsenti quoad commutationem, ex regula superius tradita.

5 Est autem notandum, quòd hæc commutatio votorum nequit, vouente inuito, fieri; quia per commutationem transfertur eadem voti obligatio in aliam materiam; At obligatio voti circa aliam materiam, absque vouentis voluntate contrahi nequit. *Ita Suarez de relig. tom.2. tract. de voto lib.6. cap.1. n. 12. Sanch. d. lib.4. cap.24. num.17. contra Becam in suis responsis p.2. casu 9. not.2. fol.8.*

QVAESITVM II.

Vtrùm Prælati, vel Confessarij Regulares possint sæcularium vota commutare.

S V M M A R I V M.

1 *Vota sua quilibet potest inuidenter meliùs commutare.*

2 *Voti ad commutationem inæquale an sit necessaria superioris auctoritas.*

3 *Prælati, & Confessarij Regulares ex priuilegio possunt sæcularium vota commutare.*

4 *Vota sæcularium an Abbates, & Confessores Regulares possint virtute prædictorum priuilegiorum in totum, vel in partem commutare.*

5 *Commutatio voti an necessario in Confessione sit facienda, ostenditur.*

6 *Vota intuitu obtinendæ commutationis eorum vigore facta commutare an possint Confessarij Regulares virtute suorum priuilegiorum.*

7 *Religiosi, ex vi prædictorum priuilegiorum, possunt commutare omnia vota reseruata, quando ea potest Episcopus commutare.*

8 *Commutare possunt Confessarij Regulares virtute suorum priuilegiorum non solum votum principale, sed etiam votum non petendæ illius commutationis.*

9 *Commutare iterum atque iterum possunt Prælati & Confessarij Regulares etiam secundum votum, in quod prius commutatum est.*

10 *Vota omnium vndecumque ad se venientium an licitum sit Prælatis, & Confessarijs Regularibus commutare ostenditur.*

11 *Vota iuramento firmata an possint commutari.*

1 Non loquimur de commutatione inuidenter melius; quia nulla superioris auctoritate opus est ad commutandum votum in rem manifestè meliorē, sed quilibet propria auctoritate id efficere potest; vt docet *Nauar. in man. c.12. n.75. Suar. de relig. tom.2. lib.6. de voto, cap.18. n.4. vers. nihilominus,* & alij plures *apud Sanchez in Decalog. lib.4. cap.49. n.4. & Bonacin. etiam in Decalog. disp.4. q.2. punct.7. §.3. num.3. contra Syluestr. & alios apud Sanch. eo*

2 *cap.49. n.2.* Sed sermo nobis est de commutatione, quæ fit in æquale, sine dubium sit, siue manifestè pateat rem esse æque bonam; Ad quod superioris auctoritatem requiri, probant *Azor. inst. moral. par.1. lib.11. pag.18. q.2. Clauis Regia lib 6. cap.12. n.8. Suarez d. lib.6. cap.19. à num.3. & Sanchez* pluribus relatis eo *cap.49. num.12. & 21.*

Supponendū est autem, ad hanc commutationem superioris auctoritatem esse necessariam. Quia cum votum sit promissio facta Deo de aliquo bono, quod sit Deo acceptum; At quid in aliqua promissione acceptum sit ei, cui promittitur, ex eius arbitrio pendet, declarare. Iden in commutatione votorum requiritur auctoritas Prælati, qui in persona Dei, cuius vicem in Ecclesia gerit, quid ipsi Deo acceptum sit determinet: vt docent *S.Th.22. q.8. art.12. D. Bonauent. in 4. dist.38. art.2. q.2.* & alij communiter, & colligitur *ex cap. c. de voto, & voti redempt.* vbi dicitur, commutationem voti pendere ab arbitrio superioris. Hæc autem potestas est iurisdictionis spiritualis, pertinetq. ad proprium superiorem habentē iurisdictionem in foro externo in eos, quorum vota commutanda sunt, vt probat *Sanch. d. cap.49. num.22.* Igitur Prælatis, & Confessarijs Regularibus

2 non est integrum iure ordinario, sæcularium sibi non subditorum vota commutare: quia non habent ad id

3 iurisdictionem, secus dicendum est de iure priuilegiorum

Digitized by Google

giorum à Sede Apostolica eisdem concessorum; Nam Eugenius Quartus anno Domini 1437. pridiè cal. Iulij, Pontificatus sui anno sexto *cócessit Congregationi S. Iustinæ, quòd liceat eius Prælatis, siue Monachis deputatis à suis superioribus ad audiendum personarum sæcularium confessiones accedere, illasque audire, & personæ ipsæ eis confiteri possint, absque alia superiorum suorum licentia, nec non eis pœnitentia, & satisfactione iniunctis, quoties opus fuerit illas absoluere ab omnibus, & singulis peccatis, præterquā Sedi Apostolicæ dumtaxat reseruatis, necnon à quibuscunq. excommunicationum, suspensionum, & interdictis sententijs, alijsq. Ecclesiasticis censuris, & pœnis, quas à iure, vel ab homine latas satisfactione iniuncta incurrisse, quomodolibet censebuntur. Insuper, & vota omnia permutare, ac in omnibus, & singulis casibus, etiam Ordinarijs, aut per synodales, seu prouinciales constitutiones reseruatis eum eis dispensare.* Hanc concessionem refert *Roderic. in noua Collect. bullar. pro Regular. bulla 11. Eugenij Quarti*. Huiusmodi priuilegiū cócessum à Paulo Tertio Societati Iesu, quod refert Sanchez *d. lib. 4. cap. 54. num. 3.* in hæc verba: *Conceditur facultas illis ex vobis, qui Presbyteri fuerint, quorumcunque vtriusque sexus Christi fidelium, ad vos vndecunque accedentium confessiones audiendi, & confessionibus diligenter auditis, ipsos, & eorum singulos ab omnibus, & singulis eorum peccatis, criminibus, excessibus, & delictis quantumcunque grauibus, & enormibus, etiam Sedi Apostolicæ reseruatis, & à quibusuis ex ipsis casibus resultantibus, sententijs &c. absoluendi, ac eis pro commissis pœnitentiam salutarem iniungendi; necnon vota quæcunque per eos pro tempore emissa (vltramarinis, Visitationis liminum Apostolorum Petri, & Pauli de Vrbe, ac Sancti Iacobi in Compostella, necnon Religionis, & Castitatis votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutandi;* quam facultatem cum eadem exceptione Gregorius XIII. anno 1575. extendit ad vota iurata; dummodo commutatio huiusmodi non fiat in præiudicium tertij.

Hæc autem priuilegia fauorabilia sunt, & latè interpretanda; quia licet sint priuilegia iuri communi derogantia, vndè etiam odia iuris dicuntur, & odia restringenda sunt, *reg. odia 15. de regul. iur. lib. 6.* tamen hoc habet locum quando huiusmodi facultas ad aliquorum particularium fauorem tradita esset; secus verò quando in fauorem publicum concessa est: tunc enim non odium, sed fauor, & Principis beneficium censetur, ideò latè interpretandum est, quantùm eius verba patiuntur, *ita gloss. & Panormit. in cap. fin. n. 2. de simon.* quod multo magis procedit, quando huiusmodi facultas nō particulari alicui, sed integro Ordini elargita est, vt in præsenti, quo casu etiam fauorabilis censetur, & extendenda. Ita *Less. de iust. lib. 2. cap. 42. dub. 12. n. 60. Sanch. d. c. 54. nu. 6.*

Est autem circa dicta priuilegia notandum primo, quòd illorum virtute non licebit in totum, vel in parte dispensare, licet ex alio priuilegio hæc facultas traditur, vt supra diximus.

Notandum secundo non esse necessariā confessionē ad vota eorumdem priuilegiorū vigore, commutanda, sed id posse extra confessionem fieri: vt pluribus probant *Enriq. lib. 7. de Indulgent. cap. 30. num. 6. Sanch. d. cap. 54. num. 16. & in tract. de matrimon. lib. 8. disp. 16. n. vlt. Bonacin. in Decalog. disp. 4. q. 2. punct. 7. §. 3. n. 16.*

Notandum tertio, virtute horum priuilegiorum Religiosos commutare etiam posse vota facta intuitu obtinendæ commutationis virtute illorum, quia in eis nulla huius rei limitatio apposita est, nec aliqua ratio ad ea ita limitanda suadet idem *Sanch. d. c. 54. num. 18. Bonacina d. punct. 7. §. 2. sub num. 12. vers. & hoc valet.*

Notandum quarto, Religiosos virtute horum priuilegiorum commutare posse omnia vota; etiam Summo Pontifici reseruata, quando in illis potest Episcopus dispensare, ex eo, quia à vera votorum reseruatorum ratione deficiant, aut quia non est dispēsatio in substantia voti reseruati, sed in aliqua eius circumstantia; quia Summus Pontifex ea commutandi potestatem denegare intendit, tunc tantum, quando videlicet reseruata sunt. Ita *Suar. de relig. tom. 2. tract. de voto lib. 6. cap. 26 num. 17. Sanch. d. cap. 54. num. 19.* & loquens de bulla Iubilei *Bonacin. in Decalog. disput. 4. quæst. 2. punct. 7. §. 3. num. 17.* quoties autem Episcopo dispensare conceditur ratione solius necessitatis imminentis, eò quia Apostolica Sedes adiri non possint nequeunt Religiosi prædictorum Priuilegiorum vigore ea commutare, vt ait *Sanch. loco cit.*

Notandum quinto Religiosos vigore prædictorum Priuilegiorum commutare posse non solùm votum principale, sed etiam votum non petendæ commutationis illius, *Sanch. d. cap. 54. num. 23.*

Notandum sexto Religiosos, virtute prædictorum priuilegiorum, secundum votum, in quod præcedens commutatum fuit, posse iterum & iterum commutare; quia facultas vota commutandi per ea concessa, non est ad vnam vicem restricta, sed est absolutè concessa; ergò poterunt vota iterum, atque iterum commutare. Ita *Cordub. in Summa q. 151. Sanch. d. cap. 54. num. 24. Bonacina d. §. 3. num. 19.*

Notandum septimo Religiosos per prædicta priuilegia non solum subditorum illius diœcesis, in qua ad fidelium confessiones audiendas expositi sunt, verùm etiam quosecunque vndecunq. venientium vota commutare posse; quia cum hæc facultas sic eis concessa à Summo Pontifice, qui toti Orbi præest, non est cur ad subditos illius diœcesis, in qua commorantur, limitanda sit, tum quia prædicta eorum priuilegia ampliauda, ac plenissimè interpretanda sunt, vt supra diximus, ergò nulla ratione ita restringi debent. Tādem hoc clare conceditur in prædicto priuilegio Pauli Tertij, vbi expresse traditur facultas audiendi confessiones vndecunque venientium, ac eorum vota commutandi. Ita *Sanch. d. cap. 54. nu. 60. & d. disp. 6. num. 10.* vbi testatur idem iudicasse nōnullos alios viros doctos, quod etiam virtute d. priuilegij Pauli Tertij posse confessarios Mendicantium affirmat *Roderic. in addit. ad Bull. Cruciat. §. 9. n. 120.*

Notandum octauo virtute priuileg. à Gregorio XIII. Societati Iesu concessi, integrum esse Religiosis illud participantibus commutare vota iuramento firmata, siue iuramentum accessoriè voto accedat, vt si præstetur ad voti emissi confirmationem, siue sit principale & quasi concomitans, vt si v. g. Quis

prius vouit ieiunium, & postea iurauit illud, non quasi votum confirmans, sed vel eius immemor, vel omnino impendenter ab illo, quia priuilegium indistincte loquitur; Ita *Sanch. d. lib. 4. cap. 43. num. 16.*

DISPVTATIO. XX.

De potestate Abbatis, & aliorum Prælatorum quoad uotum solemne obedientiæ.

QVAESITVM I.

Vtrùm Abbas habeat potestatem obligandi subditos in conscientia.

SVMMARIVM.

1 *Castitas, Paupertas, & Obedientia sunt de essentia status Religiosi, & Debent voto firmari in Religione approbata per Sedem Apostolicam.*
2 *Vota hac tria emittens vt constituatur sub alterius iurisdictione, an sit necessarium.*
3 *Iurisdictio in Religiosos an proueniat Abbati ex vi votorum, an verò à Summo Pontifice.*
4 *Obligandi suos subditos Religiosos in conscientia potestatem habet Abbas.*
5 *Conditiones requisita, ad hoc vt Abbatis praeceptum obliget in conscientia.*

1 PRo huius quæsiti intelligentia supponendum est ad veræ, & propriæ Religionis substantiam necessarias esse quatuor conditiones. Prima sunt Castitas, Paupertas, & Obedientia, quæ ita sunt de essentia status Religiosi, vt sinè illis consistere nequeat, per tex. expressum in *c. cum ad Monasterium, in fine, de stat. Monach.* vbi dicitur nec etiam Summum Pontificem posse super his dispensare, quod est intelligendum; vt nequeat Summus Pontifex super his dispensare cum Religioso manente tali, vt probant *D. Thom. 2. 2. q. vlt. art. 3. 4. & 5. Bellarmin. controuers. tom. 2. lib. 2. de Monachis cap. 9. & à cap. 20.* late *Sanch. de Matrimon. lib. 8. disput. 8. num. 12. & in praecepta Decalog. lib. 5. cap. 1. n. 16.*

Secunda Conditio est, vt hæc tria voueantur, vt *D. Thom. d. q. vlt. art. 6.* quem esse communiter receptum testatur *Sanch. d. cap. 1. n. 18.*

Tertia vt emittantur in Religionem per Sedem Apostolicam approbata.

2 Quarta, vt hæc tria vota emittens constituatur sub alterius potestate, & Iurisdictione. Quod non prouenit ex vi, & natura votorum; sed manat à Summo Pontifice Religionem erigente, & approbante; quia tria prædicta vota iure naturali, aut diuino positiuo, non habent vim constituendi vouentem sub peculiari alicuius Iurisdictione; sed necessarium est, Ecclesiæ consensum accedere. Quamobrem talis iurisdictio non prouenit Prælatis ex vi votorum, sed à Summo Pontifice Religionem approbante, vt late probat *Vasq. 1. 2. q. 96. art. 4. disp. 165. cap. 4. nu. 14.*
4 *& Sanch. loc. citat. n. 15. & 20.* Ex his patet in Abbate reperiri hanc potestatem obligandi suos subditos in conscientia. Cum enim (vt dictum est) ad hoc vt quis sit verè Religiosus oporteat tria vota prædicta in Religione approbata in manibus superioris emittere, ac sub illius potestate, & iurisdictione constitui, eo ipso, quòd Religiosus sub Abbatis potestate, & iurisdictione constituitur, supposito Ecclesiæ consensu, & approbatione Religionis, acquiritur ipsi Abbati potestas obligandi Religiosũ in conscientia; Iurisdictio enim, quę per approbationẽ Religionis à Sum-

à Summo Pontifice, in Prælatos illius dimanat, non
ſolùm eſt, ad cogendum Religioſos, pœna temporali
carceris, vel flagellorum, aut ſimili ad Regulam ſer-
uandā: ſed etiam ſpiritnali, vt optimè docent *Sanch. d.n.20.& Suar.de Relig.to.4.tract.8 lib.2.c.8.n.2.*

5 Ad hoc autem, vt Abbatis præceptum obliget in
conſcientia, aliquæ conditiones requiruntur, ſuppo-
ſita in primis ad id ipſius poteſtate. Prima eſt, vt ma-
teria, quæ præcipitur, ſit honeſta, itaut nec ſit intrin-
ſecè mala, nec ab aliquo maiori Superiore prohi-
bita; nemo enim ad malum obligari poteſt, neque
inferior ſuperioris legem tollere poteſt; de qua re in
ſequentibus latius dicetur.

Secunda conditio requiſita eſt, vt materia præce-
pti ſit apta ad obedientiam Religioſam; quia non
omnis materia honeſta, eſt capax talis obligationis.
Et cedit ſub obedientia Religioſa, ſed ea, quæ eſt Re-
gulæ conſentanea.

Tertia eſt, vt præceptum ſufficienter proponatur
adeò, vt ad ſubditorum notitiam peruenire poſſit; de
quibus in ſequentibus.

QVAESITVM II.

An Abbas, vel alius Prælatus Regularis poſsit præcipere ſuo ſubdito aliquid ſub pœna excōmunicationis, aut alterius cenſuræ.

SVMMARIVM.

1 *Reſoluitur pro parte affirmatiua.*
2 *Præceptum Prælati quid ſi eſſet leue.*
3 *Præcipiendo aliquid Prælatus ſub pœna excommunicationis videtur obligare ad mortale, limita, ut n. 4.*
5 *Præcipere poteſt Prælatus ſubditis ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ.*
6 *Excommunicatio latæ ſententiæ, non eſt neceſſe quòd feratur in ſcriptis.*
7 *Admonitio trina ad illam non requiritur ex neceſſitate.*
8 *Contumax ſubditus ſufficit, quod cognoſcat præceptum Superioris habere annexam hanc excommunicationem.*
10 *Subditus innodatus excommunicatione latæ ſententiæ à quo ſit abſoluendus.*

1 RESpondeo affirmatiuè, quia hoc docet praxis in
Monachorum, & Regularium domibus valdè
viſitata. Poteſt enim Abbas, & quilibet Prælatus Re-
gularis in occaſione graui præcipere, ſub pœna excō-
municationis, vt Monachus ei reuelet, vel quæ ſunt
contra Regulam, vel leges Eccleſiaſticas, vel propria
ſtatuta, quod colligitur, ex *Concil. Trident. ſeſſ. 25. de Regul. cap. 22.* vbi præcipitur, quòd Prælati Regula-
res in viſitationibus ad præcepta Regulæ deſcendāt,
quibus fratres ſunt adſcripti quomodo in eo Mona-
ſterio obſeruentur; in qua re peccat mortaliter Mo-
nachus, quando ei conſtat Abbatem ita præcepiſſe,
ſi præceptum illud tranſgrediatur, non reuelando.
2 Idipſum dicendum eſt, ſi præceptum leue eſſet; quia
ex eo, quòd præceptum eſt, ſub pœna excommunica-
tionis cenſetur ad mortale obligare. *Sot. in 4. diſt. 22. q. 1. ar. 2.* & alij plures; quia lex in ſe includit pœ-
nam præſupponentem peccatum mortale, ad quod
obligat, etiam ſi huiuſmodi verba peccatum non cō-
tineant, quia pœna magis indicat animum obligandi
quàm verba *iuxta l. illud ff. de acquirend. heredit. c. præterea de offic. delegat.* vbi habetur, quòd qui vult
aliquid, vult etiam illud, ſine quo id effici non poteſt.
3 Vnde cum nemo excommunicari poſſit, niſi pro pec-
cato mortali, vt ſuperius dictum eſt, inferendum erit
4 quòd Abbas præcipiendo aliquid ſub pœna excom-
municationis, videtur obligare ad mortale. Hoc au-
tem non militat de pœna ſuſpenſionis, vel irregula-
ritatis, quæ poteſt aliquando incurri, ſine propria
culpa *cap. ſi Ciuitas, cap. ſi ſententia, de ſent. excom. in 6.* de qua re fuſius *Sot. de Iuſt. & iur. lib. 1. q. 6. art. 5. Nauar. in Man. cap. 23. num. 53. & Coriol. in tract. de caſ. reſer. p. 1. ſect. 1.*

5 Abbatem, & Regularem Prælatum poſſe etiā præ-
cipere ſuo Monacho aliquid, ſub pœna excommuni-
cationis latæ ſententiæ, ſatis ex dictis conſtat; quia
in eum habet Eccleſiaſticam Iuriſdictionem in foro
exteriori. At excommunicare, & cenſuras ferre ad
talem iuriſdictionem ſpectat: vt dicunt communiter
Doctores præſertim *S. Thom. in addit. 3. p. q. 22. art. 1. S. Bonau. in 4. diſt. 18. q. 3. Riccard. ibid. art. 4. q. 2. Alenſ. p. 4. quaſt. 22. art. 4. Sot. in 4. diſt. 22. q. 2. art. 1. Couar. in cap. alma mater §. 11. num. 1. de ſentent. excomm. Vgolin. de Cenſuris tab. 1. cap. 2. §. 11. Henriq. lib. 13. de excom. cap. 24.* Hæc autem excommuni-
catio latæ ſententiæ ſtatim ligat, abſque alia decla-
ratione *arg. cap. peruenit. de ſent. excom. Angel. verb. excommunicatio 2. num. 4. Tabien. eodem verbo verſ. quarto vtrum; Syluest verb. eod. 1. n. 15. Sayrus de Cenſ. lib. 1. c. 11. n. 5. Nauar. in Manual. c. 27. num. 12.*

6 Si dicas, quòd in *cap. ſacro de ſent. excomm. in 6.* re-
quiritur, quòd excommunicatio feratur in ſcriptis.

Reſpondeo non obſtare, quòd non ſit in ſcriptis,
quia habetur priuilegium Leonis X. in *Com. Priuil. verb. abſolutio ordinaria quoad fratres §. 26.* quo con-
ceditur Prælatis *Ordin. Min. Obſeru.* & conſequenter
Abbatibus, & Prælatis communicationem corū pri-
uilegiorum habentibus, vt cum aliquem fratrē pro-
pter Apoſtaſiam, vel aliam cauſam excōmunicant in
Cap. frattum, vel communitate non teneantur pro-
ferre ſententiam excommunicationis in ſcriptis;
prout ſub pœna ſuſpenſionis præcipitur in iure.

7 Nec etiam refert, quòd talis excommunicatio non
ſit data præuia trina monitione, ſicut requiritur ad
excommunicationem ab homine latam, vt docēt Do-
ctores, præcipuè *Couar. loc. cit. §. 9. nu. 7. Nauar. in Manual. cap. 27. num. 8. Sot. loc. cit. q. 1. art. 2. Sayr. lib. 1. de cenſur. cap. 13. n. 1. Suar. tom. 5. diſp. 7. ſect. 13.*
quia hoc non habet locum in excommunicatione,
quæ fertur à Prælatis Regularibus, per modum præ-
cepti, quando exempli gratia præcipitur alicui Mo-
nacho, vt aliquam Ciuitatem, vel Caſtrum, vel alium
locum non ingrediatur; vt reuelet aliquam rem, præ-
ceptum enim ipſum monitionem continet, ſiue iu-
beat, ſiue vetet; quia, vt bene notat *Auila p. 2. de cenſ. c. 5. diſp. 1. dub. 10. §. ex dictis*, ſatis monet Iudex,
eo ipſo, quòd iuſtè aliquid præcipit, aut prohibet, &
8 ſufficit ſi ſubditus cōtumax, qui agnoſcens præceptū,
cui annexa eſt excommunicatio latæ ſententiæ, illud
nihilominus tranſgreditur, ac proinde tali cenſura

ligatur. Hinc infert, *Suar. de Censf. disp. 3. Sect. 8. n. 5.* quòd Censura pro delicto, quamuis per præceptum latum in specie peculiari alicui homini impositum, vt faciat hoc, vel illud, vel non faciat sub tali censura eo ipso incurrenda, non indiget alia monitione.

5 Si petas, à quo innodatus tali censura debeat absolui? Respondeo, quòd existimo, esse ab Abbate, & nõ ab alio, nisi de eius licentia, absoluendum. Ratio est manifesta, quia scilicet annexa est præcepto particulari Abbatis, & sub tali præcepto eum ligat, aliàs non esset maioris roboris, quàm præceptum sub peccato mortali.

QVAESITVM III.

Vtrùm Abbas, vel alius Prælatus possit exigere à suis subditis Iusiurandum.

SVMMARIVM.

1 *Iusiurandum ad præstandum potest Abbas, vel alius Prælatus obligare subditum.*
2 *Præcepta obligantia ad peccatum mortale Prælati non debent facile ferre.*
3 *Præceptorum à multitudine abstinere debẽt Prælati.*
4 *Obedire Prælato non tenentur subditi ex sententia multorum, nisi in mandato expresso habente formam legis præceptiua.*

1 NE dum sub pœna excommunicationis, suspensionis, & interdicti, possunt Superiores Ecclesiastici obligare suos subditos, nec non sub formali præcepto obedientiæ, sed etiam sub iuramento. Potest enim Abbas, vel alius Superior suum subditum ad iuramentum præstãdum obligare, vt ei dicat omnia, quæ sunt contra Regulam, vel Leges Ecclesiasticas, aut statuta Religionis, quicquid scit, vel credit, vel fama est, quod benè ostendit *Roder. quæst. Regular. tom. 2. q. 4. art. 5.* vbi ad suam sententiam corroborandam adducit testimonium *Hostien.*

2 Admonentur tamen Prælati Regulares, ne sint faciles ad ferenda præcepta obligantia subditos, sub peccato mortali; cum experientia rerum magistra, demonstret, eorum frequentiam magis contemni, quàm formidari, & infelices exitus in perniciem animarum subditorum, inde subsequi, vt expressè colligitur ex *Concil. Triden. sess. 25. de reform. cap. 3. per illa verba. Quamuis excommunicationis gladius neruus sit Ecclesiasticæ disciplinæ, & ad continendos in officio Populos valde salutaris, sobriè tamen magnaque circumspectione exercendus est, cum experientia doceat, si temere, aut leuibus ex rebus incutiatur, magis contemni, quàm formidari, & perniciem potius parere, quàm salutem.*

Hinc est, quòd in multis Constitutionibus Regularium, & præcipuè in Constitutionibus fratrũ Præ-
3 dicatorum habetur, quòd Prælati à multitudine præceptorum, & ordinationum abstineant, ne laqueum subditorum animabus iniiciant, nèc propter defectũ vnius, vel paucorum, quos non audent corrigere, Cõmunitatem inuoluant. Sed hac in re magni momenti obseruent id, quod generaliter obseruant expositores Regulæ SS. Benedicti, Basilij, Augustini, & Francisci, & Ignatij nimirum. *Discreti Prælati abstinere debent à præceptis (quæ vocant formalia) & ab excommunicationibus, quæ raro uti fas est, nisi quod iubetur, sit aliàs diuinum præceptum, aut Ecclesiasticum, ad mortalem culpam obligans.*

4 Vnde dicunt multi Doctores, subditum nequaquã remanere obstrictum ad exequendam sui Superioris voluntatem, nisi in mandato expresso habente formã legis præceptiuæ, iubeat. Ità *Syluestr. verb. obedientia §. vlt. Azor. part. 1. lib. 12. cap. 12. q. 2.* & alij. Imò contra Prælatos hæc nequaquam obseruantes habetur Doctrina *Alphonsi de Castro lib. 1. de lege pœnali c. 5. doct. 2.* quam sequitur, & amplectitur. *Reginal. in Prax. lib. 15. nu. 43.* sub his verbis precisis. *Perperam sentire eos Religiosorum Prælatos, qui putant, se posse ad mortalem culpam subditos obligare propter solius silentij violationem, aut propter solam vnius lactucæ manducationem sine licentia, aut propter aliud simile, quod est ex se parui momenti, nec potest grauiter Religioni nocere.*

QVAESITVM IV.

Vtrùm subditus teneatur exequi voluntatem Abbatis, vtcumque sibi notam.

SVMMARIVM.

1 *Obedientiæ diffinitio, secundum D. Thom.*
2 *Obedire Religiosus non tenetur Abbati, antequam eius voluntatem expressè, vel interpretatiuè cognoscat.*
3 *Voluntatem suam quandò dicatur Abbas, expressè patefacere, & quandò interpretatiuè.*

RAtionem dubitandi facit id, quod dicit *D. Tho. 1. 2. q. 104. art. 2.* in corpore, vbi diffiniens obe-
1 dientiam ait, eius formale, & speciale obiectum esse præceptum Superioris tacitum, vel expressum, subdens, quòd voluntas Superioris, quomodocumque innotescat, est quoddam tacitum præceptum, & tantò videtur obedientia subditi promptior, quãtò expressum præceptum obediendo præuenit, voluntate tantum superioris intellecta.

Attamen his non obstantibus, dicendum erit, quòd etsi magis perfectè obediat Monachus Superiorum voluntatem quouis modo sibi notam, &
2 antequam sibi mandato notificetur adimplendo. Nihilominus si id omittat, non peccat mortaliter nisi Abbas suam voluntatem expressè, vel interpretatiuè manifestet. Ità *D. Thom. q. 23. de verit. art. vltim. ad 3. Sylu. verb. obedientia in fine, & verb. præceptum q. 2. Tolet. lib. 8. summæ cap. 15. num. 10. Vasq. 1. 2. disput. 155. in fine. Graff. decis. aur. p. 2. lib. 2. cap. 58. Miranda in Manual. Prælat. tom. 1. q. 26. art. 4. Sanchez in decalog. lib. 6. cap. 2. num. 5. Reginald. in praxi lib. 13. num. 238.* Quod probatur; quia neque Deo tenetur se quis conformare, etiam si sciat eum aliquid velle, vel nolle, nisi illud præcipiat, vel prohibeat, quod probatur ex illo loco Apostoli *ad Philipp. 1. vbi ait. Cupio dissolui, & esse cum Christo,* & nihilominus sciebat, aliam esse Dei voluntatem, vt patet ex iis,
3 quæ paulò inferius subdit, *Scio, quia manebo, & permanebo omnibus vobis ad profectum vestrum, & gaudium fidei,* notat *Reginald. lib. 13. num. 603.* igitur multo

multo minus tenetur ſui Prelati voluntati ſe conformare, quantumcumque ſit ei cognita, niſi ab ipſomet Prælato ea expreſsè, vel interpretatiuè ſibi fuerit
3 manifeſtata. Expreſsè autem dicitur Abbas ſuam intentionem pateſacere, quandò perſpicuis verbis præcipiendo manifeſtat, talem eſſe eius intentionem. Interpretatiuè, quandò præcipit per aliquod ſimplex verbum, ipſius tamen indicans voluntatem, ſecundum *D.Thom.2 2.q.104.art.2. in reſp.ad 2.*

QVAESITVM V.

Vtrùm Abbas poſsit ſuis ſubditis actus internos præcipere, & an ſubditi teneantur illi ſic pręcipienti obedire.

SVMMARIVM.

1 *Interni actus quotupliciter conſiderari poſſint.*
2 *Internos merè actus ſubdito Abbas præcipere non poteſt.*
3 *Internos merè actus nemo, niſi ſolus Deus iudicare, & punire poteſt.*
4 *Internos actus Abbas poteſt præcipere ſuis Monachis, vt ſunt anneæi actibus externis, ità vt externi ſinè internis conſiſtere nequeant.*
5 *Præcipere ſuis Monachis, an poſſit Abbas, vt celebrantes applicent ſacrificium iuxta ipſius Intentionem.*

1 PRò clariori huius quæſiti intelligentia præmittendum eſt, actus internos dupliciter conſiderari poſſe, primo modo, vt ſunt purè interni ſecundum ſe præcisè. Secundo modo, vt ſpectant ad complemẽtum, actuum externorum, vel quatenùs ſunt neceſſarij ad eſſe phyſicum, aut morale actuũ externorum; vel quatenus inuicem connexionem, vel dependen-
2 tiam aliquam habent; quo præmiſſo. Dicimus Primo, non poſſe Abbatem ſuis ſubditis actum purè internum, ac primo modò conſideratum præcipere; nec conſequenter ſubditos teneri ad ipſi ità præcipienti obtemperandum. Ità *D. Thom. 2.2. q.104. art.5. & 1.2. q.91. art.4. in corpore. Aragon. ad 2.2. ipſius D. Thom q.83. in explicat ar.13. Sanch. lib.6. in decalog. cap.2. num 5. Suar. de legib. lib 3. cap.13. Vaſ. q.1.2. diſp.160. Mirand. in Man prel. tom.1. q.26. art.3.* &c. alij quos citant *Suar. & Vaſq. & Azor. Inſtit. moral. par.1. lib.5. cap.10.* Ratio eſt, quia illa poteſt quis præcipere, de quibus poteſt iudicare, & pœnas ſumere;
3 ſed de actibus merè internis nemo, niſi ſolus Deus iudicare, & punire poteſt *cap. erubeſcant diſt. 32. cap. conſuluiſti 2. q.4. cap. ſicut tuis, & cap. tua nos extrà de Simon.* occulta enim Deo reſeruantur. *1. Cor. 4. vbi Apoſtol. ait. Nolite ante tempus iudicare, quoaduſque veniat Dominus, qui, & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia Cordium:* ergò neque illos præcipere poteſt. Idem confirmatur à *D. Thom. 2.2. q.104. art.5. auctoritate Senecæ lib.3. de beneficijs cap.20. dicentis. Errat ſi quis exiſtimat, ſeruitutem in totum hominem deſcendere, pars melior eius excepta eſt, corpora obnoxia ſunt, & adſcripta Dominis, mens quidem ſui Iuris eſt.*
4 Secundò, Dicimus, Abbatem poſſe actus internos ſecundò modo conſideratos præcipere, & prohibere indirectè, ſeù conſequenter, nempè prout habent annexos actus externos, ex ipſis actibus interioribus procedentes. Nam Eccleſiæ de actibus externis, ſolet legem ferre, vt in *cap. dolentes, de celebrat. Miſſ.* vbi præcipitur, vt diuinum officium attentè, & deuotè celebretur, & ſic præcipitur deuotio, & attentio, qui ſunt actus interiores, quatenus annectuntur horarum recitationi, quæ eſt actus externus. Et in *Clemen.1. §. verum, de hæret.* iniungitur pœna excommunicationis Inquiſitoribus, qui odij, gratiæ, vel amoris obtentu in hæreticos inquirunt, vel inquirere omittunt. Similiter in *Clem.1. §. quia verò, de ſtat. Monac.* prohibetur Monachis ſub pœna excommunicationis, ne ad Curias Principũ, animo nocendi ſuis Prælatis, aut Monaſterijs, ſe conferre præſumant, prohibetur autem animus nocendi, non prout eſt actus mentis interior ſecundum ſe, ſed prout eſt tali acceſſui coniunctus; adeò, vt huiuſmodi acceſſus prohibeatur, non cuilibet, ſed tantùm habenti animum, offendẽdi ſuum Prælatum, & Monaſterium; atque ità docent *Caiet. 2.2. q.104. art. 5. Sot. de iuſtit. lib.10. q.5. art.5. concl.6. Valent. to.3. diſp.6. q.2. punct. 10. & diſp 7 q.4. punct.2. Suar. de legib. lib.4. cap.13. nu.6. Mirand. d. art.3. concluſ.1. Roderic. quæſt. reg. tom.3. q.19 art.2. Reginald. lib.13. n.21. Laurent de Peirin. de Religioſo ſubdito, q.1. cap.6. verſ. dixi, non teneri, Caſtellin. de elect. in prælud. §.13.*
5 Ex quibus colligit ut prædicti Authores, qui Regulares Prælati poſſunt ſubditis præcipere, vt celebrantes applicent ſacrificium iuxtà ipſorum Prælatorum intentionem, quia non præciperent internum tantum ſubditorum animi motum ſcilicet applicationem medij valoris Miſſæ, ſed illum interiorem actum, prout exteriori actui celebrationis Miſſæ eſt annexus, qui actus exterior ſinè actu interiori applicationis rectè perfici non poſſet, & propterea benè poteſt Prælatus de illo diſponere, & ſubditi in hoc non obedientes peccarent mortaliter, faciendo contrà votum obedientiæ in re graui. Ità *Roderic. d. art.2. in fin. & Mirand. d. quæſt.26. art.8. nec non alij plures, quos citat Peirin. d. c.6. verſ. ex quo deduc.*

QVAESITVM VI.

Vtrùm Monachi teneantur parere Abbati pręcipienti, quę ſecundum eorum Regulam ſunt.

SVMMARIVM.

1 *Obedire Monachi tenentur Abbati præcipienti, quæ ſunt ſecundum eorum Regulam, Vbi vide quandò teneantur ſub mortali, & quando ſub veniali.*
2 *Directè, vel indirectè aliquid ad Regulam ſpectare quomodo intelligitur.*
3 *Obedientia voto Religioſus tenetur parere Abbati præcipienti ea, quæ obligant fideles.*
4 *Pœnam ſibi ab Abbate impoſitam, Religioſus an teneatur exequi, quando fundatur in falſa præſumptione.*

1 CErtum eſt, Religioſos teneri ad parendum Abbati præcipienti, quæ ſunt ſecundum Regulam ſuæ

suæ Religionis, & non obediendo incidere in mortale peccatum, si tale præceptum ex genere suo obligaret ad mortale; vt puta, si esset in materia graui, & intentio Abbatis foret obligandi sub mortali. Ratio est, quia tunc illud omitteret, esset violare votum obedientiæ, ex quo tenentur Religiosi adimplere quicquid à superiore præcipitur. Secus dicendum est in materia leui, vel quando à Superiore aliquid tale non præcipitur, sed tantum proponitur, vel monetur. Ita *Nauar. in man. cap. 23. num. 49. Caiet. 2. 2. q. 186. art. 9. Valent. tomo 3. disput. 10. q. 4. punct. 5. Sanch. in Decalog. lib. 6. cap. 2. num. 8. Reginald. in prax. lib. 18. nu. 391. & alij communiter.* Vnde autem cognoscatur, præceptum Abbatis ad mortale, vel veniale obligare, dicemus infra suo loco.

2 Circa hoc autem tria sunt breuiter obseruanda. Primum, aliquid posse dupliciter ad Regulam spectare, explicitè scilicet, & directè; & implicitè, ac indirectè. Primo modo spectant ad Regulam illa tantum, quæ in Regulæ statutis continentur. Secundo modo ad Regulam spectant ea, quæ etsi in illa non exprimantur, tamen saltem in vniuersum continentur in ea tanquam necessaria ad Regulam obseruandam, vt sunt mutua obsequia, sine quibus bonus Religionis status conseruari nequit, & ea, quæ spectant ad pœnas, transgressionis Regularum. Igitur, dicendo, Religiosum teneri ad obediendum Abbati præcipienti ea, quæ sunt secundum Regulam; intelligendum est, siue explicitè, siue implicitè sint secundum illam; quia vniuersa hæc ad Regulare institutum conseruandum spectant. Ita *D. Thom. quodlib. 10. art. 10 & in 2. dist. 44. quæst. 2 art. 3. Angel. verb. Religiosus, nu. 29. Syluest. verb. Religio 6. q. 6. Less. lib. 2. de iust. c. 41. dub. 9. nu. 77. Vasq. 1. 2. q. 95. art. 2. disp. 154. c. 4. n. 20.* & alij apud *Sanch. d. cap. 2. num. 9.*

3 Secundo obseruandum est, quòd Religiosus Obedientiæ voto non solùm tenetur parere Abbati, eum præcipit ea, quæ sunt peculiaria Religionis; sed etiã eum ei iniungit præcepta omnibus Christianis communia, vt si iubeat audire Missam, vt ieiunare diebus, quibus id Ecclesia præcipit; nam hæc pertinent indirectè ad Regulam, tanquam præambula necessaria. Ita *Caiet. 2. 2. quæst. 186. art. 5. circa solutionem ad 1. Sanch. d. cap. 2. num. 10.*

4 Vltimò obseruandum est, quòd quando Abbatis præceptum fundatur in falsa præsumptione, Religiosus cessante scandalo non tenetur parere; vt si Abbas iniungeret Religioso pœnitentiam pro delicto, quod verè non commisit, si pœnitentia illa in publico fit exequenda, subditus ad eam tenetur propter aliorum exemplum. Si verò in occultò potest eius executionem omittere, nec peccaret, non parendo, quia tunc pœna non imponitur ad aliorum exemplum, sed ad propriam correctionem, qua innocens non indiget. Ita *Vasq. 1. 2. q. 96. art. 5. disp. 174. cap. vlt. nu. 18. Nauar. in man. cap. 23. n. 38. Sanch. d. cap. 2. num. 11.*

QVAESITVM VII.

Vtrùm Abbas possit subditis præcipere aliquid, quod sit contra, supra, pręter, aut infra Regulam.

SVMMARIVM.

1 *Contra, supra, præter, aut infra Regulam esse quæ dicantur.*
2 *Præcipere an possit Abbas aliquid contra Regulam.*
3 *Obligare Abbas non potest subditos ad ea, quæ omnino sunt supra Regulam, limita vt num. seq.*
4 *Præcipere Abbas non potest subditis ea quæ sunt præter Regulam, limita vt num. seq.*
5 *Obedire Monachi non tenentur Abbati aliquid infra Regulam, absque iusta causa præcipienti.*

1 AD huius quæsiti intelligentiam notandum, quòd contra Regulam intelligitur omne id, quod est contra aliqua ipsius præcepta; vel etiam quod est contra statuta Ordinis, directa ad seruandam maiorem Regulæ puritatem, vt ait *Cordub. in exposit. regul. D. Fran. cap. 10 q. 1. pun. 20.* Supra Regulam sunt ea, quæ ipsius Regulæ limites excedunt, vt ire ad infideles, vbi adest magnum mortis, vel seruitutis periculum, ieiunium, vel aliæ similes austeritates, quas Regula non præscribit. Præter Regulam censentur illa, quæ nec in ea continentur, nec ad eam expediunt, aut eius executionem iuuant; vt leuare festucam de terra, aspicere aues volantes, numerare Stellas, & huiusmodi, quæ alio modo à Doctoribus indifferentia dicuntur. Infra Regulam dicuntur ea, quę sunt laxiora, quàm Regula præscribat, vt reficere corpus certa hora, seu aliquod aliud, quod à Regula permittitur.

2 His ita notatis, dicimus. Primo, quòd Abbas non potest quicquam præcipere, quod certò constat esse contra Regulam Religionis, quia tale præceptum non est validum, excedit enim limites potestatis præceptis, quæ non est ad destructionem, sed ad ædificationem secundum talem statum. Ita *D. Thom. quodl. 1. art. 16. & quodlib. 10. art. 10.* & alij authores cum *D. Bern. in lib. de præcept. & dispens. cap. 7.* quod intelligitur, nisi forte posset super ea parte regulari dispensare, & iusta de causa ad ita præcipiendum moueretur; subditus enim tunc parere deberet; Ita *D. Thom. 2. 2. q. 104. art. 5. & ibi Caiet. & S. Ant. 3. par. tit. 16. cap. 1. §. 9. Sylu. verb. Religio 6. quæst. 6. Nauar. in man. cap. 23. num. 39. Less. de iust. lib. 2. cap. 41. dub. 9. num. 76. Sanchez lib. 6. in Decalog. cap. 3. num. 8. Mirand. in man. Prælat. tomo 1. quæst. 26. art. 8. Suar. de Relig. tomo 3. tract. 7. lib. 10. cap. 8. num. 1.* & alij communiter. Ratio est, quia, etsi opus illud iniunctum ex regula illicitum sit, tamen ex rationabili Abbatis dispensatione fit licitum, & non censetur amplius esse contra Regulam, sed secundum illam, cum per dispensationem legitima de causa à Prælato factam, tollatur eiusdem Regulæ vinculum.

3 Secundo dicimus, ad ea, quę sunt omninò supra Regulam, Abbatem non posse subditos obligare; vt docet expressè *D. Thom. d. quodlib. 10. art. 10.* vbi addit, in hoc conuenire omnes Doctores, idem sensit *D. Anton. 3. par. tit. 16. cap. 1. §. 9. Summistæ communiter in verb. Obedientia, & verb. Religio. Sylu. verb. Religio 6. quæst. 6. Nauar. in summ. cap. 23. num. 39. & in com. 3. de Regular. num. 6.* expressè habetur *ex gl. in c. gesta d. 74. per tex. ibi: Iustum est,* vt

4 *vt nemo crescere compellatur inuitus*. Adducuntur tamen quædam limitationes, primo nisi præciperetur aliquid suprà Regulam in pœnam criminis antea cõmissi; quia in eo casu Monachi Abbatis præcepta adimplere tenerent, vt colligitur ex *cap. dilectus el 2. & cap. quoniam, de simonia*, vbi Monachi, quos per inquisitionem constaret, simoniacè receptos fuisse, in arctioris regulæ Monasterium ad agendum pœnitentiam detrudi mandantur. Ratio est, quia Superior potest Subditis condignam pœnam eorum delictis iniungere, sed si nihil præcipere posset suprà ordinariam, & debitam Regulæ austeritatẽ, nulla esset pœna ratione delicti: ergò in pœnam delicti commissi potest res magis arduas præcipere, dummodo delicti mensuram non excedat; Ità *D. Anton. Sylu. Nauar. & alij superius adducti ferè omnes*. Secundò si præciperet ad cautelam culpæ deinceps vitandæ; quo casu, quandò Monachus agnoscit, se nullo modò ad talem culpam incitari; non tenetur parere, secus si videt, se aliter peccaturum, vel peccandi periculum vitare non posse, quia in tali casu cum causa sit iusta, & rationabilis, obedire tenetur. Ità *Angel. verb. Religiosus num.* 30. *Sylu. loco citato, & Cordub. super reg. D. Fran. cap. 10. q. 2. in 6. punct. Reginald. in praxi lib. 18. num. 395. Miranda d. q. 26. art. 10. concl. 1.* Si verò præceptum esset simpliciter in argumentum meriti, vt martyrium subire, corpus inedia macerare, & huiusmodi, non obligaret subditos in conscientia, secundum *D. Thom. in quodlib.* 10. *art.* 10. *D. Anton. d. §. 9. Caiet. 2. 2. q. 88. art. 8. dub. vlt. Sylu. d. q. 6. Sanch. d. lib. 6. cap. 2. n. 15. Mirand. d. concl. 1. in princ.* Ratio est, quia Abbas non est Dominus, sed custos, & minister Regulæ, eiusque potestas non se extendit, vltrà ipsius Regulæ terminos, ergò non potest eius terminos in suis præceptis excedere, tùm quia Monachus ex ac voti Obedientiæ, & vitæ Regularis conditione Abbatis correctioni se subijcere tenetur, non autem ad eiusdem Abbatis libitum exequi, quod Regulæ limites excedit vnde *D. Gregor. in cap. gesta dist. 24. ait, iustum est, vt nemo crescere compellatur inuitus*, & *D. Bernard. in Opusc. de præcept. & dispensat similiter ait. Prælati iussio, vel prohibitio nõ prætereat terminos professionis, nec vltrà extendi potest, nec contrahi, citrà. Nil me prælatus prohibeat borum, quæ promisi; nec plus exigat, quam promisi. Vota mea, nec augeat, sine voluntate mea, nec minuat sine certa necessitate*, & infrà *monentes eos, non cogentes ad celsiora condescendentes eis, cum necesse fuerit ad remissiora*.

5 Tertio dicimus, Abbatem non posse ea, quæ sunt præter Regulam, subditis iniungere, nec subditos teneri Abbati præter regulam aliquid præcipienti obedire. Monachus enim obedientiam in Religione promittens, intendit se obligare iuxtà ipsius Regulas; at Abbas non potest obligare subditum, nisi ad ea, quæ per suam professionem promisit, vt patet ex prædicta *D. Bernardi sententia*. Ità *D. Thomas in 2. dist. 44. q. 2. art. 3. in cap. & d. quod lib. 10. art. 10. D. Anton. d. §. 9. Reginald. d. num.* 395. *vers. præter regulam*, & communiter teneri, ait: *Sylu. d. q. 6.* Hoc limitatur, dummodo ad Regulam quoquomodo non reducantur; quia si aliquo modò ad Regulæ Obseruantiam conferrent, vel ad eam ordinarentur, essent seruãda. Ità *Cordub. in Reg. Fratrum Minor. d. cap. 10. q. 2. in 4. & 5. punct. quem refert, & sequitur Miranda d. q. 26. ar. 9. Laur. de Petr. de subiecto, & Prælat. to. 1. q. 1. cap. 4. Barth. à S. Fausto in thesaur. relig. lib. 6. q. 84.*

7 Vltimò dicimus, quòd Abbati aliquid infrà Regulam præcipienti Monachi obedire non tenentur, nisi adsit iusta causa ità præcipiendi. Ità *Less. d. dub. 9. nu. 76. vers. idem dicendum Nauar. in comment. 4. de Regular. num. 21. Laurent. de Peir. d. cap. 8. dist. 5.*

An autem Abbas, & Prælatus tantam habeat in subditos potestatem, vt eos obsides pro Monasterij debitis dare possit, controuersia est inter Doctores: Nam aliqui negant, vt *Gloss. in cap. ex rescripto, verb. obsides dari, de iureiurand.* vbi etiam *Bald. Cardin. Imol. & alij*. Contrarium, quòd scilicet Abbas eam potestatem habeat tuentur *Ioan. And. Hostien. Felin. & Alexand. de Neu. in eod. cap. ex rescripto Nauar. lib. 3. consil. tit. de Regular. in 1. edit consil. 65. num. 3. & in 2. consf. 74. num. 3. Surd de aliment. tit. 8. priuil. 38. num. 26. & 27.* Verùm si erit sermo de propria obsidum natura, quæ est, dari pro pace, aut simili causa Reipulicæ, solus Summus Pontifex Religiosos ità obsides dare potest. Si autem non dentur, vt sinc proprij obsides, sed vt in certo stent ad tempus potest Abbas Regulares sibi subditos pro sui Cœnobij vtilitate, vel necessitate ad id compellere, vt docent *Panormit. d. cap. ex rescripto. nu. 8. Barthol. & Sotein. quos refert, & sequitur Sanch. d. cap. 2. num. 63.* Ità conciliaus prædictas contrarias opiniones.

QVAESITVM VIII.

Vtrùm Abbas possit suis Monachis aliquid præcipere cum eorum vitæ periculo.

SVMMARIVM.

1 *Præceptum humanum, an obliget cum periculo vitæ.*
2 *Præcepta Abbatis, quando dirigitur ad bonum commune Religionis conseruandum, obligant etiam cum periculo vitæ.*
3 *Obedire tempore pestis, tenetur Religiosus Abbati præcipienti, vt alijs Monachis eodem morbo laborantibus inseruiat.*
4 *Obligandi subditos cum periculo vitæ, quando Abbas habeat intentionem, quomodo cognosci potest.*
5 *Obedire Abbati præcipienti, vt alij extrà Religionem peste laborantibus ministrent, an Monachi teneantur.*

1 Regulariter loquendo humanum præceptum non obligat ad sui obseruationem, vbi adest probabile vitæ periculum: quandò periculum non est per se materiæ præceptæ annexum, nec à superiore prouisum, aut cogitatum; quia non potest strictiùs quàm præceptum naturale, aut diuinum obligare; multa autẽ præcepta diuina, & naturalia alioquin ad mortale obligantia non adstringunt cum periculo vitæ, vt patet in præcepto restitutionis, ad quam etsi teneamur de Iure naturali, & diuino: tamen non obligat non solum cum periculo vitæ, rerum nec cũ maximo detrimento proprio. Item in voto, quod etsi de Iure naturali, & diuino reddendum sit: tamen nec adstringit cum periculo vitæ: ergò nec etiam superioris

rioris præceptum huiusmodi obligare censendum est. Ità *Henriq.lib.13.cap.21.nu.2.Sanch. in opere moral.lib.1.cap.18.num 4.Azor. Instit. moral.par.1. lib.1 cap.11.q.1.Suar.de cens.disp.6. sect.3.num.7.& de Relig. tom.4. tract.8. lib.2. cap.8. num.19.* & alij apud *Bonacc. de legib.disp.2.q.8.punct.2.num.3.* Alia ratio est, quia nemo Obedientiæ votum emittés habet intentionem, se adstringendi cum huiusmodi periculo; imò si hoc intenderet, talis intentio, tanquam temeraria, & imprudens censenda esset insufficiens ad inducendam obligationem in Conscientia. Ità *Suar.de Relig. tom.3. lib.10.cap.4. num.15.*

2 Si autem Abbas velit obligare, etiam in casu particulari non obstante mortis periculo, dicendum est eius præcepta in tali casu tenere, ac seruanda esse, quandò diriguntur ad cõseruationem communis boni Religionis. Ità *Caiet tom.3. opusc. tract.9.* Cuius ratio optima est. Quia superiores possunt præcipere omnes actus exteriores necessarios ad commune bonum illius, cuius cura ipsis tradita est, & ad quod subditos habent; & non obstante quolibet vitæ periculo, subditi obedire tenentur; quia bonum commune præponitur priuato. Vndè Principes sæculares possunt præcipere militibus, vt pugnent, & defendant Ciuitatem, nec à propria statione discedant, vel hostes inuadant. Ità *Suar.de legib.lib.3. cap.30. n.3. & 4 Vasq.p.2.disp.161.cap.2.* & alij communiter.

3 Hinc Abbas tempore pestis, Subditis præcipere potest, vt Religiosis eodem morbo contagiso, ægrotãtibus, tùm in spiritualibus, tum in temporalibus, cũ vitæ periculo ministrent. Ità *Caiet.loco cit. Roderic. quæst.Regul. tom.3.q.31.art.3.Sanch. lib.6. in decal. cap.2.num.56.Bonacc.d.punct.2.num.11.Suar.d.c.8. num.29.Laur.de Peirin.de Religion.subdit.q.1.c.11. d.3.* Hoc enim est necessarium ad conuenientem Monasterij gubernationem, & ad conseruationem status Religiosi, & propterea ad eius commune bonum. Præterea est valdè consonum monito D. Patris Benedicti *Reg. cap. 36.* vbi infirmorum curam primam, & maximam Abbati iniunxit, dicens *Infirmorum cura ante omnia, & super omnia adhibenda est, vt sicut reuera Christo, ità eis seruiatur*, & paulo post: *ergo maxima cura sit Abbati, ne aliquam negligentiam patiãtur infirmi, & in fine cap. Curam autem maximam habeat Abbas, ne à Cellerarijs, aut seruitoribus negligantur infirmi; quia ad ipsum respicit, quicquid à discipulis delinquitur*, Ex quâ triplicata monitione colligi potest, infirmorum curam esse de præcipuis Monasterij. Denique si in Religione tempore pestis Monachi non tenerentur mutuo sibi succurrere, malè prouisum esset Monasticę Reipublicę, & statui Religioso, quod tamen non est asserendum, cum Monachi sint inuicẽ membra corporis Religiosi, debeatq; in hoc cum vitæ periculo, alter alterius onera supportare. Ità *Roderic.loco cit.qui art.cit. cum Sanch. loco etiam citato num.57.* dicit, non debere Prælatum valde infirmos, & debiles, vel insignis conditionis viros, quorum vita communi Religionis bono esset valdè vtilis, vel necessaria, ad ministrandum fratribus peste laboranelbus destinare, præsertim si adessent alij, qui hoc munus rectè præstare possent.

4 Si quæras, quomodò cognosci possit, quãdò Abbas rationabiliter habet intentionẽ obligandi cũ periculo vitæ respondeo cũ *Suar.d c.8.n.31.* quod huiusmodi intẽtio patebit, vel ex expressis verbis ipsius Abbatis ità præcipiẽtis, vel ex actione præcepta, cũ qua dupliciter coniungi potest periculũ vitæ; nempè aut omnino per accidẽs, & præter intentionẽ, & præsciẽtiam prçcipiẽtis, siuè per se, vel de facto cũ præscientia ipsius præcipientis. Primò modò regulariter præceptũ non obligabit cum vitæ periculo; quia nõ adest intentio superioris præcipientis, cum nihil sit volitũ, nisi præcognitũ, nec etiam prçsumitur, cum in dubio quãdò præcepta humana intelligi possunt de maiori, & minori pœna, semper intelligẽda sint de minori *e. in pœnis, de reg.Iur.in 6.* Hoc autẽ limitatur, nisi esset valdè necessarium Religioni, vt res præcepta adimpleatur, venitq; oppositum in graue ipsius damnum, & præiudicium cederetur; quia in tali euentu dubio procul præceptũ obligaret, vel ex natura ipsius rei, vel ex implicita præcipientis voluntate, vt de Ecclesiasticis præceptis docent communiter Doctores. Quando autem periculum vitæ inest actioni præceptę per se, aut de facto hic, & nunc, cum præscientia Abbatis præcipientis; tunc clarè constat, ipsius volũtatem esse obligandi in conscientia ad executionem rei præceptæ, non obstante huiusmodi periculo, & nisi oppositum manifestè appareat, talis voluntas rationabilis præsumitur. Ità *Suar.vbi proximè.*

5 Non posset autem Abbas suis Monachis præcipere, vt exteris pestilentię morbo laborantibus, tùm in spiritualibus, quàm in corporalibus inseruiant, & si ità prçciperet, subditi non tenerentur suis mandatis obedire, imò licitè possent à loco, vbi epidimię morbus grassatur ad vitam saluandam aufugere. Ità *Caiet.2.2.q.26.art.5.Bann.ibi q.33.ar.3.d.dub.4. Roder. d.art.3. Nauar. in Manual. cap.24. num.11.* & alij, quos citat *Laur.de Peir. d. cap.11. dist.4.* quod procedit etiam in casu grauis necessitatis, vt si in Ciuitate, vel Oppido tanta esset infirmorum multitudo, vt Parochi ordinarij supplere non possent; quia quãuis pestis morbo ægrotãtibus Sacramenta, & alia necessaria ministrare, sit opus magnæ perfectionis, tamen non videntur Monachi ad id obligari, cum sit alienum ab eorum instituto, quod non est vitæ actiuæ, sed tantum contemplatiuæ incumbere.

QVAESITVM IX.

Vtrùm Abbas posit prçcipere suis subditis quę sunt contrà Deum, vel Ecclesiæ ordinationes.

SVMMARIVM.

1 *Præcipere Abbas non potest suis Monachis aliquid contrà praecepta Dei, vel Ius Canonicum, & Summorum Pontificum decreta.*

2 *Obedientiam propter nunquam malum committendum est, licèt aliquando bonum debeat intermitti.*

1 Respondeo, nullo modo posse Abbatem aliquid contrà præcepta Dei, vel Ius Canonicum, & Summorum Pontificum Decreta suis subditis iniungere. Probatur ex illo *Act. 5.* vbi dicitur, *obedire oportet magis Deo, quam hominibus.* Vndè *D. Hieron. in Epi-*

in Epistola ad Ephesios, ait. *Si Dominus ea iubet, quæ non sunt aduersa Sanctis scripturis, subijciatur Domino seruus. Si verò contraria præcipit, magis obediat spiritus, quam corporis domino*, & infrà. *Si bonum est, quòd præcipit Imperator, iubentis exequere voluntatem, si malum responde. Oportet Deo magis obedire, quam hominibus*, refertur in *cap. si Dominus* 11. q. 3. *& in cap. qui resistit, ead. c. & q. ait: D. Augustinus, si aliud iubeat Imperator, & aliud Deus, quid iudicatis? maior potestas Deus, da veniam, ò Imperator tu carcerem, ille gehennam minatur*. Idem habetur ex *gloss. super illud Pauli ad Romanos, qui potestati resistit Dei ordinationi resistit*, & *cap. non semper ead. caus. dist.* 9. *habetur etiam ex Augusti. non semper malum est, nō obedire præcepto, cum Dominus iubet ea, quæ sunt contraria Deo, tunc ei obediendum non est, & D. Bernar. in Epist. 7. ad Adam Monachū ait. Valdè peruersum est, profiteri te obedientem, in quo noueris superiorem, propter inferiorem idest, diuinam propter humanam soluere obedientiam, quid enim? quod iubet homo prohibet Deus, & ego audiam hominem surdus Deo? hinc Dominus in Euangelio Pharisæos increpans ait. Quare, & vos transgredimini mandata Dei propter traditiones vestras*. Idem habetur in *cap. si is, qui præest*. 11. q. 3. Vndè si Abbas præciperet subditis aliquid contrà mandata Dei, vt detegere crimen occultum fratris, nō seruato ordine fraternæ correctionis, vel præter mandata, vt dicere aliquid mendacium etiam officiosum. Subditi eiusmodi præceptis non obligarentur, ità *Antonin. 3. par. tit. 16. cap. 6. §. 7. Laurent. de Peirin. d. cap. 6. versic. ex quibus sequitur*. Sicut nec etiam teneretur subditus seruare, si quid præciperet Abbas, quod Ecclesiæ institutis obuiaret *cap. dilectus extra de tempor. ordinat.* vt si præciperet, quòd Monachus non obseruet ieiunium diebus, ab Ecclesia statutis, vel quòd Missæ sacrificium pro hæreticis offerat, vt *cap. si quis Episcopus* 11. q. 3. *S. Anton. loc. cit.*
2 quia nunquam propter obedienciā malum committendum est, quamuis aliquando bonum debeat intermitti *cap. quid ergò ead. caus. & q.*

QVAESITVM X.

Vtrùm Abbas possit præcipere aliquid suis subditis, quod sit contrà Abbatis Generalis, vel alterius Superioris præceptum.

SVMMARIVM.

1 *Inferior Abbas non potest quicquam contrà Abbatis superioris præceptum subditis imponere.*
2 *Lex superioris per inferiorem tolli non potest.*

1 Respondeo negatiuè. Ratio est, quia tolleretur ordo iurisdictionis Regularis à Summis Pontificibus in Religionibus distinctus, nec cognosceretur, Superiorem esse talem, nisi illi primo obediretur. Item si inferior aliud præter Superioris præceptum iniungeret, indè magna oriretur confusio, nec certa superioritatis ratio assignari posset. Ità *Hostien. in summ. tit. de maiorit. & obedien. nu. 6. §. & ad quid obediens Syluest. verb. obedientia num. 10. Tolet. lib. 8. cap. 15. num. 9. Reginald. in praxi lib. 17. num. 236. & lib. 18. num. 394.*

2 Probatur in *cap. qui resistit.* 11. *quæst.* 3. Superioris enim lex per inferiorem tolli non potest, *cap. inferiorem* 21. *distinct. Clemen. ne Romani de elect. & ibi gloss. verb. inferiorem*. Vndè si aliud præcipit Abbas localis, & aliud Abbas Generalis, vel alius superior, omisso præcepto Abbatis inferioris, Monachi tenentur Superioris præceptum adimplere, maior enim potestas minori præponitur ad obediendum *cap. qua contrà distinct. 8. vbi in fine dicitur*, quòd sicut in potestatibus Societatis humanæ, maior potestas minori præponitur ad obediendum, sic Deus in omnibus.

QVAESITVM XI.

Vtrùm Religiosus teneatur Abbati potius, quàm carnalibus parentibus obedire.

SVMMARIVM.

1 *Egredi à Religione potest Religiosus ad subueniendum parentibus in extrema necessitate constitutis, petita prius, licèt non obtenta licentia, imò contrà dicente Abbate.*
2 *Eleemosynam extremè indigenti tenetur facere Religiosus, etiam absque Abbatis licentia.*
3 *Filij professi obligatio quæ sit, ad subueniendum parentibus in graui necessitate constitutis.*

1 Respondeo dicendo. Primò, quòd si parentes sint in extrema necessitate constituti, & aliud remedium non superest, Religiosus tenetur eisdem potiùs, quàm Abbati obedire, & ad illis subueniendum potest à Religione egredi, petita prius, licet non obtenta licentia, imò contradicente, & reclamante ipsomet Abbate. Præceptum enim de parentibus honorandis est de iure diuino, & naturali, strictiorem, & potiorem inducens obligationem, quam quodlibet aliud Prælati præceptum, & propterea non debet hoc posterius, & minus obligatorium illi priori derogare, aut illud impedire. Tùm quia teneretur hoc
2 facere propter extremam necessitatem extranei, *arg. c. pasce 86. dist. & gloss. in cap. non dicatis 12. q. 2.* quæ dicit Regularem teneri facere eleemosynam extremè indigenti, etiam absque Prælati licentia, ergò multò magis filius, ob extremam parentum necessitatem, parentibus hoc præstare tenetur. Ità *Caietan. 2. 2. quæst. 101. art. 4. in solut. ad 4. Nauarr. in Comment. 4. de Regular. num. 48. & Enchirid. cap. 14. num. 14. Cordub. super reg. D. Franc. cap. 2. q. 6. in art. 2. Valent. tom. 3. disput. 2. q. 1. par. 2. Mirand. in Manual. Prælat. tomo 1. q. 26. art. 11. d. 3. Clau. Reg. lib. 7. cap. 9. nu. 13. Sanch. in decalog. lib. 4. cap. 20. num. 14.* vbi plures alios refert, & post eos *Reginald. lib. 20. nu. 12. Laurent. de Peirin. de Relig. subd. tomo 1. q. 1. cap. 9. dist. 2. Bonac. de præcept. in decalog. disp. 6. q. vnica punct. 5. num. 7. sancti. in thes. relig. lib. 6. q. 79. Suar. de relig. to. 3. tract. 7. lib. 6. cap. 69. num. 5.*

3 Si au-

3 Si autem parentes non essent in extrema, sed graui tantùm necessitate constituti, non liceret Monacho, absque Abbatis licentia, Religionem egredi ad subueniendum illorum necessitatibus; sed potest, & debet illis subuenire per modos licitos, qui non aduersentur suæ Regulæ, & professioni; Quia extrà necessitatem extremã non potest res vni tradita ab eo auferri, & alteri dari sicuti non potest filius auferre pecuniam Ecclesiæ traditam, vt cum ea succurrat, parentibus in graui tantùm necessitate positis, & Religiosus per professionem iam est traditus Religioni, & potestati sui Abbatis. Itá *Sanch. & alij apud eum loco citato num. 17. Bonacc. loc. cit. vers. dixi dum necessitas, faust. d. q. 79. num.* 2. Sed sistando in Religione nõ posset parẽtes à graui necessitate subleuare, puta quia Abbas nõ permitteret ipsum honestis artibus laborando modum subueniendi parentibus quærere; tunc petita venia, etiam contrà Abbatis voluntatem à Religione egredi debet ad huiusmodi graui necessitati subueniendum; Itá *Maior. in 4. d. 3. q. 16. Cordub in reg. D. Franc. cap. 2. q. 6. art. 2. op. 5 par. 3. Valent. tomo 3. disput. 7. q. 1. punct. 2. Laur. de Peirin. loco cit.* Et hoc procedit siuè extrema parentum necessitas præcedat, siuè sequatur professionem, vt benè aduertit *Azor. instit. Moral. tom. 2. lib. 2. cap. 3. q. 5. vers. quarè in hac controuersia, &c. ledesma de stat. Relig. in communi cap. 4. conclus. 8. dub. 6. Laurent. de Peirin. loco etiam citato vers. & hanc conclusionem.*

QVAESITVM XII.

Vtrùm in omni dubio, an res præcepta licita sit, nec ne, debeat Monachus suo Abbati præcipienti obedire.

SVMMARIVM.

1 Praeceptum an sit licitum nec ne tripliciter dubitari potest.

2 Speculatiuum aliud dubium, aliud practicum.

3 Obedire Monachus an teneatur Abbati, quando facta diligenti inquisitione, adhuc dubitat, an Abbas illud sub mortali praeceperit, nec ne.

4 Obedire an teneatur Religiosus in dubio, an res praecepta licita sit: & tunc tutior pars est eligenda.

5 Obedire tenetur Monachus quando sibi constat, praeceptum esse licitum, licèt dubitet, an excedat limites potestatis Abbatis praecipientis limita, vt n. seq.

7 Scandalum adnitandum tenetur Monachus Abbatis praecepta obseruare, etiam cum eius corporali incommodo quando dubitat an sint iniusta, ex authoritate.

8 Scandali vitandi ratio sufficit, vt literis Papae non obediatur.

9 Obedire Religiosus an teneatur Abbati de cuius legitima promotione dubitatur.

1 SVpponendum est, pro maiori huius quæsiti intelligentia, tripliciter dubitari posse an præceptum sit licitum, nec ne; Primò ex parte ipsius præcepti tantùm videlicet quandò clarè constat, Abbatem potuisse illud subditis imponere, nec dubium est de honestate rei præceptæ, sed solum an sit iniuncta. Secundò potest dubitari, an sit licitum nec ne id quod præcipitur. Tertiò potest venire in dubium an Abbas legitimam authoritatem ad id præcipiendum obtineat, scilicet an sit legitimè electus, vel confirmatus, vel verùm sit superior illius, cui præceptum iniunctum est.

2 Secundò præmittendum est, dubium esse duplex; alterum speculatiuum, & alterum practicum. Dubium speculatiuum contingit, quando in genere dubitatur, aliquid esse licitum, vel illicitum. Dubium practicum est, quando quis dubitat, an liceat sibi hic, & nunc aliquid agere, vel omittere.

3 His positis dicendum Primo, quod quando, facta diligenti inquisitione, adhuc Monachus manet in dubio, an Abbas aliquid præceperit sub mortali nec ne, tenetur Abbatis præceptis obedire; quia in dubio tutior pars est eligenda, *cap ad audientiam, & c. significasti el 2. de homicid. & cap. iuuenis de sponsal.* In hoc autem dubio tutior pars est Abbatis præcepta adimplere. Ita *Sylu. verb. dubium q. 2. num. 4. Vasq. 1. 2. disput. 65. cap. 3. per tot. & disp. 66. cap. 1. in princ. Salas. 1. 2. q. 21. tract. 8. disp. vnic. sect. 25. nu. 258.*

4 Quartò si verò Monachus dubitaret, an quod præcipitur sit licitum, nec ne, si dubiũ est speculatiuũ, & præceptum non sit contrà ea, in quibus ignorantia non excusat, tenetur Abbatis preceptum adimplere; quia in dubio superiori parendum est, *cap. 2. quid ergo 11. q. 3. & cap. quid culpat 23. q. 1.* vbi dicitur, milites tutè obedire Principi præcipienti bellum, quando illis non constat de Iniustitia belli. Probatur etiam ex verbis, *D. Bernard. in lib. de præcept. & dispens.* vbi sic ait *quicquid vice Dei praecipit homo, quod non sit certum displicere Deo, haud secus accipiendum est, ac si praecipiat Deus*; per illam enim negationem, *non sit certum*, non videtur requiri, vt positiuè sit certum, sed satis esse, vt sit dubium; ideò secundum prædictam regulam *D. Bernard.* in dubio parendum erit superiori; quia tunc non est certum displicere Deo, vt infra ipsemet declarat. Itá *Sanch. lib. 6. in decalog. cap. 3. num. 3.* vbi plures cumulat. Si autem dubium esset practicum, illo durante, non liceret, opus ab Abbate præceptum adimplere; quia facere aliquid cum conscientia practicè dubia, nunquam licet; quia operans aliquid cum dubio peccandi se exponit periculo peccati, de quo dubitat, at exponens periculo peccati peccat iuxta illud, *Eccles. 3. qui amat periculum peribit, in illo*, & ideo vt obedire liceat, oportet, tale dubium practicum deponere tanquam ab erronea Conscientia procedens, & firmiter iudicare, non obstante dubio speculatiuo, licitum esse obedire, opus præceptum exequendo, cum habet iustam causam deponendi practicè dubium, & operandi contrà dubium speculatiuum. Itá *Sanchez. d. cap. 3. num. 12 & Clau. Reg. lib. 1. cap. 13. num. 39.* Quòd si Monachus sciret, vel valdè dubitaret an Abbatis præcepto obedire, sit peccatum nec nè, esset autem certus, quòd non obediendo non peccaret; tenetur non obedire, quia absque rationabili causa se exponeret euidenti periculo peccandi; nec haberet aliquã iustam causam deponendi dubium secundũ, *Roder. quæst. reg. to 3. q. 19. ar. 5. Sãch. d. c. 3. n. 14. Salas. de leg. tract. 8. disp. vni, et sect. 17. n. 156. Peirin. de subdit. & Prael. to. 1. q. 1. c. 7. dict. 3.*

Quando

5 Quando item subdito constat, licitum esse id, quod præcipitur, quamuis dubitet, an præceptum sit iniustum ex authoritate, nempè quia excedit potestatem ipsius Abbatis præcipientis, obligatur nihilominus ad obediendum, quia Abbas non tenetur suis subditis de omnibus rationem reddere, præcipuè quandò patet licitum esse id, quod præcipitur; quia sic Prælatorum conditio durissima, subditorumquè status pessimus foret, vt considerant supracitati Doctores.

Quamois præceptum Superioris in dubio præsumatur iustum, ex *gloss. ver. iniquitas in cap. quid culpatur 23. q. 1. glos. ver. obedientiam in cap. ad aures, de tempor. ordinat. gloss. ver. mandato in cap. ex tenore, de sentent. excommunic.* attamen, vbi præceptum illud iniustum, durum, seu asperum apparet, vel ex eo sequitur absurditas, scandalum, seu inconueniens nullo modo est exequeodum; & tenetur, illud impediens, secundam iussionem expectare; ità per *tex. in cap. si quando de rescript. resoluunt Marant. disput. 1. num. 19. Menoch. de arbitr. cas. 334. num. 6. Clar. lib. 5. §. fin. quæst. 60. num. 16. vers. quaro modò, & quæst. 97. num. 3. Couar. practic. cap. 35. num. 6. & in regul. peccatum par. 1. in init. num 5. Sigur. de Aual. in Director. Iudic. Ecclesiast. par. 2. cap. 5. num. 3. cum seqq. Lancellott. Conrad. in templo omn. Iudic. lib. 1. cap. 1. §. 4. tit. de præstant. & potent. Imperat. vers. obedire in omnes debent, num. 16. Pertz. leg. 29. gloss. 1. vers. vnde contra prædictum rescriptum tit. 4. lib. 2. ordinam. Iacob de Graff in decis. aur. par. 1. lib. 2. cap. 10. à num. 21. Azeued. leg. 14. num. 33. cum seqq. tit. 3. lib. 1. noua recopil. & aly citati per D. August. Barb. in collect. ad d. cap. si quando num. 2. & latè in addit. ad eundem text.* pro quibus benè faciunt etiam illa, quæ ex *Innocent. in cap. inquisitioni de sentent. excommunic. refert Pinell. in rubric. C. de rescind. vendit. par. 1. cap. 2. num. 20. in final. verb. nempe,* quòd peccat obediens mandato iniusto Summi Pontificis, vel Principis, quando ex tali mandato oriuntur scandala, vel magnum damnum, de quo tamen vide *Couarru. in d. regul. peccatum par. 1. in init. num. 5. Ioann. Rotas sing. 148. Iacob. Simanc. de Cathol. institut. cap 45. nu. 34. cum sequentib. Azeued. d. leg. 14. num. 32. & 36.*

Vndè executorem supersedentem in executione alicuius rei tenere rescribere ad illum, à quo executio delegata est eidemque ostendere rationem, propter quam in executione non procedit probat *text. in d. cap. si quando, & in authen. de mandat. Princ. §. deinde competens coll. 1. & in authen. vt nulli Iudicum §. & hoc, coll. 9. & tradunt Palat. de benefic. in cur. vacant. §. 4. cum seqq. Sylu. ver. obedientia num. 5. Pudil. in l. causas, num. 4. C. de transaction. D. August. Barbos. in addit. in d. cap. si quando in princ.*

Non obstat *text. in cap. de castro, de sentent. & re iudic.* quia responderi potest, quòd licet in illius specie ab executore, de quo ibi referantur exceptiones à parte oppositæ ad ipsum delegantem, vt per eundem terminentur; id tamen non tollit quo minus possit, & teneatur considerans rem rescribere deleganti, si intelligat in executione sibi commissa dari iniustitiam, imminere scandalum, vel malum aliquod contra bonum publicum, exponendo eidem causam rationabilem, per quam mouetur, delegantem certiorem facere, vt ille, vel malum reuocet, vel per secundam iussionem iubeat fieri executionem.

Nec refragatur, quòd *tex. in d. cap. si quando,* agere videtur de mandato, in quo aliquid suppressum, aut expressum non fuit, patet ex fine illius, ibi *praua insinuatione suggestum,* idquè apertè supponit *gloss.* & scribentes ibi: constat autem executorem, ad quē dirigitur rescriptum subreptitium posse, & debere pronunciare illud esse omnino irritum, & in totum reijcere, nec teneri causam, ob quam non exequitur exprimere, seu reddere deleganti, vt probat *text. in cap. super literis 20. in fin. de rescript. & in cap. rescripta 25. quæst. 2.* quia respondetur, quòd *verba illa d. cap. si quando,* ibi *praua insinuatione suggestum,* non cuincunt *tex.* agere de rescripto subreptitio, quod ad partis petitionem emanare solet, iuxtà *regul. text. in cap super literis, de rescript. 20.* quòd *tex. in d. cap. si quando* loquitur absolutè de rescripto, patet ex principio, ibi *si quando aliqua, &c.* quin in initio *text.* necessariò supponit validitatem rescripti, de quo agit, & super quo vult, vt rescribatur prout manifestè colligitur, ex fine illius, ibi *patienter sustinebimus, &c.* Quæ quidem patientia necessariò supponit mandatum mero Iure validum, alias enim diceretur simpliciter ne mandatum exequeretur, iuxta *tex. in cap. ad aures, de rescript.* Eodem pariter modo intelligendus est *text. in cap. cum teneamur, de praben.* ibi *nisi fortè, &c.* iunctis inferioribus verbis, ibi *æquanimiter sustinemus, &c.* vt procedat in terminis habilibus, & ita agat de mandato valido secundum Iuris rigorem; veluti quia absquè partis petitione, vel licèt cum illa valida tamen, & sinè subreptione propter aliquam clausulam, vel motum legitimum, per quam secundum Ius subreptio tollitur, Pontifex mādauit conferri beneficium habenti aliud sufficiens, de quo mentio facta non est, cui tamen sine scandalo prouideri non poterat.

Restat nunc vt videamus, an & quando Superioris præcepta sub mortali obligant, in quo communiter apud omnes ferè Religiones obseruatur superioris præcepta ad mortale obligare cū fiunt in virtute sanctæ obediētiæ, vel sub obtestatione diuini iudicij, aut in virtute Spiritu sancti, seù sub pœna excōmunicationis maioris, etiamsi latæ sententiæ non addatur, nam si adderentur hæc verba subditus, præter peccatum mortale, excommunicationem etiam incurreret Ità *S. Anton. 3. par. tit. 6. cap. 1. §. 7. Caietan. Valent. Ledesm. vbi proximè Sanchez d. cap. 4. num. 4. vbi plures cumulat. Nauar. etiam in Man. cap. 23. num. 53. Sayr. in Clau. Reg. lib. 3. cap. 7. num. 242.* Verùm hoc est intelligendum supposita materię grauitate: si autē Abbas suo Monacho præcipiat in materia, quæ sit leuis in se, & secundum circumstantias illi annexas, sub quacumque verborum forma, etiā in virtute sanctæ obedientiæ, vel Spiritus sancti, præceptum latum sit, Monachus non tenetur sub mortali obedire, tùm quia leuis materia videtur incapax tantæ obligationis, tùm etiam quia neque diuina præcepta in leui materia ad mortale adstringunt, vt patet in furto leuis, & modicæ quantitatis, in verbis otiosis, & mendacio iocoso: ergo à fortiori

nec minùs humana, quæ vt sint iusta, & rationabilia, debent esse conformia diuinis, à quibus deriuantur. Quòd procedit etiamsi explicaret Abbas suam intentionem esse sub mortali obligandi: nequit enim id, quod suaptè natura lethalis culpæ incapax est, præcepto suo reddere capax. Ità *Salas de legib. disp. 10. sect. 6. num. 30. & sect. 9. num. 46. Sanch. in oper. Moral. lib. 1. cap. 4. num. 4. Azor. instit. Moral. par. 1. lib. 5. cap. 6. quæst. 5. Suarez de leg. lib. 3. cap. 25. num. 2. Reginald. lib. 15. num. 42. & alij.* Est autem obseruandum, quod præceptum, in quo est posita pœna peccati mortalis in materia leui, quàuis non habeat vim obligandi sub mortali, obligabit tamen saltem sub veniali; quia quod nō valet, vt agitur, valet saltem eo modo, quo valere potest; igitur præceptum, quod non potest inducere obligationem sub mortali in materia leui, obligabit saltem sub veniali; nam talis præsumitur intentio præcipientis, qui dum vult obligare plusquam potest. Ità *Suar. de legib. lib. 3. cap. 25. num. 6.*

Alia regula ad cognoscendum Abbatis intentionem fore sub mortali obligandi, est si eius ordinationes contineant in se verba præceptiua, vel prohibitiua, de quibus in *Clement. exiui de Paradiso §. cum igitur, de verbor. significat.* dummodo aliter non constet de mente ipsius præcipientis, vel nisi materiæ leuitas excuset, vt supra dictum est. Videatur *Suar. de legib. lib. 3. cap. 26. num. 6. Nauar. & alij superius adducti.* Præcepta autem simpliciter prolata etiam imperatiuo modo non obligant, nisi eo modò, quo obligant statuta, super quorum materia feruntur; vnde si statuta obligant tantùm ad pœnam, ad pœnam tantum obligabunt præcepta. Ratio est quia si Abbas vellet inducere strictiorem obligationem, illa, quæ est in statutis, adhiberet verba strictius præcipientia, vel prohibentia. Ità *Nauar. d. cap. 23. num. 49. vers. tertio, quod non obligant, Clau. Reg. lib. 3. cap. 7. num. 26. Castr. de leg. pœnal. lib. 1. cap. 5. Ledesm. de stat. relig. in communi cap. 4. conclus. 12.*

QVAESITVM XIII.

Vtrùm Monachus teneatur obedire Abbati, quem ob aliquod delictum accusauit.

SVMMARIVM.

1 *Obedire tenetur Monachus, pendente accusatione, Abbati à se accusato; dummodò ex tali obedientia non impediatur prosecutio accusationis.*

2 *Accusatus Abbas à Monacho pendente accusatione, debet abstinere ab omni processu contrà illum incohando, per quem impediri posset prosecutio accusationis contrà ipsum facta.*

3 *Obedientia exaltatur.*

4 *Obedientia nostra cur Deo grata sit, ostenditur.*

1 Etsi *Gloss. in cap. ex parte vers. aliàs rationabilis, de accusationibus* videatur negare; tamen re vera non est intelligenda, quod accusatione pendente non teneatur Monachus accusator obedire Abbati, vel alio suo Prælato à se accusato; Imò contrarium colligitur ex *cap. nonne 8. quæst. 4.* sed aduertendum est hunc locum sano modo intelligendum esse, nempe Monachum quidem teneri suo Abbati obedire, sed non quoad desistendum à prosecutione accusationis; tunc enim Monachus non tenetur obedire Abbati præcipienti, vt cum non accusaret, vel vt ab accusatione desisteret; ratio est, quia tunc præceptum iniustum esset, *can. Iulianus. 11. quæst. 3.*

2 Hinc est, quod Abbas accusatione pendente debet se abstinere ab omni processu contra subditum inchoando, per quem accusationis contra ipsum Abbatem factæ prosecutio posset impediri, *cap. olim de accusat. Ità Panormitan. d. cap. ex parte num. 4. & Felin. ibid. columm. 1. num. 1. sup. Gloss. in verb. obedire, Surd. de aliment. tit. 1. quæst. 127. num. 5. Sanchez in præcep. Decalog. lib. 6. cap. 2. in fine.* Plura alia circa hanc materiam plene tractat *Laurent. de Peirinis* ex Minimorum ordine Religiosus valde eruditus in suo *tract. de Religioso subdito*, aliaque ad hanc materiam conducentia cumulauit *August. Barbos. in collect. ad d. cap. ex parte, in fine, de accusationib.* quapropter ad alia properantes non est cur hac in re amplius immoremur.

3 De obedientia multa scripserunt Sancti Patres notatu dignissima, hæc est illa, vt asserit Augustinus, quæ concordiam conseruat in Angelis, pacem nutrit in monachis tranquillitatem generat in ciuilibus. Hæc est illa, sine qua Respubl. stare non potest, sine qua familia aliqua regi non potest; quam enorme vitium, quod obedientiæ contrarium fuit; per hoc Diabolus Cœlum perdidit, per hoc homo paradisum amisit, per hoc Saul Regnum, per hoc Salamon amorem diuinum. O Sancta Dei Sponsa obedientia, tu perfecta scala, qua Cœlum ascenditur, tu quadriga, qua Elias vectus est in Paradisum, tu porta Paradisi fidelium, & clausura reorum inferni, ò Sancta obedientia tu patientiam probas, tu mansuetudinem examinas, refert *August. Barbos. in collect. ad c. illud Dominus num. 3. de maiorit. & obed.*

4 Quod si curiosius indagare contenderis cur Deo grata sit nostra obedientia, responderi poterit tria esse humanorum bonorum genera, quæ quidem propter Deum potest homo contemnere; horum vero infimum exteriora sunt bona, medium bona corporis, supremum bona sunt animę, inter quæ præcipuū quodammodo est voluntas, in quantum scilicet per voluntatem homo omnibus alijs vtitur bonis, & ideo per se loquendo laudabilior est obedientiæ virtus, quæ propter Deum propriam contemnit voluntatem, quam aliæ virtutes morales, quæ propter Deum aliqua contemnunt bona.

Digitized by Google

DISPVTATIO XXI.

De officio, & potestate Abbatis, & aliorum Prælatorum Inferiorum quoad votum solemne paupertatis.

QVAESITVM I.

Vtrùm Abbas possit suis Monachis proprium habendi facultatem concedere.

SVMMARIVM.

1 *Proprium quid, & quotuplex sit.*

2 *Proprium habendi, licentiam suis Monachis non potest Abbas concedere.*

3 *Pœna contrà proprietarios à sacris Canonibus constituta.*

RAtio dubitãdi est. Primò, quia reperitur in iure concessum Monachis, vt habeant peculiũ, vt c. *Monachi ad finem, & c. cum ad Monasteriũ 6. tales de stat. Monac.* sed peculiũ est idem, quod paruũ pecus, nam antiqui patrimoniũ in pecoribus habebãt iuxtà *gloss. in rubr. ff. de pecul.* ergò Monachi iure possunt habere quid propriũ. Secũdò probatur exemplo Monialium, quæ sunt verè Religionem professæ, sicut & Monachi; sed Monialibus iure permissum est, possidere census annualesq; redditus sibi à suis parentibus, siuè propinquis assignatos, vt per *Innoc. & Host. in d. c. cum ad monasterium, de stat Monac. & Io. Andr. & Abb. ibid. Sylu. verbo Religio 6. q. 7.* & colligitur ex c. *de viduis, & c. insinuante 27. q. 2.* ergò sequitur, quòd eadem ratione etiam Monachis licebit, in particulari quid proprium habere.

Pro clariori huius quæsiti, & totius disputationis 1 intelligentia supponẽdum est cum *Nauar. in com. 2. de regular. nũ. 15.* Proprium in hac materia esse duplex. Alterum, quod est proprium quoad verũ dominium, & veram proprietatem, qualem habent seculares habentes in suis rebus ius dominij, quòd consistit in authoritate, & facultate disponẽdi de ijs pro libito, & arbitratu suo iuxtà *c. quo iure 8. dist. & tot. tit. ff. de acquir. rer. domin.* Alterum quod est proprium alicuius quo ad Ecclesiasticã, & liberam administrationem, qualem habẽt beneficiati Ecclesiastici, quod alio nomine peculium dicitur, de quo latius in quinto quæsito agemus, quærendo an Abbas possit Monachis peculium concedere.

2 His sic positis, dicimus, quòd proprium primo modo sumptum, & prout dicit ius dominij cum potestate disponendi ad suum libitum, Monachus, nec etiam ex sui Abbatis licẽtia habere potest, vt probatur primo ex *Conc. Lateran. sub Alex. III. par. 1. c. 10.* & habetur in *cap. Monachi de statu Monach.* vbi statuitur *quòd Monachi peculium non permittantur habere*, quod est intelligendum de peculio, quod conceditur in commodum, vel damnum accipientis cum facultate disponendi pro libito in quoscumquè vsus, etiã prophanos. Item per *Conc. Oxonien. sub Innocen. III. can. 49.* dicitur, quòd Non licet viris Religiosis, aliquod proprium possidere, qui se, & sua pariter in ipso Religionis ingressu Domino dedicarunt, & idem *Innoc. III. d. c. cum ad Monasterium* scribens Abbati, &

Conuentui Sublacen. ait: *Prohibemus districtè in virtute sancta obedientia, & sub obtestatione diuini Iudicij, ne quis Monachorum proprium aliquo modo possideat*, quod fortius probatur ex verbis positis in fine eiusdem *cap.* vbi sic dicitur, *nec extimet Abbas quod superhabenda proprietate possit cum aliquo Monacho dispensare, quia abdicatio paupertatis, sicut custodia castitatis adeò est annexa Regulæ Monachali, vt cōtrà eam, nec summus Pontifex possit licētiā indulgere*, idipsum habetur in *Conc. Trid. sess. 25. de regular. c. 2.* vbi dicitur. *Nemini Regularium, tàm virorū, quàm mulierum liceat, bona mobilia, vel immobilia cuiuscunquè qualitatis fuerint, etiam quouis modò ab eis acquisita, tamquam propria, aut etiam nomine Conuentus possidere, vel tenere; sed ea statim superiori tradantur, Conuentuiquè incorporentur.*

Neque dici potest, quòd prædicta Iura sint de consilio, non autem de præcepto, nā quòd sint de præcepto, patet. Primò ex ijs verbis *d. c. cū ad Monasteriū, in virtute sancta obedientia, & sub obtestatione diuini Iudicij*, quæ verba esse præceptiua, & obligare in conscientia ad mortale probauimus suprà agendo de voto obedientiæ. Secundo parèt ex eo; quia in eisdem
3 Iuribus valdè graues pœnæ contrà transgressores apponuntur, nam in *Concilio Lateranen. vbi suprà statutum est. Vt si Monachi peculium habuerint, etiam in vita ab Altaris ministerio remoueantur; & qui in extremis peculium habere inuentus fuerit, nec oblatio proficiat, nec recipiatur in sepultura fratrum*, & Gregorius Nonus in Constitutionibus Benedictinorum præcipit, quòd promulgetur sententia excommunicationis in proprietario, & Innocent. III. *d. cap. cum ad Monasterium* statuit quòd si proprium apud quēquam Monachorum aliquo modò inuentum fuerit in morte, ipsum cum eo in signum perditionis extrà Monasterium in sterquilinio sepeliatur. Ex quibus ità grauibus Canonum pœnis satis constat, non ad consilium, sed ad præceptum sancitas esse leges in eis contentas. Dicendum ergò erit Abbatem non posse permittere suis Monachis, vt proprietatem habeāt, quia est contra essentiale vitæ Monasticæ, circà quod non fertur Abbatis potestas; quod, vt suprà diximus, intelligendū est de proprio primo modò sumpto, prout dicit dominiū rei absolutum, & ab alijs independens; & ità intelligenda sunt iura secundo loco allegata. Rationes autē, & Canones, quos primo loco allegauimus, locum habent in peculio, quod est destinatū à superiore suis Monachis ad aliqua certa, & determinata comparāda, vt libros, vestes, & his similia, quòd possunt habere Monachi de consensu, seù licentia tacita, vel expressa eorum Abbatis; ità videtur loqui *c. non dicatis. 12. q. 1.* videatur *Nau. vbi sup. Graff. decis. aurear. 1. par. lib. 3. c. 5. n. 55. Sylu. verb. religio 6. q. 7. Sanch. lib. 7. in Decalog. c. 22. num. 12.* & communiter *Doct.* & de hoc agemus inferius late.

QVAESITVM II.

Vtrùm Monachis ab initio, vel tractu temporis, proprium, absque Abbatis licentia, retinere, interdictum fuerit.

SVMMARIVM.

1 *Proprium habere Monachis nunquam licuit.*

2 *Proprietarius repertus Monachus quidam in fine Mortis à D. Machario, & alijs simul cum pecunia sepultus.*

3 *Paupertatis votum ab initio Religionum substantiale fuit.*

4 *Responsio ad argumenta.*

Videtur dicendum, quòd rerū proprietas non ab initio, sed tractu temporis Monachis, absq; Abbatum licentia, interdicta sit; vt patet ex eo; quia antiquitus Monachis testamenta condere, & ipsorū bona testamēto legare permissum erat; vt patet ex *l. generali C. de sacros. Eccl.* vbi firma, & rata habētur testamēta Monialiū facta ad pios vsus, & *c. perlatū 19. q. 3.* à *D. Gregorio* cōmēdatur virtus cuiusdā Monialis, quæ cum posset liberè suis fortunis vti, eas tamē Monasterio legauit: ergò Monachis antiquitus rerū dominia in particulari retinere permissum erat, alias enim testamenta condere non potuissent. Nec obstat quod hæc Iura de monialibus, non autē de Monachis loquantur; quia idē de Monachis habetur in *l. si quis C. de Episc. & Cler.* vbi statuitur Monachorum bona, ac etiam Clericorum, & Monialiū ab intestato decedentiū Ecclesiæ, vel Monasterio donāda esse, quę omnia Iura postea correcta, & abrogata, & à Monachis rerum dominia sublata, ac eorum Monasterijs pleno Iure tradita fuisse ait *Salic. in auth. nunc autem C. de Episc. et Cler.* vt refert *Gabr. Vasq. 1. 2. disp. 265. c. 6.* videtur igitur rerū proprietatem non ab initio, sed post aliquod tempus Monachis fuisse prohibitam.

1 Contrarium tamen probatur ex dictis, & Regulis Sanctorum Patrū, Basilij, Hieronymi, Augustini, & D. Patris Benedicti, omnes enim Religionū Patriarchæ in eorum Regulis rerum dominia, & proprietatem à suis Monachis summo studio abdicarunt. Nam *D.*
2 *Basil. lib. de Monast. inst. c. 25.* cuidā interroganti, an inter Fratres deberet aliquis propriū habere, respōdit. *Nemo ex eis quidquam suorum proprium dicebat; si quis ergò proprium sibi esse dicat, sine dubio alienum se facit ab electis.* Et in Epistola ad Ascetiam ait: *Monachum oportet, cum primis nihil in vita, quod inter sua proprium sit possidere, & in q. breuior. q. 85. & 87. In societate fratrum nihil priuatī habere debet.* Videamus quid de Monachorum proprietate abdicāda dixerit D. Aug. ipse nimirum *epist. 109.* sic scribit. *Primum, propter quod estis in vnum Cōgregati, est vt sit vobis cor vnum, & non dicatis vos aliquid habere proprium, sed sint vobis omnia communia*, vndè desumptū est Canon *non dicatis 12. q. 1.* Atque D. Pater Benedictus in *Reg. c. 33. de proprio Monachorum*, sic incipit. *Præcipuè hoc vitium radicitus amputaretur de Monasterio nequis præsumat aliquid dare, aut accipere sine iussione Abbatis, neque aliquid habere proprium, &c.* & *S. Hieron. epist. 22. ad Eustoch. de virginit.* scribit ità arctè paupertatis professionem sui temporis Monachis fuisse, vt nemini, vel necessaria petere liceret tametsi superiores diligenter inuigilabant, ne cui aliquod necessarium deesset, dicēs. *Quia non licet dicere cuiquam tunicam, & sagum textum iunceis serata non habeo; ille ità vniuersa moderatione, vt nemo quid postulet, nemo non habeat.* Ibi-
2 dē scribit aliquando in Monasterio quodam Nitriæ repertum fuisse Monachum iam moriturum, qui pe-

cio

Digitized by Google

ſcio quot ſolidos ſibi retinuerat, vndè Macharius, Iſi-
dorus, alijq; Sancti in vnum congregati voluerũt, vt
cũ defuncto pecuniæ infoderentur, clamantibus om-
nibus, *pecunia tua tecum ſint in perditionem*. Item
Io. Caſſianus lib. 4. de inſtitutis renunciantium c. 13.
a:ſ. Illam virtutem inter cæteras eorum inſtitutiones,
vel commemorare, ſuperfluum puto, quòd ſcilicet nulli
peculiarem ſportellã liceat poſſidere, nec tale aliquid,
quod velut proprium retinens ſuo debeat cõmunire ſi-
gnaculo. Hæc, & alia multa de antiqua Monachorum
paupertate refert *Card. Bellarm. to. 1. diſp. de cõtrou.*
Chriſt. fid. lib. 2. de Monachis c. 20. Ex quibus omni-
bus nobis manifeſtum relinquitur antiquos Religio-
nis inſtitutores à principio proprietatis dominium
ſuis Monachis non ſolum non permiſiſſè, verum etiã
3 expreſſè prohibuiſſe. Imò Paupertatis votum ab ini-
tio Religionũ ſubſtantiale fuit. Nec obſtant argumẽ-
4 ta in contrarium adducta, nam illa iura, quæ Mona-
chis teſtamenta condere permittebant, etſi verè de
Religioſis intelligantur, tamen de Nouitijs cenſenda
erunt procedere, nõ autem de profeſſis, cùm nihil in
eis extet, neceſſario cogens ad exiſtimandum, illa po-
tius loqui de Religioſis profeſſis, quam de Nouitijs.
Nam poteſtas teſtãdi, quæ in illa *l. ſi quis*, Monachis,
Viduis, ac Clericis tribuitur, Nouitijs potius, quàm
profeſſis conceſſa eſſe intelligitur. Nam Nouitij ſi-
cut, & Clerici, & viduę teſtandi facultatem habẽt, itá
etiam verba *d. l. generali C. de ſacroſ. Eccl.* communia
ſunt Religioſis, tàm Nouitijs, quam profeſſis, vt pa-
tebit legenti. Idem eſt de eo, quod habetur ex *d. cap.*
perlatum. Nam ibi eſt ſermo de muliere Monaſteriũ
ingreſſa, quæ ante profeſſionẽ de ſuis bonis, diſpone-
re poterat, prout fecit, illa Monaſterio, quod ingreſſa
erat, donando: non autem de Religionem profeſſa, de
quibus noſter ſermo eſt in præſenti: Vel melius re-
ſpondetur, illud relatiuum (ſibi) non eſſe referendum
ad Petronillam, ſed ad Monaſterium, vt ſenſus *d. c. ſit*
quamuis bona d. Petronillæ Religionem ingreſſæ de
Iure Monaſterio competerent, tamen ad maiorem
cautelam fuiſſe etiam eidem à d. Petronilla ſpeciali
donatione collata, quod D. Gregorius approbauit,
prout exponunt *Gloſſ. & reliqui Commentatores d. c.*
perlatum, itá *Suar. de Relig. to. 3. lib. 8. c. 7. n. 30. Anto.*
Perez. in comment. reg. D. P. Bened. ſuper c. 33. à n. 24.
vſque ad 42. incluſiuè.

QVAESITVM III.

Vtrùm Monachi, abſquè Abbatis licentia poſ-ſint aliquid ab alijs accipere.

SVMMARIVM.

1 *Paupertatis contra votum peccat Monachus aliquid ab alio accipiens, abſque Abbatis licentia, animo vtendi illo pro ſua voluntate, niſi materia leuitate excuſetur.*

2 *Monachus retinere non poteſt bona data ſibi cum conditione, vt poſſideantur ab ipſo independenter ab Abbate, alias reuertantur ad dantem.*

3 *Quid, ſi ab alijs eiuſdem Conuentus Monachis acceptat.*

4 *Religioſus accipiens à Conuentu, vel externis neceſſaria ad victum, & veſtitum, abſque Abbatis licentia, vt prouideat ſua neceſſitati, cui Abbas non proſpicit, non peccat, & num. 5.*

5 *Religioſus amicum aliquid ſibi dare volentem rogans, vt det alteri, an peccet.*

1 Regulariter, quando Monachus accipit, vel reti-
net aliquid ab alio datum abſque expreſſa, vel
tacita ſui Abbatis licentia, animo vtendi illo pró ſua
voluntate, agit contrà votum Paupertatis, & ideo in-
cidit in peccatum mortale: niſi ex leuitate materiæ
excuſetur, vt ſentiunt *Nauar. in commen. 2. de regul.*
in pluribus locis, Roderic. q. regular. to. 3. q. 29. art. 10.
concl. 6. Miranda to. 1. Man. Pral. q. 28. ar. 16. Sanch.
in decalog. lib. 7. c. 19 n. 45. Suar. de relig. tom. 3. lib. 8.
c. 11. n. 1. Reginald. lib. 18. n. 400. & communiter Do-
ctores in cap. cum ad Monaſterium de ſtatu Monach.
& conſtat ex text. eiuſdem cap. vbi poſtquam interdi-
citur Monachis proprium habere, ſubditur, *quod ſi*
quicquam alicui fuerit ſpecialiter deſtinatũ, non præ-
ſumat illud accipere, ſed Abbati, vel Priori, vel Celle-
rario aſſignetur, quòd idem eſt, ac ſi diceretur, acci-
pere aliquid, abſque Superioris conſenſu, eſſe contrà
Paupertatis votum. Et ratio eſt; quia Monachus Pau-
pertatis voto adſtringitur, ad nihil habendũ, vt pro-
prium, ideſt proprio nomine, ſed nomine Abbatis, ac
cum eius voluntate, *c. non dicatis, 12. q. 1. Conc. Trid.*
ſeſſ. 25. de regular. c. 2. & accipiens aliquid ſinè Abba-
tis licentia, recipit propria voluntate, ac proprio no-
mine, & per conſequens facit contra Paupertatis vo-
tum. Patet id ipſum ex *Conc. Trid. d. c. 2.* vbi poſtquam
prohibet Regularibus, poſſidere, vel tenere aliqua
bona tanquam propria, inquit, *ſed ſtatim ea Superio-*
ri tradantur, tradere autem cenſetur moraliter Re-
ligioſus ea bona ſuo Abbati, quę ipſius nomine, atque
auctoritate accipit, ac retinet, petens ab eo licentiã,
& conſenſum illa retinendi, vt docet *Suar. citat. c. 11.*
n. 2. Vnde ſi ea bona ſimpliciter, & abſolutè Monacho
tradita ſunt, acquiruntur non Religioſo, ſed Mona-
ſterio, ac debent ſtatim Superiori tradi, & Monaſte-
rio incorporari; quia quicquid acquirit Monachus
Monaſterio acquirit *c. ſtatutũ 18. q. 1.* ſicut quicquid
ſeruus acquirit, Domino acquirit in hoc enim ſer-
uus, & Monachus æquiparantur, vt docent commu-
niter *Bald. Felin. & alij, quos refert, & ſequitur Na-*
uar. comment. 2. de regular. nu. 30. imò ſecundum *Pa-*
norm. in c. 2. n. 8 de ſtat. Monach. Religioſus eſt magis
aſtrictus Monaſterio, quam ſeruus Domino; quia ſer-
uitus ſpiritualis eſt ſtrictior, quàm corporalis *c. mul-*
2 *tos 54. diſt.* Si verò dentur Monacho, cum cõditione,
vt non acquirantur Monaſterio, ſed poſſideantur ab
ipſo donatario, independẽter ab Abbate, aliás reuer-
rantur ad donantem, non poteſt Religioſus talia bo-
na apud ſe retinere, ſed tenetur reſtituere verò Do-
mino, ideſt ei, qui donauit, quia ille nunquã dominio
ſe ſpoliauit cum ſufficientem ad id voluntatem non
habuerit, vt docẽt *Roder. q. reg. to. 3. q. 29. ar. 10. concl.*
6. Sanch. in decal. lib. 7. c. 19. nu. 45. Suar. c. 11. nu. 33.
3 Et hæ rationes militant, ſinè Monachus aliquid ab
extraneis, ſiuè ab eiuſdem Monaſterij Religioſis ac-
cipiat animo, & voluntate vtendi, ſinè Abbatis
conſenſu, etiam ſi id, quod datur, eſſet dantis vſui
à Superiore conceſſum; quia Monacho res à ſuo

Abbate conceditur, vt ea ipse vti possit, non autem vt in alium huiusmodi vsum transferat suo nutu absque expressa, vel racita Abbatis licentia, vt docet *Azor. par.1. lib.12. cap.12.q.7. Less.de iust. & iur. lib.2.cap.41.dub.9.num.29.vers.sexto non potest, Sanch. d cap.19. num.46.*

4 Non peccarent autem Monachi, absque Abbatis licentia, accipientes aliqua, quæ ad vsum priuatorũ Religiosorum sunt necessaria, vt cibaria, seù medicinas aut vestes, adhoc, vt suæ necessitati prouideant, si Abbas necessitate proposita, adhuc ea concedere renuerit. Ratio est; quia Abbas huiusmodi necessaria suis Monachis tenetur dare, cum ea bona constituta sint ad necessaria subditis ministranda, & inique agit ea denegando, & non dispensando fideliter, & prudẽter, vnde subditis licet sibi aliundè prouidere. Et ità tenent *Roderic. d. art.10. vers. aduertere tamen debent, & in Summa par.2.cap.32.Sayr.in Clau: Reg. lib.9.cap.16.num.20.Lauren.de Peirin.tom.1.de subdito q.2.cap.2.§.4. vers. possunt tamen Sanch. d.c.19. nu.54* Et est notandum quòd Monachus potest, huiusmodi necessaria, aut pecunias ad ea emenda tàm ab extraneis, quàm à proprijs Conuentus redditibus accipere; quod postremum intelligitur, quando Monasterij redditus necessarios, & sufficientes ad subditorum necessitatibus prospiciendum haberet: tamen Abbas malitiosè licentiam denegaret, aut falsò, non credens, necessitatem sibi propositam adesse; quia tunc Monachus potest, illa vsurpare: Monachus autem tunc censetur, necessitatem habere, quando eius paupertas est maior, quam Religiosa paupertas requirit, vt docet *Sanch.d. num.54. circà med.* Si autem Monasterij redditus, ad huiusmodi necessitatibus subueniendum nõ sufficerent: eo quòd esset paupertate oppressum, & ideo destinatum esset id, quod singulis Monachis, iuxta Conuentus facultates, tradendum foret; non liceret tunc Religioso, aliquid ex Communitate ipsius Conuentus, ad sibi prouidendam vsurpare, absque proprietatis vitio, in eo enim casu Abbas iustè licentiam denegat; quia neque pater, neque maritus, qui filios, & vxorem alere tenentur *l.si quis à liberis ff.de liberis agnoscen.l.final.C.de diuort.* ad id obligantur, si necessarias facultates non habent *Bald.in l.vnica §.sed scimus, in fine C.de latina libert.tollen.Surd.de aliment.tit.7.q.35.in fin.*

5 Nec peccaret contrà Paupertatis votum Monachus, si absque Abbatis licentia, amicum sibi aliquid donare volentem roget, vt det tali consanguineo, vel alteri personæ, non intendens se rem oblatam acceptare; quia cum non acceptasset, nihil ipse donat, sed tantum intercedit, vt alius donet: quæ intercessio nihil Paupertatis voto obstat, secus autem esset, si expressè, vel tacitè rem oblatam acceptaret, & postea peteret dari consanguineo, vel alteri; quia post quam acceptauit, ipse re vera donat, ac donum illud mittit suo consanguineo per manum ipsius donãtis; quod facere non potest immunis à culpa, absque Abbatis auctoritate; quia id esset alienare, quod per suam acceptationem Monasterio acquisitum fuit, ità *Sanch.d.cap.10 num.74.& lib.6.de matrim.disput.4. num.7.Laurent.de Peirin.d.§.4. vers. neque facit.*

QVAESITVM IV.

Vtrùm Monachus res, cum Abbatis licentia acceptas occultans, ità vt non possint ab ipso Abbate inueniri, peccet.

SVMMARIVM.

1 *Paupertatis contra votum peccat Religiosus occultans Superiori bona, quæ de eius licentia accepit, timens, ne auferantur,*

2 *Paupertatis contra votum non facit Monachus, qui celat bona à Superiore, dubitans nè verecundiam, & confusionem patiatur.*

3 *Paupertatis votum offendit Monachus retinendo aliquid sub claue sine Abbatis licentia.*

Vidimus in antecedenti quæsito, Monachũ, absq; expressa, vel tacita Abbatis licentia aliquid accipiendo, facere contrà Paupertatis votum, & ideò incidere in peccatum mortale, nisi materiæ leuitate excusetur, sequitur explicandum, vtrum postquam res sibi traditas, cum eiusdem Abbatis licentia, acceptauit, eas posteà occultando peccet.

1 Ad quod dicimus, quòd si Monachus huiusmodi res occultat absolutè, itàut omninò lateãt, nulli dubium est, quin faciat contrà Paupertatem, & retentio talium bonorum incipiat esse proprietaria. Quia & si licentia priùs ab Abbate concessa non sit reuocàta, per huiusmodi occultationem fit, vt eius effectus cesset; quia bona non retinentur ampliùs ex vi illius, sed ex proprio arbitrio; tum etiam, quia Abbas non concessit licentiam Religioso, ad retinenda illa bona proprietario modo, quod Religiosus facere incipiet ea occultando; quia priuat Superiorem facultate disponendi de illis, & ea auferendi, si velit; tùm quia sic debet vti re accepta, vt Abbas de ea dispone re possit, ad quod requiritur, vt ei res ipsa manifestetur. Atque ità sentiunt *Panorm.in cap.cum ad Monasterium num.8. de stat. Monach. & cons.88. par.1. num.3.& in cap.Ioannes num 6. de regular. vbi cum Ioann. Andr.notat,* in eo textu reprobari peculium in Monacho: peculium autem declarat, in Monacho illud dici, quod habet, ignorante superiore, vel eũ animo non dimittendi, illud ad libitũ, seù iussum Superioris, quem animum ostendit Monachus rem aliquã suo Abbati occultans, ità etiã tenent *Roderic. quæst. regular.to.3 q.39.ar.10.concl.5.Sanch. lib.7.in decal. c.19 n.60. vbi plures cumulat Suar.de Relig.to.3.lib. 8.c.12.n.6.Reginald.in prax.lib.18. n 401. Laur.de Peirin.to.1 de subd q.2.c.2.§.4.dict.2.* Hoc autem est intelligendum quando Religiosus occultat, timẽs ne
2 Abbas ipsum ea re occultata spoliet; secus verò, quãdò non timet, se ea esse spoliandũ, sed occultat, ne cõfusionem, & verecundiam patiatur, vel ab Abbate reprehendatur, quod ex solo eius cõsensu probabiliter præsumpto ea receperit, vel ad occultandũ proprietatis vitium commissum eo, quòd sine licentia, bona illa acceperit: paratus tamen illa dimittere, vel obtinere facultatem ad habendum vbi primum fuerit opportunum, non publicato eius peccato. Ità *Cordub.in Reg.D.Franc.c.7.q.4. Roderic.d. consil.5. Sanch.d. c.19 n.61. Laur.de Peir.d.§.4.vers.penult.*

3 Ex his

3 Ex his infertur, quòd retinere aliquid claui obſeratum, ſine Abbatis licentia, animo occultandi ne ab Abbate auferatur modo prædicto, eſt peccatum, cōtra Paupertatem; etiam ſi res ipſa cum licentia habeatur, vt ait *Cordub. loco cit. cap. 6. q. 9. Greg. Lop. in l. 14 tit. 7. par. 1. clarè Gerſon. Alphab. 23. lit. R.* hoc autem eſt intelligendū, ſi Monachus, abſque expreſſa, vel tacita Abbatis licentia, ſub claui rem cuſtodiat, animo illam occultandi, & retinendi modo ità proprio, & particulari, vt non Communitati, ſed ſibi ſoli eam reſeruet, itáut Abbas non valeat, liberè de illa diſponere, quæ eſſent expreſſa proprietatis indicia; Ita loquuntur authores citati. Si autem Monachus, de licentia ſui Abbatis legitimè obtenta, iuxtà regulam, vel probatam conſuetudinem ſuæ Religionis clauem teneat, cum propoſito, omnia relinquendi ad Superioris nutum, & clauem tradendi, quandocumque ab Abbate petatur, non poſſet proprietatis vitio accuſari, quia tunc clauem non proprio, ſed Superioris nomine tenret. Ita docet *Suar. de Relig. tom. 3. lib. 8. cap. 12. num. 8. & 9.*

QVAESITVM V.

Vtrùm liceat Abbati, ſuis Monachis peculium concedere?

SVMMARIVM.

1 *Peculium quid ſit?*
2 *Peculium, pro vt includit bona mobilia, poteſt Abbas ſuis Monachis concedere.*
3 *Peculium, quod includit bona immobilia, quotuplex ſit?*
4 *Peculium Abbas non poteſt Religioſo primò, & ſecundò modo ſumptum concedere.*
5 *Peculium ad ſui nutum reuocabile, ex iuſta cauſa, & ad honeſtos, & pios tantùm vſus Abbas de Iure communi ante Concilium Tridentinum poterat ſuis Monachis concedere.*
6 *Peculium ad ſui nutum reuocabile poſt Concilium Tridentinum Abbates non poſſe Monachis concedere quorundam opinio.*
7 *Peculium ad ſui nutum rationabile Abbates etiam poſt Concilium Tridentinum poſſunt concedere ſuis Monachis.*
8 *Peculium ad vſus indeterminatos, & ità vt pecunia maneant penes ipſum Religioſum, cui peculium conceſſit, Abbas Monacho concedere poteſt.*
9 *Adminiſtratio aliquorum bonorum ſtabilium, ad nutum Abbatis amouibilis iuſta cauſa Religioſo concedi poteſt: Nec non etiam ſenibus, vel infirmis, ac de Religione benemeritis aliqui annui redditus.*
10 *Peculium, Religioſo concedendum debet eſſe moderatum, non ſuperfluum.*
11 *Superfluum, quid dicatur.*
12 *Peculium tale ad licitè retinendum an ſemper opus ſit, a ſuperioribus ſucceſſoribus licentiam petere.*

PRo huius quęſiti intelligentia ſupponendum eſt Primò, quid ſit peculium, de quo ſuprà in primo
1 quæſito dictū eſt, videlicet, quod peculium nihil aliud eſt, niſi parua pecunia, vel paruum patrimonium, à pecunia enim deducitur; Nam vt habetur *in cap. totum 1. q. 3.* olim totum, quod quis in ſuo patrimonio habebat, pecuniæ nomine vocabatur, & quia veteres patrimonium in pecoribus habebant, dictum eſt peculium, quaſi paruum pecus. Vndè nomine peculij veniunt tam bona mobilia, quàm immobilia, vt ait *Azor. inſtit moral. par. 1. lib. 12. cap. 9. q. 1. verſ. annotandum eſt in fine.* Peculium, prout includit bona
2 mobilia, nemo dubitat, poſſe Abbatem ſuis Monachis concedere ad vſus neceſſarios, & etiam ad opera pia, vt v. g. veſtes, libros, & ſimilem ſuppellectilem, quæ Paupertatis ſtatui conueniat, omni careat ſuperfluo, vt ait *Conc. Trid. ſeſſ. 25. de regular. cap. 2.* nec non etiam aliquam quantitatem pecuniæ; Quam eſſe communem *Doct. ſententiam, aiunt Leſſ. de iuſt. lib. 2. cap. 4. dub. 5. nu 33. & Sanchez in decalog. lib. 7 cap. 22. num. 1.* & de huiuſmodi peculio non eſt ſermo in præſenti quæſito; ſed de peculio, quatenus includit
3 aliqua bona immobilia, ſeu ſtabilia. Hoc autem peculium triplex eſſe poteſt. Primum quod eſt ità conceſſum Religioſo, vt nequeat à Superiore reuocari. Secundum, quod Abbas reuocare quidem, & impedire poteſt, ſed eſt conceſſum Monacho, vt ad quoſcumque ſiuè neceſſarios, ſiuè ſuperfluos vſus illud expendere poſſit, vel etiam ad honeſtos tantùm vſus, ſed abſque vlla iuſta cauſa conceſſum eſt. Tertium, quod aliqua legitima cauſa, & ad honeſtos, & pios tantùm vſus conceditur, ità tamen, quòd ſit ad Superioris
4 nutum reuocabile. Peculium primò modo, omnes conueniunt, non ſolum ab Abbate, ſed nec a Summo Pontifice concedi poſſe Monacho in Religione manenti, quia id eſſet, efficere illum proprietarium, vt probatur, *in cap. cum ad Monaſterium, & ibi gloſſ. de ſtat. Monach.* tum quia dare licentiam irreuocabilem, virtualiter eſſet, in voto paupertatis diſpenſare, quod Abbas facere non poteſt. Ità *Angel. in ſumma verb. Abbas num. 27. Roſella, ibid. num. 20. Sylu. num. 6. dict. 7. Turrecrem in cap. non dicatis art. 2. n. 3. 12. q. 1. Cord. in ſumma q. 54. not. 2. Suar. de relig. tom. 3. lib. 8. cap. 12. num. vltim.* & alij, quos citat, & ſequitur *Sanchez in decalog. lib. 7. cap. 17. num. 28.* Peculium ſecundo modo, nec etiam poſſe ab Abbate ſuis Monachis concedi, docet idem *Sanchez d. lib. 7.*
5 *cap. 27. num. 2.* De peculio denique Tertio modo ſumpto, verùm poſſit ab Abbate Monachis concedi, videndum eſt in hoc quæſito, ſuper quo dupliciter dubitatur. Primo an id licuerit de iure communi, antè Concilium Tridentinum; ſecundo an liceat poſt illud. De priori tempore quamuis aliqui negent, eſt tamen communis Doctorum ſententia, quòd liceat Prælatis Regularibus, concedere ſubditis licentiam, habendi hoc peculij genus, eam tenet, *Innoc. in cap. inſinuante num. 2. qui clerici, vel mona. Ioan. Andr. in reg. non eſt obligatorium à num. 6. de regul. Iur. in 6.* vbi ait non eſſe illicitam conſuetudinem aliquarum Religionum, vt ſingulis Monachis certa portio ad ſuos vſus neceſſarios aſſignetur, quod approbatur à *Panormit. in cap. cum ad Monaſterium num. 8. de ſtat. Monach. & conſ. 88. par. 1. n. 4. in 4 col. idem tenent Sylu. verb. Abbas q. 3. part. 7.* & alij plures, quos referunt, & ſequuntur *Sanchez d. cap. 27. nu. 5. & Suarez de relig. tomo 3. lib. 8. cap. 14. num. 3. hac opinio probari poteſt ex tex. di cap. cum ad*

ad Monasterium, vbi sic dicitur Nequè alicui committatur aliqua obedientia perpetuò possidenda: tanquam in sua sibi vita locetur; sed cum oportuerit amoueri, sinè contradictione qualibet auocetur ergò à contrario si obedientia, vel administratio non conceditur perpetuò possidenda, sed ad nutum Superioris reuocabilis, videtur, non esse prohibitum, nec Paupertatis voto contrarium, illam concedere. Denique *in c. Monachi eod. tit.* permissum est Monachis, pro iniuncta sibi administratione peculium habere; ergò de licentia Abbatis, ex causa legitima, licitum est peculium. Insuper *in d. cap. insinuante* approbatur professio Religionis facta cum conditione viuendi extrà Monasterium, & manendi in domo, quæ fuit proprio cum vsu rerum quę fuerunt ità profitentis, *secundum gloss. & Doct.* ibi, at idem est, retinere peculium illud bonorum Monasterio allatorum, ac de nouo accipere.

Præterea probatur ratione; Nam sicut seruus habere potest peculium ex permissione Domini expressa, vel tacita: licèt proprium habere non possit, *l. 4. C. de manumiss. & l. quam Tuberonis ff. de pecul.* sic etiam Monachus ex licentia sui Abbatis. Ità docet Panorm. *in c. nisi essent num. 12 de prabend. & dignit.* Et hæc attento Iure communi antiquo ante Concilium Tridentinum.

6 Restat modò videndum, an post idem Concilium liceat Abbati, hoc peculij genus Monachis concedere. Et videtur dicendum quòd non, quia Concilium, *in d. cap. 2.* videtur hoc expresse prohibere, dum dicit. *Nec deinceps liceat Superioribus, bona stabilia alicui regulari concedere etiam ad vsumfructum, vel vsum, administrationem, aut concedendam*; per quæ verba clarè patet, interdici Prælatis Regularibus, peculium quoad bona immobilia Monachis concedere. Et superius in principio *d. cap.* ait, *Nemini igitur Regularium tam virorum, quam mulierum liceat, bona immobilia, vel mobilia, cuiuscumque qualitatie fuerint, etiam quouis modò ab eis acquisita, tanquam propria, aut etiam nomine Conuentus possidere, vel tenere; sed statim ea Superiori tradantur, Conuentuiq; incorporentur*; vbi per illa verba *tanquam propria aut etiam nomine Conuentus possidere*, manifestum est non solum prohiberi Religiosis peculium ad habendum illud nomine proprio; verùm etiam nomine, & tanquam proprium Conuentus; facit etiam id, quod Concilium statim ibi subdit, dicens *administratio autem bonorum Monasteriorum, siuè Conuentuum ad solos officiales eorundem, ad nutum Superiorum amouibiles pertineat*; per quæ verba disponitur, non licere Superioribus, etiam bonorum Conuentuum administrationem, nisi solis officialibus, puta Oeconomis, seu Procuratoribus, aut Cellerarijs, ad eorum nutum amouibilibus committere. Atque post ipsum Concilium Regulares Prælatos huiusmodi peculium Religiosis concedere non posse, affirmat Palatius *in 4. dist. 38. disp. 1. in fin.* vbi ait, non posse Moniales habere annuos redditus, de Superiorum licentia, putans, esse contra Concilium Tridentinum, ac contrà Paupertatis votum. Id ipsum tenent, *Less. de iust. lib. 2. cap. 4. dub. 5. num. 30. Azor. instit. mor. p. 1. lib. 12. cap. 9. q. 2.* & alij plures, quos refert, licèt non sequatur, *Sanchez d. cap. 21. num. 7.*

7 Nihilominus his non obstantibus, contrarium sentiendum videtur, scilicèt, non esse prohibitum hodiè post dictum Concilium Abbatibus, cæterisque Regularibus Prælatis, concedere ex iusta, & legitima causa, Religiosis peculium, seù aliquos annuos redditus ex bonis immobilibus per ipsos Religiosos administrandos ad vsus licitos, & honestos ad nutũ tamen ipsorum Prælatorum amouibiles. Nec obstat supradictum Concilium Tridentinum; quia est intelligendum de peculio concesso ad quoscumque vsus, etiam illicitos, & superfluos; vel si ad solos vsus licitos tamen sinè iusta causa concedendi; vel de peculio, quod conceditur cum licentia irreuocabili; sicut diximus suprà, intelligendum esse ius antiquum; Concilium enim Tridẽtinum, nihil noui iuris inducere videtur, sed tantùm videtur renouare, & ad memoriam reuocare ius antiquum *cap. non dicatis 12. q. 1. & cap. 2. & cap. cum ad Monasterium de stat. Monach.* quia eius verba non habent maiorem vim contrà peculium, quam verba Concilij Lateranensis, quæ habentur *in d. cap. 2.* nisi quòd illud expressius prohibeant; Sed non obstante *d. cap.* 2. poterant Abbates peculium cum prædictis conditionibus concedere, (vt supradictum est) ergò id etiam hodiè eis licebit, non obstãte Tridentinæ Synodi decreto; Pręterea hoc docet vsus, & consuetudo. Videmus enim, citrà conscientiæ scrupulum, Monialibus à Parentibus, & propinquis tribui huiusmodi peculium, seù annuos redditus, & census ad eorum vitæ sustentationem ex sola Superiorum licentia; Et iste vsus non solum apud Moniales obseruari videtur: verùm etiam apud Monachos, quorum quibusdam conceditur à Superioribus licentia, habendi annuos redditus ex bonis immobilibus ad eorum vsum; quòd aliquando est valdè necessarium, cum ex bonis Communitatis non subuenitur multis Religiosorum necessitatibus, iuxtà eorum statum, & Religiosam paupertatem, vndè ipsi aliundè quærunt, & si forsan non contingat in Monasterijs, qui redditibus locupletioribus abundant, tamen credendum est, non sine iusta, & legitima causa talium bonorum administrationem esse illis concessam, præcipuè cum à Capitulo Generali, vel Prouinciali, vel etiam de consensu totius Conuentus eam obtinent; quià tunc censentur quasi Cœnobij administratores, & Oeconomi; vndè sicut Oeconomus, ex Abbatis nutu, & licentia redditus annuales totius Monasterij administrat; ità particularis Monachus de eiusdem Abbatis licentia; potest, aliquot bona immobilia in particulari admistrare ad suos vsus; quia bonum particularis Religiosi censetur bonum totius Communitatis, & in illud redundat. Dicendum ergò est, verba Concilij esse intelligenda iuxta expositionem traditam, saltem quæ nihil noui Iuris induxerint, ne dicamus Concilium in hac parte non esse receptum, & ideò non obligare. Atque hanc sententiam amplectuntur grauissimi Doctores, qui post Concilium Tridentinum scripserunt vt, *Nauarr. Comment. 1. de regular. num. 75. & Comment. 2. n. 15. & 18. & lib. 3. cons. tit. de stat. Monach. cons. 14. nu. 6. Graff. 1. p. decis. lib. 3. c. 5. nu. 43. Eman. Sà in Aphoris. verb. Religio nu. 48. Vega. 1. tom. e. summa c. 86. cas. 5. Roderic. quæst. regul. tom. 2. q. 125. art. 4. in fine, & to. 3. q. 29. art. 10. in princ. Mirand. tom. 1. Man. prælat. q. 28. art. 8.*

Digitized by Google

q. 28. art. 8. Ioan. de la Cruz de stat. Relig. lib. 1. cap. 3. dub. 2. concl. 2. Sanch. d. lib. 7. cap. 22. num. 11. Ludou. Bosa p. 4. eiusdem, casu 17. in princ. Anton. Perez in Comment. reg. diui P. Benedicti super cap. 33. num. 13. Ledesma de stat. Religios. in commun. cap. 4. conclus. 3. dub. 13. citans *Ioannem Gallum*, quem ait interfuisse Concilio Tridentino, nec vnquam intellexisse, quod illo decreto huiusmodi annui redditus prohibiti fuerint, ità etiam *Laurent. de Peirin. tom. 1. de subdito q. 2. cap. 2. §. 1.* Ita etiam *Sacra Rota in vna Aquilana Prioratus 1. Februarij 1584. coram* .. *quæ est 932. par. 1. diuers.* Neque his obstant nonnullæ declarationes Congregationis Concilij relatæ à *Quaranta cerb. casus*, in quibus prohibetur Prælatis concedere Religiosis sibi subditis licentiam possidendi huiusmodi annuos redditus; quia hæ declarationes intelligendæ sunt eo modo, quo interpretatum est Concilium; non enim possunt magis, quàm ipsum Concilium obligare, vt ait *Laurent. de Peirin. d. §. in*

8 *resp. ad 2. obiect.* Nec refert an Abbas destinauerit huiusmodi peculium ad certos aliquos particulares vsus, an verò indeterminate ad vsus Religiosi, quia semper intelligitur concessum ad vsus licitos, & honestos, vt notat *Less. de iust. lib. 2. c. 4. dubit. 5. nu 33. & Sanch. d. cap. 22 num. 12.* qui subdit posse etiam Abbatem concedere, vt Monachus per se ipsum administret redditus peculij sibi concessi, nec referre, si pecuniam, quam ex illis percipit, penes se, siue in manu publici Officialis Conuentus, ad id specialiter à Superiore deputati, retineat.

Ex his colligitur posse Abbatem ex iusta causa concedere cuicumque Religioso, quamuis non sit Officialis Conuentus, administrationem aliquorum bonorum immobilium, ad ipsius Abbatis nutum amouibilem non obstante decreto *Concilij Tridentini*; quia per illud non inducitur nouum Ius, vt dictum est, sed tantùm prohibetur, id fine causa legiti-

9 ma fieri. Vnde nec est prohibitum Superiori concedere Monachis senibus, vel infirmis, ac de Religione benemeritis aliqua bona ab ipsis administranda; vt sunt aliquæ villæ, vel salubriores ad nutum reuocabiles, cum conditione, vt certam pensionem Monasterio soluant, vel aliquod simile onus expleant; & de aliquo disponant in suos honestos, & pios vsus tantùm, vt docent *Nauar. in comment. 2. de regular. num. 15 & 18 Mirand. d. art. 8. Sanch. d. c. 22. nu. 13.*

10 Colligo etiam ex his peculium, ab Abbate alicui Religioso concedendum, debere esse moderatum, non superfluum; ne Religiosam paupertatem excedat, *Concilium* enim *Tridentinum cap. 12.* prohibet Regularibus superflua mobilia, ac statum paupertatis excedentia concedi, ergò multò magis peculium bonorum stabilium. Superfluum autem id dicitur, quod statui Religiosi peculium habentis non est necessarium; vt constat ex *cap. exijt §. insuper, de verb. signif. lib. 6.* Verum enimuerò in hoc oportet Religionis, Religiosi, loci, temporis, & similium circumstantiarum, ad decentiam status Religiosi conseruandam necessariarum diuersitatem pōderare. Nā eadē prorsus rei substantia, quæ Religioni alicui strictiori nō conuenit; nō dedecet fortè laxiorem; & in hac erit necessaria, in illa verò superflua. Idem etiam dicendum erit de Religiosis ipsis. Ea enim, quæ Religiosis Laicis; ac iuuenibus, vel etiam simplicibus Sacerdotibus essent superflua, ac contra paupertatis votum; fortè senioribus alijs, ac grauissimis Patribus necessaria licitaque erunt. Et idem denique de tempore, & loco est dicendum in vna enim Prouincia eiusdem Religionis ea sunt necessaria, quæ in alia superflua æstimarentur: Sic tempore infirmitatis ea decent, & conueniunt, quæ tempore sanitatis dedecent, & incongruunt. Vndè hæc prudentis Abbatis arbitrio relinquuntur: cum in eis vniuersalis regula assignari non possit. Ità *Sanch. d. c. 22. n. 17. Laur. de Peirin. d.*

11 *§. 1. vers. colligitur 9.* An autem ad huiusmodi peculium retinendum sit semper à Superioribus successoribus licentia petenda, distinguendum est. Aut enim legatum est vnum, & eo caso etiamsi in distinctis annis debeat illo legatarius frui, sufficiet vnius Superioris licentia pro toto tempore vitæ ipsius Legatarij; nam cum data sit nomine officij, semper valet, quousque à successoribus reuocetur. Quod si legata sint quasi plura; velut si Monacho quotannis legarentur centum ducati per totam suam vitam; quia tot censetur esse legata; quot enim ipsi Monacho vitæ anni, *l. in singulos ff. de annuis legat.* non sufficit licentia vnius Superioris; sed necessariò à successoribus talis licentia confirmanda essent. Ità *Roderic. quæst. regul. tom. 2. q. 2. §. 2. dict. 1. vers. quæres.* Quod si licentia eius, qui erat Superior initio illius anni, ad accipiendum legatum illius anni, licèt statim cesset eius officium; ità *Sanch. & Laur. de Peirin. locis citat.*

QVAESITVM VI.

Vtrùm Abbas possit concedere alicui Monacho aliquam Ecclesiam cum agro, villa, vel horto, absque vitio proprietatis.

SVMMARIVM.

1 *Pensione cum certa singulis annis Monasterio soluenda Abbas potest concedere Monacho Ecclesiam aliquam, cum villa, & horto, ac alijs ad eam spectantibus, ad sui nutum amouibilem, vel cum conditione, vt in ea aliquod melioramentū faciat.*

1 DE materia huius quæsiti egimus suprà in *quæsit. anteced.* dum tractauimus, vtrū Abbas possit Monachis peculium concedere, ex rationibus ergò, & authoritatibus ibi adductis resoluendum est in præsenti posse Abbatem concedere Monacho Ecclesiam aliquam Abbatiali mensæ addictam simul cum villa Ecclesiæ coniuncta, & horto, alijsque ad eam pertinentibus, ad nutum eiusdem Abbatis amouibilem ea lege, vt Monasterio certam aliquam pensionem singulis annis persoluat: vel illam pretiosiorem reddat: siuè aliquod melioramentum in ea faciat; reliqua verò in proprios vsus expendat; Ità docent *Nauar. in comment. 2. de Regul. num. 9. 13. & 18. Mirand. in man Prælat. tom. 1. q. 28. art. 7. conclus. 1. Sanchez in Decalog lib. 7. c. 22 nu. 15.* Non obstat *Concilium Tridentinum, cap. 2. sess. 25. de regul.* quatenus prohibet, ne deinceps possint Superiores bona stabilia alicui Regulari concedere, etiam ad vsumfructū; vel vsum, administrationem, aut commodum, &c. Nō

obstat

obstat inquam; quia Concilium id tantum prohibet, vt fiat, sinè iusta causa, vt asserunt DD. citati, & latius diximus in dicto quæsito.

QVAESITVM VII.

Qualis censeatur iusta causa peculij concedendi.

SVMMARIVM.

1 *Peculium concedendi, duplex.*
2 *Causa iusta peculij concedendi an sit quando aliquis vir ditissimus nollet alias profiteri, nisi reseruato sibi peculio.*
3 *Causa iusta diuidendi singulis Monachis Monasterij redditus an sit ad vitandum ne res communes prodigè expendantur; & ad vitandas querelas, & murmurationes Religiosorum.*

1 QVia in antecedenti quæsito diximus, posse Abbatem ex iusta causa aliquod peculium, seù aliquos annuos redditus Monacho concedere; meritò consequenter explicandum videtur in præsenti: quæ censeatur iusta causa huiusmodi peculij concedendi. Ad quod respondetur, quòd huiusmodi causa duplex esse poterit. Nempè necessitas, & vtilitas, quæ vtraque duplex etiam esse poterit, priuata, & publica. Necessitas priuata, est necessitas personę particularis, ob quam Monacho, qui de communi necessaria ad victum, & vestitum habere non potest, concedendo, vt possit aliquid habere, causa suæ necessitatis. Publica verò necessitas est Communitatis, ob quam conceditur alicui Religioso officiali Conuentus aliquid, vt illud expendat in vsus, & necessitates Communitatis: quandò enim conceditur Oeconomo, vel Cellerario administratio, conceditur etiam licentia, habendi pecuniam, sed tantum nomine communi ad opus Monasterij.

Vtilitas autem priuata est, cum conceditur aliquid Religioso pro emendis, v.g. libris spiritualibus, vel ad discendum, vel ad recreandum animum ex illorum lectione. Publica vtilitas est, cum conceditur alicui, vt v.g. emat libros, qui potest suo studio alijs proficere docendo, vel prædicando, &c. Itá ex mente Cardinalis à Turrecremata, & Alexandri. *Nauar. in cap. non dicatis 12. q. 1. num. 24. qui est Comment. 2 de regul. que num. 25.* concludit relinquendum esse arbitrio viri prudentis, quæ sit iusta causa concedendi huiusmodi licentiam; quæ enim in iure determinata non sunt prudentum arbitrio determinanda relinquuntur, *l. 1. ff. de iur. deliber. cap. de causis extra de offic. iud. deleg.* qui vir prudens considerare debet personam, locum, tempus, finem, in quem conceditur, & quantitatem rei concessæ, & alia huiusmodi; quod approbat nos, *Suarez de relig. tom. 3. lib. 8. cap. 15. num. 4 & Sanchez lib. 7. in decalog. cap. 22. nu. 20. qui num. 22.* addit iustam causam peculij concedendi esse, quando Monachus bonorum Conuentus administrationem habet, vt constat, *ex c. Monachi § qui verò de stat. Monach.* Vndè generaliter videtur licere Prælatis Regularibus, assignare Religiosis Officialibus Monasterij salarium ad nutum ipsorum Prælatorum reuocabile, tanquam peculium vt sic diligentius, & fidelius eorum munera exequantur.

2 Esset etiam iusta causa huius peculij concedendi magna Monasterij vtilitas, vt quandò occurreret vir ditissimus in aliquo Monasterio indigenti profiteri volens, cum expressa conditione, vt sibi aliquod peculium reseruaret; hoc enim, cum in magnam Monasterij vtilitatem vergat procul dubio licebit, ad hoc vt conuentus necessitatibus huius diuitijs succurratur, *per cap. insinuante qui cler. vel vouent. Nauar. d. comment. 2. n. 16. Sanchez d. cap. 22. n. 24. Laur. de Peirin. tom. 1. de subd. q. 2. cap. 2. §. 2. dist. 1. in fine.*

3 Præterea esset iusta causa diuidendi singulis Monachis redditus Monasterij, assignando cuilibet certam portionem per se administrandam, quod est quoddam peculij genus, quando scilicet Religiosi res cõmunes prodigè, & superfluè expendunt, & ideò certam pecuniæ quantitatem illis destinare oportet ad hoc, vt cum maiori diligentia eam seruent, ne sibi necessaria deficiant. Vel quandò oriuntur inter Religiosos discordiæ, inuidiæ, & murmurationes ex communi victu, & vestitu: eo quòd illa eis parca videntur; Itá docet *Nauar. Comment. 3. de Regul. n. 29 Sanchez d. cap. 22. num. 23.*

QVAESITVM VIII.

Qualis licentia Abbatis sit necessaria, ad hoc vt Monachi possint aliquid accipere, vel quocumque modo expendere, vel dispo. nere de temporalibus bonis.

SVMMARIVM.

1 *Proprietatis à vitio ad hoc, vt Religiosus accipiens, vel expendens excusetur, sufficit licentia, etiam præsumpta Abbatis.*
2 *Tacitum, & expressum regulariter æquiparantur.*
3 *Consuetudo sufficit pro licentia tacita ad excusandum Religiosum alienantem, vel recipientem.*
4 *Tacita pro voluntate an sufficiat taciturnitas Abbatis videntis, & non contradicentis.*
5 *Paupertatis contra votum an peccet subditus, faciens aliquid, sine licentia Superioris, probabiliter credens, quòd si Superior sciret non probaret, imò sibi displiceret.*
6 *Licentia iusta necessaria est, ne Abbas, & subditus accipiendo, vel alienando peccent.*
7 *Peccatum quod committat Religiosus accipiendo, vel alienando bona temporalia licentia iniusta.*
8 *Licentia iusta censetur cum Abbas concedit facultatem alienandi peculium in eos vsus, in quos potest ipse Abbas.*
9 *Proprietarij pœnas non incurrit Religiosus expendens peculium, licentia iniusta.*
10 *Licentia iniusta censetur si Religiosus eam extorquet precibus importunis, aut per vim dolum metum, fraudem, aut ex falsa causa, & subreptitie.*
11 *Localis Abbas est legitimus Superior, huiusmodi licentiam concedere valens.*

1 QVia in Superioribus diximus, Monachum nihil accipere expendere, aut quocumque alio modo alienare posse absque Abbatis licentia; meritò

Digitized by Google

meritò videndum est in præsenti, qualis licentia Abbatis ad id requiratur. Pro cuius dubij explicatione videndum est primò an sit necessaria licentia expressa, an verò sufficiat tacita, seu præsumpta, vel interpretatiua. In quo dicendum est, quamuis longè melius, & securius sit operari in hac materia cum expressa Superioris licentia; sufficere tamen licentiam tacitam, seu probabiliter præsumptam non solum quandò commodè postulari non potest, nempè quia Superior distat, vel est occupatus, & vrget necessitas, vel moralis commoditas accipiendi, vel expendendi; quo casu, satis est probabiliter credere Superiorem non fuisse denegaturum licentiam, si conueniri posset, vt asserunt DD. statim citandi. verum etiam in casu, quo posset expressa licentia postulari, sed ob aliquem humanum respectum, vel pudorem, aut aliquam difficultatem adeundi Superiorem non postulatur. Quia quandò rationabiliter præsumitur Superiorem id velle; etsi expressus illius consensus non habeatur, tamen non dicitur res
2 fieri absque eius licentia; tum etiam, quia tacitum, & expressum regulariter æquiparantur, *gloss. in l. expressè ff. de reg. Iur.* Ità *D. Th. 2. 2. q. 32. art. 8. à d. 1. Nauar. in comment. 2. de Regular. nu. 20. Turrecremat. in cod. cap. non dicatis art. 8. num. 12. q. 1. D. Ant. 3. par. tit. 16. cap. 1. §. 11. not. 2. Angel. de verbo, Eleemosyna num. 6. Sylu. num. 7. q. 5. dict. 2. Molin. tom. 2. de iust. disp. 10. q. 4. punct. 3. Leonard. Less. de iustit. lib. 2. cap. 41. dub. 9. num. 80. Azor. instit. moral. par. 2. lib. 12. cap. 12. q. 2. 3. & 4. Graffis 2. par. decis. lib. 3. cap. 5. num. 54. Roder. q. regul. tomo 2. q. 52. art. 2. Mirand. tomo 1. Manual. Prælat. q. 28. art. 14.* & alij plures, quos refert, & sequitur *Sanchez. in Decalog. lib. 7. c. 19. num. 4.* quibus addo *D. Antonium Perez in Reg. D. Patris Bened. cap. 33. num. 122. & Suar. de Relig.*
3 *tomo 3. lib. 8. c. 11. num. 4. & cap. 15. num. 2.* Pro quo noto primò, quod in Religione, vbi adest consuetudo recipiendi, retinendi, vel alienandi aliquid, vsque ad certam quantitatem absque eo quod expressa Abbatis licentia petatur; talis consuetudo censebitur tacita ipsius Abbatis licentia, vt possint Religiosi illam certam quantitatem, absque expressa facultate, accipere, retinere, & expendere, absque proprietatis labe, quasi scientibus, & tolerantibus Superioribus huiusmodi consuetudo seruatur, indicat eorum voluntatem esse, vt in talibus non requiratur expressa licentia, saltem quoad excusandum subditos à mortali: & ità deinceps nihil eo modo accipitur, vel retinetur, aut alienatur, retinente Prælato neque contrà paupertatis votum. Ità *Sanchez d. cap. 19. nu. 2. Suarez de relig. tomo 3. lib. 8. cap. 11. nu. 7.* qui aduertit ad hoc vt huiusmodi consuetudo sit rationabilis, quantitatem rei, quæ accipitur, vel expenditur, debere esse valdè moderatam; nam si ad res notabilis valoris extenderetur, esset contrà bonum Religionis: ex ea enim valdè relaxaretur paupertatis votum.

4 Noto secundò quod taciturnitas Abbatis videntis, Monachum aliquid accipere, vel alienare, & non contradicentis, sufficit pro tacita ipsius Abbatis licentia; nam cum non præsumatur dissimulare proprietatem in subdito, meritò censetur, ideo tacere, quia assentitur, & sic cum omni proprietate dat tacitam licentiam, facit ad hoc *l. quàm Tuberonis §. sunt quidam ff. de pecul.* vbi dicitur, quod dominus præsumitur consentire peculio serui eo ipso quod scit eum habere peculium, & expressè non contradicit. Hæc tamen conclusio non simpliciter ab omnibus probatur; Aliqui enim (vt *Archidiac. & Turrecr. in cap. non dicatis 12. q. 1. Graff. 2. par. decis. lib. 3. cap. 19. num. 31.*) negant hanc taciturnitatem esse tacitam Superioris licentiam, & dicunt Superiorem in eo casu peccare mortaliter, & subditum non excusari à vitio proprietatis; alij denique (*vt Panormit. in cap. quod quibusdam num. 10. de fideiuss. & cap. nisi essent num. 12. de praben. & cap. cum ad Monasterium num. 8. de stat. Monach. & 1. par. cons. 88. col. 5. num. 6. & 2. par. cons. 44. num. 4. & 5. & alij apud Sanchez d. cap. 19. num. 11.*) affirmant sufficere hanc taciturnitatem, vt intelligitur licentia tacita, atque indè excusetur à peccato Religiosus ità accipiens, vel expendens ex ratione primo loco adducta.

Vndè *Nauar. comment. 2. de Regul. num. 22.* distinguit, dicens, quod vel taciturnitas est permissiua, vel approbatiua; si sit permissiua tantùm non sufficiet ad excusandum subditum à peccato; quia permittere non est dare facultatem; & in hoc casu est verior prior sententia. Si autẽ taciturnitas sit cũ consensu approbatiuo, quæ non est pura permissio, sed permissio approbatiua: sinè dubio sufficiens erit ad excusandum Religiosum à reatu; & sic est secunda sententia. Ità etiam post *Nauar.* docuerunt *Roder. quæst. reg. tom. 3. quæst. 29 art. 11. Beia. 4 part. cas. 32. vers. quod si ad hue, Suar. de relig. tomo 3. lib. 8. cap. 11. num. 8. in decalog. lib. 7. cap. 19. num. 12. Laur. de Peirin. tom. 1. de subdit. quæst. 2. cap. 2. §. 3. not. 3.* Quando autem taciturnitas sit permissiua tantùm, & quando approbatiua, ex circumstantijs personarũ, rei, & occasionũ iudicandũ erit Ità *Suar. loc. cit.*

5 Noto tertiò non semper esse verum id, quod tradit *Gerson. Alphabet. 34. litter. 5.* quod quietis subditus facit aliquid sine licentia Superioris probabiliter credens quod si Superior sciret, non approbaret, sed sibi displiceret: tunc transgreditur paupertatis votum. Quia si displicentia Superioris sit de illa re accepta, aut retenta, vel expensa: tunc omninò tollitur præsumptio tacitæ voluntatis, & illa acceptio, retentio, vel expensio est contra paupertatis votum. Si verò displicentia illa Prælati, quæ timetur, esset quoad solum modũ, scilicet quod id esse sinè expressa licentia, vtiq; sufficeret ad excusandum Religiosum à mortali; quia excusat à proprietate, quamuis non excuset ab aliqua inobedientia. Ità docent *Nauar. d. Com. 2. n. 20. Graff. 1. p. decis. lib. 3. c. 6. 54. Roder. quæst. reg. to. 3. q 29. art. 11. Suar. d. c. 11. n. 11.* quod in simili de furto docuit *Caiet. in summa verbo furtum, not. 2. & 2. 2. quæst. 66. art. 5. Nauar. in enchirid. cap. 17. nu. 5. Less. lib. 2. de iust. cap. 12. dub. 8. num. 49.*

6 Notandum autèm, quòd hæc licentia debet esse iusta ad hoc, vt Religiosus aliquid accipiendo, expendendo, vel alienando, excusetur à peccato; requiritur autem, vt sit iusta, non solum ex parte causæ, nimirum vt ex iusta, & legitima causa concessa sit; sed etiam ex parte modi; & primò ex parte causæ, certum est, quod tàm Abbas concedens Religioso licentiam aliquid in vsus superfluos, & vanos, & sic absque

iusta

iusta causa, vndè ex quantitate, & qualitate materiæ cognoscetur grauitas peccati, an saltem
6 mortale sit, vel veniale. Difficultas autem est, quod peccatum committat Religiosus, aliquid accipiendo, expendendo, vel alienando cum huiusmodi licentia in iusta? In qua re aliqui tenent, Religiosum non peccare vitio Proprietatis, licet non excusent ab omni peccato, quia tunc Religiosus, id non facit authoritate propria, sed Prælati, ergò non potest dici Proprietarius. Ita tenent *Card. Alexand. quem refert Nauar. comment. 2. de regular. nu. 21. Humbertus, quem citat & sequitur Turrecrem. in cap. non dicatis 12. q. 1. D. Antonin. 3. p. tit. 16. Graff. 2. p. decis. lib. 13. cap. 19. num. 30. Azor. instit. moral. p. e. lib. ea. cap. 12. q. 1. Less. lib. 2. de iust. cap. 41. dub. 9. num. 79. vers. 11. & aly, quos citat, licet non sequatur Sanch. d. cap. 19. n. 20.*

Contrarium tamen docet *Nauar. d. num. 21.* dicens, Religiosum vtentem licentia à superiore iniuste concessa, peccare vitio Proprietatis, quia recipere, aut disponere de bonis pretiu æstimabilibus, absque vlla Prælati licentia, est peccatum Proprietatis, sed licentia, ad habendum ea quæ statui Religioso repugnant, & ad ea expendendum, & alienandum in prophanos, & illicitos vsus, verè, & propriè licentia non est, quia huiusmodi licentiam Prælatus nullo modo concedere potest, cum sit licentia ad peccãdum; ergo subditus ea vtens peccabit contra votum paupertatis. Atque eumdem *Nauar.* sequuti sunt *Nauarr. lib. 3. de restit. cap. 1. p. 3. Molin. tom. 2. de iust. disput. 276. col. 3. vers. Religiosus in Conuentu Anton. Prez. in Regulam D. P. Benedict. cap. 33. n. 100.* qui indistinctè id affirmant, tam de acceptione, quàm de alienatione *Sanch. d. cap. 19. num. 21.* sequitur etiam *Nauar.* sententiam, sed loquitur tantum, quando Religiosus expendit bona aliqua, Licentia iniusta, nihil dicens de acceptione *Suarez. autem d. cap. 15. num. 4.* affirmat in hoc esse differentiam, nempè quod Religiosus, acquirens aliquid licentia iniusta, non incidat in vitium Proprietatis; licet sic expendendo, vel alienando. Ratio differentiæ est, quia licentia tradita, ad alienandum bona Monasterij, sine iusta causa, non solum est iniusta: verum etiam nulla, vt supradictum est, quia Abbas non est dominus, sed dispensator bonorum Monasterij. dispensatio autem facta in bonis alienis, absque iusta causa non solum iniusta, verum etiam nulla est, quia exceedit limites facultatis dispensatori traditæ. At in acquisitione non sic, quamuis enim licentia detur sine iusta causa non propterea est nulla; quia Prælatus tunc in nullo iure diuino, immo in nullo Iure dispensat, vt latiùs probat idem *Suarez. loco citat. & c. 11. à num. 16.* & in hoc est vera prima sententia, scilicet, quòd Religiosus accipiendo aliquid, licentia iniusta non committat Proprietatis vitium. Secunda autem procedit, quando Religiosus tali licentia alienaret, vel expenderet bona Religionis.

7 In quo hanc Regulam constituit, *Nauar. loc. citat. num. 23.* vt tunc licentia Abbatis, concessa Religioso, ad aliquid alienandum censeatur iusta, & valida: quando ipse Abbas facit illi facultatem donandi, & disponendi in eos vsus, & eo modo, in quos, & quomodo, ipse posset per se disponere, & expendere; non autem alias; quia quod potest per se facere potest etiam per alium, *arg. cap. potest quis de reg. Iur. in 6. & cap. quod autem de Iure patron.*

8 Notandũ etiã, quòd Religiosus, sic male expendens peculium, siue bona de licentia iniusta, ac irrita Abbatis, licet peccet contrà Paupertatis Votum; non tamen incurrit pœnas latas à Iure cõtrà Proprietarios, idest priuationem Ecclesiasticæ Sepulturæ; quia huiusmodi pœnę non imponuntur contrà omnem Proprietarium, & peccantem vitio Proprietatis: sed solùm contrà Proprietarium occultum, & nulla vtentem facultate, etiam iniusta. Ità *Nauar. d. nu. 21. Marc. Anton. Cucus lib. 3. instit. Maior. tit. 1. nu. 116. Sanch. d. cap. 19. num. 25. Anton. Perez. d. cap. 33. num. 100. Suar. d. cap. 11. num. 13.* dicens, de hoc nullam extare dubitationem.

9 Potest etiam licentia esse iniusta, ex parte modi, nempè quia Religiosus precibus importunis, aut per vim, dolum, metum, aut fraudem illam extorquet; & tunc certum est, Religiosum non excusari a transgressione voti Paupertatis; quia talis licentia nulla esset; cum non fuerit voluntaria: quia vis, & metus causant inuoluntarium, & idem est de dolo, & fraude. Ità *Sanchez. d. cap. 19. num. 16. & 17. & 18. Laur. de Peirin. d. §. 3. not. 4. Suar. d. cap. 15. nu. 3. & d. cap. 11. num. 14.* subdens, quòd si licentia fuit subreptitia, & ex falsa causa, Religiosus non erit tutus in conscientia; idem dicens, si Superiori non narrentur circumstantiæ, quę probabiliter eius voluntatem mutarent, vt talem licentiam non concederet. Secus si taceatur aliquid, quod fortè difficiliorem redderet Superiorem, ad talem licentiam concedendam: non tamen absolutè illum impediret, quantum probabiliter iudicari potest.

10 Requiritur etiam, vt huiusmodi licentia à legitimo Superiore concedatur, legitimus autem Superior habens potestatem huiusmodi licentiam concedẽdi, est etiam Abbas, & Prælatus localis immediatus Monasterij Superior; quia est verus Superior, habens veram administrationem bonorum Conuentus, *can. nullum 18. q. 2. cap. edocen. de rescript. cap. cum ad Monasterium ac stat. Monac. Concil. Trid. sess. 25. de regul. c. 2.* Ità *Sanchez. d. cap. 19. nu. 39.*

QVAESITVM IX.

Vtrùm liceat Monachis, absque Abbatis licentia aliquid donare.

SVMMARIVM.

1 *Donare nihil potest Monachus regulariter de temporalibus bonis, absq; expresso, vel præsumpto Abbatis consensu, etiam de rebus sibi ad proprium vsum concessis, tam intrà, quam extrà Monasterium & num. 2.*

3 *Expendere non potest Monachus rem ad alium vsum, quàm fuit sibi concessa.*

4 *Paupertatis contra votũ nõ facit. Monachus tradens Religiosis rem habens de licentia Superioris qui cognoscebat non esse proprio vsui necessariam.*

5 *Licentia concessa Religioso, aliquid dandi, non extenditur ad donandum alyi Religiosis, tam eiusdem*

dem, quàm alterius Conuentus, non habentibus suorum Prælatorum licentias.

6 *Donare an possit aliquid suis consanguineis indigentibus Monachus habens peculium ex Superioris licentia.*

7 *Donare potest aliquid Religiosus ex Abbatis licentia remunerationis causa.*

8 *Donatio verè, & propriè quæ dicatur.*

9 *Alienari possunt remunerationis causa res aliàs alienari prohibita.*

1 REgulariter non potest Monachus de temporalibus bonis quicquam alicui donare; quia nihil habet proprium, *c. non dicatis* 12. *q.* 1. qui autem nihil habet proprium, nihil dare potest, *c. dalbertii* 11 *q.7.* quia regulariter nullus plus Iuris transferre potest, quam eum constet habere, *l. nemo plus ff. de reg. Iur c quod autem in fin. & c. cura, ex aduerso de Iurepatr. & c. nuper. à nobis de donat. inter vir. & vxor.* quod procedit etiam si absque expresso, vel præsumpto saltim Abbatis consensu aliquid ex rebus sibi ad proprium vsum concessis donaret, tam intrà, quam extrà Religionem; est enim reus voti Paupertatis, nisi materiæ leuitati excusetur. Ratio est, quia quandò Monacho conceditur vsus alicuius rei non cōceditur ius vtendi; Monachus enim non est capax talis iuris, quod quamdam dominij rationem habet; sed tantū vsus facti idque precario, idest quamdiù ipsi concedenti videbitur determinate; sed vsuarius non potest vsum rei alteri concedere, quia hoc non esset vsuarij, sed vsufructuarij, *§. 1. et 2. Inst. de vsu, et habit.* & hoc expresse habetur in *d. c. non dicatis*, ibi *quod si quilibet fratrum cuiquam aliquid offerre voluerit, primò quidem Priori insinuetur, & sic suscipiatur, & ex D. P. Bened. cap. 33. Regulæ* habemus, *Præcipuè hoc vitium radicitus amputetur, de monasterio* (*loquitur de proprio Monasterio*) *ne quis præsumat aliquod dare, aut accipere, sinè iussione Abbatis.* Atque ità tenent *Sylu. verb. Religio 6 quæst. 7. d. 1. D. Anton. 3. par. tit. 16. cap. 1. §. 11. Turrecr. in cap. non dicatis n. 6. et ibid. Nauar. num. 8 12. quæst. 1. Sot. in lib. 4. de iust quæst. 1. art. 1. Less. de iust. lib. 2. cap 41. dub 9. num. 79. vers. quintò. Reginal lib. 18. num 400. vers. quintum Documentum, Sanch. in decalog. lib. 8. c. 19 num 64.* vbi plures cumulat, *Suar. de Relig to. 3. lib 8. c. 15. n. 8. Laur.*
2 *de Peirin. to. 1. de subdit. q. 2. c. 2. §. 6.* Quod ampliatur vt intelligatur tam intrà, quam extrà Monasterium; peccaret enim contrà Paupertatis votum Monachus sine licentia expressa, vel saltem præsumpta, aliquod donans, etiam de rebus sibi ad vsum concessis tam externo, quam alteri Religioso, eiusdem Conuētus, eadem enim ratio tradita militat; Et ità tenet, *Cord in sum. q. 109. Roder. quæst reg. tom. 3. q. 29 ar. 10. concl. 3 Sanch d. c. 19 n. 66* imò *Roder. d. ar. 10. concl. 4.* ait, non solum non posse Religiosum, absque expresso, vel præsumpto Superioris consensu alteri donare, quæ sibi subtrahit ex rebus ad suum vsum concessis; verum
3 nec circa se ipsum rem ad alium vsum præter sibi cōcessum applicare; vt si Prælatus illi permittat expendere pecunias ad emendum libros Theologicæ, non potest Religiosus alios sua authoritate emere, nisi præsumat id non fore contrà ipsius Prælati voluntatē, Atqui idē cōfirmat, *Suar. d. n. 8. Sanch. d. c. 19. nu. 68.*

4 Hic autem notandum, Monachum non facere contrà votum Paupertatis donando Religiosis domesticis, vel externis ea, quæ ex Abbatis licentia possidet, quando ex illorum qualitate clarè patet, Superiorem concedendo licentiam ea recipiendi, vel emendi, intellexisse ea non esse vsui ipsi Religioso, sed recipienda, vel emenda ad distribuendum alijs, exempli gratia, quandò Superior concedit Religioso licentiam accipiendi non nullas sacras reliquias; vel Sanctorum imagines, aut grana benedicta, quia cum iubeat Religiosum non indigere his omnibus ad proprium vsum, sed consueuisse ea inter alios distribui, præsumitur habere voluntatem approbandi illam futuram distributionem. Vndè Religiosis eiusdem Conuentus non esset opus noua alia licentia ad acceptandum, quia prior concessa Religioso ad emendum, vel recipiendum, est præsumpta etiam ad distribuendum quibuscumque, & domesticis ad accipiendum, Ità *Sanchez d. cap. 19. nu. 70.*

5 In alijs autem rebus licentia absolutè à Superiore concessa alicui Religioso ad aliqua donandum, non extenditur ad donandum alijs Religiosis tam eiusdem, quàm alterius Conuentus, ità vt ij sinè vlla licentia possint accipere; sed ad hoc indigerent alia suorum Prælatorum concessione, alias tam donans, quam recipiens peccarent contrà Paupertatis votum: donans quidem non quatenus dat; quia ex parte sua sublatum est impedimentum ex licentia ad dandum à Prælato concessa; sed quia cooperatur peccato, quod accipiens, absque sui Superioris licentia, contra votum committit: ità pariter Monachus habens ab Abbate licentiam aliquid accipiendi, nequit accipere ab altero Religioso eiusdem, siuè diuersi Conuentus, qui donandi licentia careat. Nam Abbas accipientis tantummodò impedimentum auferre potuit; quia donans erat alterius Conuentus, & ideò non sibi subditus: & quando donans esset eiusdem Conuentus in dubio censetur tantum auferre voluisse impedimentum accipientis, cui licentiam concessit; nisi ex coniecturis probabiliter colligatur vtrumque voluisse. Ità *Sanchez d. cap. 19. num. 71, 72. & 73.*

6 Potest autem Monachus ex Abbatis licentia peculium habens, ex eo, vel ex alijs, quæ propria industria acquirit, aliquid suis consanguineis indigentibus donare vsque ad decem ducatorum summam, vel plurium, considerata, secundum prudentum iudicium, illorum indigentia, semel, & pluries in anno; quia is, cui peculium iusta, & legitima causa à Superiore concessum est, potest illud expēdere ad omnem vsum, qui rectæ rationi non aduersatur; at huiusmodi vsus nihil rationi aduersatur, ergo, &c. Ità docent, *Bela 4. par. cas. 32. sol. 5. Vega 2. par. summa cap. 86. cas. 30. Roderic. tomo 2. cap 32. conclus. 3. d. 9. Laur. de Peirin. d §. 6. dict.* 2. Nec obstat Motus proprius Clementis VIII. de non largiendis muneribus per Religiosos, quem refert, *Azor. instit. moral. part. 1. lib. 12. cap. 9. q 5. & Quaranta in summa Bullarij verb. Munerum largitio*: quem exponunt *Sorb. in compend. priuileg. Mendic. verb. dare Paulin. Lucen. tomo 4. quæst. reg. in fine, & alij*; non obstat inquam; quia intentio Summi Pontificis fuit solummodo obuiandi abusibus qui inter Religiosos vigebant; non autem prohibendi

Q ne sub.

ne subueniant consanguineis in necessitate constitutis; quod est opus maximæ charitatis, imò in dicta constitutione hoc videtur concedi, dùm §. 10. dicitur *nisi pro veris Christo pauperum indigentijs, habita necessitatis ratione, & seruato ordine Charitatis*, at ordo charitatis exigit, vt primo nostris, deinde verò extraneis succurramus sic *Sorb. in explicat. d. constit. casu 5. vers. & sic religiosi, Beia loco citato*, & eam constitutionem Hispaniæ non esse vsu receptam, ait *Sanchez d. cap. 19. num. 42. 100. & 104.* quod idem in Regno Lusitaniæ, ait *Suarez de Relig.*
7 *tomo 4. tract. 8. lib. 2. cap. 26. num. 15.* Sicuti nec etiam obstat *d. constitutio*, quominus Religiosi, de suorum Prælatorum licentia, possint aliquid per viam remunerationis etiam extra ordinem donare; quia donatio, quæ fit causa remunerationis, non est vera donatio, nam dicitur potius compensatio seruitij, quàm
8 vera donatio; quia illa dicitur vera, & propria donatio, ad quam donator mouetur nulla alia causa præcedente, nisi ad exercendam munificentiam, & liberalitatem quamdam *l. 1. post princ. ff. de donat.* Vndè donatio remuneratoria nô comprehenditur sub prohibitione, seù statuto prohibente quibusdam donare, vt per *Alex. cons. 43. col. 6. in fine num. 31. vers. non obstat, quod statutum vol. 4. latè Iason in l. ex hoc Iure ff. de iust. & iur.* facit quod dicit *Bart. in prohem. ff. col. vltim. per l. iubemus C. de sacrosan. Eccl.* quod
9 res aliàs prohibitæ alienari, possunt ex causa remunerationis alienari. Idem docuit *Panormit. in rubr. ext. de donat. nu. 3. & in cap. per tuas nu. 6. eod. tit.* Atque hanc sententiam in terminis amplectuntur *Roder. quæst. reg. tomo 2. q. 47. art. 3. Rota. in prax. for. Eccles. decis. 642. Paulin. Luzen. loco citato q. vlt. casu 7. Sorb. loco etiam citato* subiiciens, huiusmodi donationi non obstare id, quod dicitur in dicto Motu proprio §. 9 *vt nec ad benefactorum receptorum memoriam, gratique animi testificationem quicquam donetur;* quia ibi prohibentur hæc fieri tantùm suis Superioribus, scilicet Protectoribus, Generalibus, &c. eo quia procurauerunt, vel procurent officium aliquod in Religione, ità etiam *Laurent. de Peirin. loco citato vers. finem.* Plures alios casus in quibus, non obstante dicto Motu proprio Clementis VIII. possunt Religiosi aliquid donare, recensent *Paulin, Luzen. & Sorb. locis citatis*, apud quos videri poterunt.

QVÆSITVM X.

Vtrùm Monachi, absque Abbatis consensu, possint commodato, vel mutuo aliquid dare, siuè expendere, vel commutare, vel emere.

SVMMARIVM.

1 *Paupertatis voti reus est Monachus commodando, mutuando, commutando, siuè expendendo absque expressa, vel præsumpta Abbatis licentia, nisi materiæ leuitate excusetur.*
2 *Parua quantitas à vitio proprietatis excusans, quæ dicatur.*
3 *Paruitas quæ in furto à peccato mortali excuset.*
4 *Emere Monachus, absque Abbatis licentia, non potest aliquid animo sibi acquirendi.*

SVpponendum est tâquam certum pro hac re fundamentum, omnem vsum bonorum Religionis sinè vlla facultate occupatum, esse contrà Votum Paupertatis, & propterea esse Monachis interdictû. Quia vsus, qui fit, absque Superioris licentia, aut voluntate, est vsus proprietarius, qui est actus dominij, actus autem dominij aduersatur Voto Paupertatis, vt de se patet, & diximus suprà: ergò est omninò Monachis prohibitus. Ità *Suarez de Relig. tomo 3. lib. 8. cap. 15. num. 1. & 2.*

1 His positis, dicendum videtur. Primò, quòd Monachus commodando, absque expressa, vel præsumpta Abbatis licentia, etiam de rebus sibi ad propriû vsum concessis, peccat vitio Proprietatis: hoc enim esset exercere actus dominij & proprietatis, sed Monachi nullius dominij, aut proprietatis capaces sunt, ergò nullum dominij, aut proprietatis actum exercere possunt sine Abbatis licentia, absque quòd in Proprietatis vitium cadant. Ità *Leonard. Less. de iust. lib. 2. cap. 41. dub. 9. num. 79. Sanch. lib. 7. in decalog. c. 19. num. 65. Lauren. de Peirin. tomo 1. de subdit. quæst. 2. cap. 2. §. 5. Suar. loco citato*. Non tamen hoc semper esset peccatum mortale, quia potest ex materiæ leuitate esse veniale, siuè consideretur quatenus est furtum, eo quia vsurpatur res aliena absque Domini licentia, siuè quatenus est sacrilegium contrà Votum Paupertatis, ex materiæ paruitate culpa fit venialis, vt tenent *Cordub. in sum. q. 109. Nauar. lib. 3. cons. in 1. edit. tit. de regular. cons. 75. num. 18. & in 2. edit. tit. de stat. Monach. cons. 3. nu. 18. Graff. 1. par. decis. lib. 3. cap. 5. num. 49. Roderic. quæst. regular. tomo 3. q. 29. art. 10. conclus. 8.* alios refert, & sequitur *Sanchez in decalog. lib. 7. cap. 20. num. 2. Suarez loco citato, & cap. 6. num. 4. contra D. Antonin. 3. par. tit. 16. cap. 1. §. 11. not. 2. Gers. 2. par. tract. de varijs q. q. circa fin. Alphab. 34. littera S.* vbi explicat, esse mortale si procuratur absque Superioris licentia emat cultellum, filum, aut
2 acum. Ad cognoscendum autem quæ dicatur parua quantitas à mortali excusans, assignatur cômuniter ab omnibus generalis regula; illam censeri quâtitatem leuem ad excusandum Religiosos à Proprietate, quæ in furto sufficeret, ad excusandû à mortali; Proprietatis enim peccatum se habet instar furti. Nàm sicut in furto, res aliena vsurpatur inuito Domino, ità pariter in peccato Proprietatis res vsurpatur, inuito Superiore, cui Religiosus omnes suas actiones quoad recipiendum, retinendum, vel alienâdum aliquid pecunia æstimabile subiecit. Ità Doctores ci-
3 tati *Suar. d. cap. 6. num. 13.* Quæ tamen paruitas in furto excuset à peccato mortali, standum est arbitrio viri prudentis, habita consideratione indigentiæ, vel abundantiæ illius personæ, cuius res subtrahitur. Et hanc esse communem opinionem, ait *Graff. par. 1. decis. lib. 2. cap. 93. num. 27.*

Hic autem aduerto cum *Suarez d. cap. 15. num. 5.* considerandum esse, an rei dispensatio fiat circà externos, vel cum ipsis Religiosis, item an sit ad vsum consumptiuum rei, vel salua illius substantia: nam si res dispensetur circà externos, & consumendo, vel alienando illam; procuIdubio non solum erit peccatum Proprietatis, verum etiam peccatum iniustitiæ, & tunc satis erit moderata quantitas ad peccandum mortaliter. Si autem res non dispensatur ad vsum

consum-

consumptionem, nec alienetur. Sed tantum conceda-tur ad aliquem vsum, post quem integra Monasterio reddenda sit absque graui eius detrimento, vel periculo: multò maior rei quantitas requiritur, ad faciendum culpam mortalem; quia re vera Religio non patitur detrimentum in suis bonis, & ille vsus, vel non potest æstimari pretio distincto ab ipsa re, quæ datur mutuo, vt si mutuaretur pecunia, siuè frumentum, aut huiusmodi; vel quamuis secundum se sit æstimabilis aliquo pretio; illud tamen respectu Monasterij, non est considerabile, quia non deberet illum vsum vendere, vel rem locare: vt si commodarentur libri, imagines, equi, & his similia: idcireò ex hac parte non est illa quantitas admodum considerabilis, & propterea multum diminuitur culpa, quandò res dispensatur ad huiusmodi vsum tantum; cum autem talis vsus sit actus dominij, non fit absque peccato, quod fiet graue, si rei quantitas sit notabilis.

Multò verò minus peccatum erit, quando res dispensatur inter ipsos Religiosos, quia tunc res non alienatur extra Monasterium. Et licet hæc dispensatio solum spectet ad Superiorem, vel ad officialem ab eo ad id deputatum; quia est administratio bonorum, quæ ad Prælatum, vel eius officiales pertinet, & ideò in rigore sit proprietaria; tamen ex parte ipsius actionis est minima, quæ in hoc genere esse possit; qua mobrè vt sit peccatú mortale, oportet, vt quantitas rei, quę dispẽsatur, sit magna. Ità *Suar. loc. cit. d. n. 5. et seq.*

4 Item neque potest Monachus aliquid emere, nisi interueniat expressus, vel præsumptus Abbatis consensus, alias esset reos voti Paupertatis, nisi emat eo animo, vt res emptas appropriet, & acquirat Monasterio, sibi autem simpliciter, & porum vsum; nec continuum, sed quousque suo Abbati placebit. Ità *Nau. comment. 1. de regul. n. 23. Laur. de Petr. d. §. 5. concl. 2.*

QVAESITVM XI.

Vtrùm Religiosi absque Abbatis licentia, possint litteras scribere, vel recipere.

SVMMARIVM.

1 Religiosi dantes, vel recipientes litteras absque Abbatis licentia, an peccent.

1 Religiosus dans, vel recipiens litteras, absque Abbatis licentia, peccat contrà votú Paupertatis *can. nõ dicatis 12. q. 1. ibi quicumq; intantũ progressus fuerit malum, vt occultè litteras ab aliquo, vel quodlibet munus accipiat; &c.* vbi litterarum receptio munerum receptioni æquiparantur. Ità *Nau. com. 2. de regul. n. 3. & lib. 3. consil 2. edit. tit. de stat. Monach. cons. 3. n. 45. Graff. 1. p. decis. aur. lib. 5. c. 5. n. 64. Sanch. in decalog. lib. 7. c. 19. n. 47.* Quod est intelligendum de litteris, quæ dantur, vel accipiuntur cõtra vtilitatem vel honestatem, Monasterij, vel salutem spiritualem, siuè corporalem singulorum Monachorum, vel de litteris, quę continent inutilia, sine impertinentia prędictis; non autem de litteris pro vtilitate Monasterij, vel necessarijs vel vtilibus, quas instè ipse Monachi, secundum Iura, sinè Abbatis licentia, dare, vel recipere possunt, de quotõ numero sunt litterę, quibus Religiosus constituit procuratorem contra Abbatẽ, vel eius delicta denunciat; Ita *Archid. in d. cap. non dicatis num. 3. Nau. & Graff. & Sanch locis citatis.*

Si tamẽ Abbas sub præcepto obligante ad mortale pręciperet, ne quis litteras absque eius licẽtia scribat aut reciperet, Monachus faciens cõtrà huiusmodi pręceptũ peccaret quidẽ mortaliter, sed cõtrà obediẽtię votũ, vt ait *Nau. d. cõs. 3. d. n. 45. Sãch. d. n. 47. post med.*

QVAESITVM XII.

Vtrùm Monachi, absquè Abbatis licentia, possint ludere.

SVMMARIVM.

1 Ludens Monachus absque Abbatis licentia, saltim tacita, peccat contrà votum Paupertatis, & ludentes cum eo si lucrentur, debent restituere.

2 Ludere Abbas potest, honestæ recreationis gratia, moderatam aliquam pecuniæ quantitatem.

3 Ludere quatuor, aut quinque de centum sibi assignatis pro substentatione potest Monachus, qui impensis Monasterij in scholis studet, vel in Curia, aut alibi negotiatur; limita in tribus casibus, vt infra num. 4. 5. & 6.

7 Ludere immoderatam quantitatem non potest Monachus, habens ab Abbate generalem licentiam pecuniam, in quos voluerit vsus, expendendi.

8 Concessione in generali non veniunt ea, quæ specialiter expressa denegarentur.

9 Ludendi in moderatam pecuniæ quantitatem Abbas subdito facultatem concedere non potest.

10 Restituere an teneatur Monachus collusori immoderatam pecuniæ quantitatem, quam lucratus est.

1 Monachus, absque expressa, vel saltẽ præsumpta Abbatis licentia ludens, peccat contrà Paupertatis votum; quia exponere aliquid iacturę ludendo proprio arbitrio, & authoritate, est actus dominij, sed per votum Paupertatis tollitur dominium, ergo etiam actus dominij, ergo Religiosus ludens absque Abbatis licentia, exercet actum dominij, & perindè facit contrà votũ Paupertatis, quapropter ludentes cum Religioso non habente expressam, vel præsumptam Abbatis licentiam si lucrentur, debent restituere. Ità *D. Tho. 2. 2. q. 3. art. 7. ad 2.* quem dixit communiter receptum *Sanch. in decalog. lib. 6. cap. 19. nu. 76.* Igitur Religiosus, cũ expressa, vel præsumpta Abbatis licentia, honestæ recreationis causa potest moderatam aliquã quantitatẽ ludo exponere; quia ille actus neque est inuito, neque nolente ipso Abbate, sed depẽdenter ab eius voluntate, ergo eũ non sit proprio nomine, non est actus dominij. Et sicut Abbas potest, ad animum honestè relaxandũ, modicã quantitatẽ ludo exponere; ità etiã potest eandẽ facultatẽ subditis eõ. cedere; eũ ea, quæ potest per se ipsũ facere, possit etiã per aliũ, per *reg. potest quis, de reg. iur. in 6. c. quod autẽ de Iur. patr.* Atque ità docẽt *Maior. in 3. dist. 38. q. 13 in sol. ad 2. cõtra 2. cõcl. Lessius de stat. Rel. in commun. c. 20. n. 12.* & alij apud *Sãch. d. c. 19. n. 78.* Vndè infertur Religiosum, qui sui Abbatis, & Monasterij impensis in scholis studet, vel in Curia, aut alibi negotiatur, licitè posse, honestæ recreationis gratia, quatuor, aut quinque decentum, quæ sibi quotannis pro substentatione dantur, ludo exponere: quia Abbas tacitã

Digitized by Google

eius rei facultatem facere videtur, *arg. eorum, quæ de eleemosyna notat. gloss. in Clem. 2. verb. conuertendum, de vit. & honest. Clericorum*. Itâ *Nauar. d. c. 20 num. 12. Valent. tom. 3. disp. 5. q. 6. par. 5. q 8. de acquisitis per ludum vers. tertiò obseruandum, Less. de iustit. lib. 2. cap. 26. dub. 5. num. 37. Graff. 1. par. decis. lib. 2.*
4 *cap. 12. num. 5. Molin. de iustit. tom. 2. disp. 520.* & alij apud *Sanch. d. cap. 19. num. 79.* vbi hoc limitat primo, nisi vel à Superiore, vel per Religionis constitutiones ludus Religiosis prohibitus foret, tunc enim non potest interuenire licentia præsumpta, existente expressa prohibitione; vndè Religiosus sic ludens aget contrà Paupertatis votum, & lucrantes tenebuntur ad
5 restitutionem. Limitat secundo nisi Religiosus luderet ludo aliquo prohibito, vel statui Religioso indecenti; quia huiusmodi ludus respectu ipsius non censeretur honesta recreatio, & ideò neque tacita, neque
6 expressa licentia prodesset; id quod etiam docet *Molin. loc. cit.* Limitat tertio, nisi Religiosus ille eodem anno in alios vsus non necessarios, vt in aliam recreationem, aliquem expenderit; quia illud detrahere debet, & tanto minorem quantitatem ludere po-
7 test. Notandum autem, quòd si Abbas concedit alicui Monacho generalem licentiam expendendi peculiũ sibi concessum, in quos voluerit vsus; Monachus ille non potest immoderatam pecuniæ quantitatem, absque peccato, ludere; quia non est verisimile, Abbatem in generali illa licentia intendisse concedere subdito facultatem expendendi in ludo immoderatam pecuniæ quantitatem; nec in generali concessione veniunt ea, quæ specialiter expressa denegarentur per *reg. in generali de reg. Iur. in 6.* Hanc sententiam amplectuntur *Sayr. in claui reg. lib. 11. cap. 12. nu. 16. Roderic. quæst. regular. tomo 2 q. 38. art. 3. & 1. tomo summa in 2. edit. cap. 189. art. 4. conclus. 4. Sanchez d. cap. 19. num. 81. Laur. de Peirin. tomo 1. de subd. q 2, cap. 2. §. 7. dict. 3.* & probabilem dicunt *Anglés. in floríb. 2. part. 9 de lud. restit. art. vnic. dub. 1. propos. 4. Ludouic. Lopez 2. part. instruct. cap. 33. q. 5. in fine.*

8 Addo quòd neque Abbas posset concedere suo subdito facultatem, ludendi immoderatam pecuniæ quantitatem; quia cum Abbas, non sit Dominus, sed tantum prudens administrator bonorum Conuentus, sicut non potest in proprios vsus, nisi vtiles, honestos, & necessarios expendere, itâ neque potest subdito facultatem, vt in alios, quam honestos, vtiles, & necessarios vsus expendere, concedere; Vnde lucrantes à Religioso immoderatam pecuniæ quantitatem, 5
etiam si ad id ab Abbate licentiam haberet, tenentur eam Monasterio restituere. Itâ *Ledesma d. dub. 9. & 2. part. summa tract. 31. cap. 2. conclus. 10. Sanch. d. cap. 19. num. 80. Laurent. de Peirin. d. §. 7. dict. 4.*

9 An autem Religiosus, qui à collusione immodicâ pecuniæ quantitate lucratur ad eam illi restituendum adstrictus sit; videatur *Sanch. loc. cit. à num. 83. vsque ad num. 89. exclusiuè.*

QVAESITVM XIII.

Vtrùm Monachi, absque Abbatis licentia, possint eleemosynam facere.

SVMMARIVM.

1 *Eleemosynam an facere possint Oeconomi, siuè procuratores, seu Cellerary Conuentus.*
2 *Eleemosynam an facere possint Monachi habentes officium aliquod, cui expendendi facultas non inest.*
3 *Eleemosynam an facere possit absque Abbatis expressa, vel tacita licentia simplex Monachus carens officio expendendi, vel administrandi, et in quibus casibus, & n. n. seqq.*

1 RESpondeo dicendo Primo, quòd Monachi bonorum Monasterij administrationem habentes, quales sunt Oeconomi, siuè Procuratores, vel quicũque alij similes officiales subordinati Coenobij Prælato, nõ possunt eleemosynas facere, nisi de rebus Monasterij, secundum quod illis ab eorum Abbatibus commissum est; quia aliâs non agerent, vt administratores sed vt Domini. Item quia ad alios vsus præter destinatos non habent administrationem, ergò non possunt in eos, quantumuis pij sint, bona Monasterij dispensare *iuxtà gloss. iuncto tex. in Clem. 2. §. sed, & talis verb. conuertendum de vit. & honestat. Cleric.* quod confirmat *D. Thom. in 2. 2. q. 32. art. 8. ad 1. per hac verba Monachus si habet dispensationem à Prælato commissam, potest eleemosynam facere de rebus Monastery, secundũ quod sibi est commissum,* ergo non potest cõmissionem excedere. *Sic Nau. comment. 2. de regular. num. 8. Tabiena verb. eleemosyna, num. 9. Roderic. quæst. reg. tomo 2. q. 57. art. 2. Lopez 1. part. instruct. cap. 156. col. 3. antè 5. conclus. Sanchez in decalog. lib. 7. cap 19. num. 92. Suarez de Relig. tomo 3. lib. 8. cap. 15. num. 9. Laurent. de Peirin. tomo 1. de subd. q. 2. cap. 2. §. 8. dict. 2. Bart. à S. Fausto in thes. relig. lib. 8. q. 152. num. 1.* Possent tamen eas eleemosynas dare, quas cæteri eiusdem Ordinis Procuratores consueuerunt; Abbas enim officium committens, censetur eo ipso committere consueta exerceri per officiales in illa Religione. Itâ *ex Azor. par. 2. instit. moral. lib. 12. cap. 10. q. 3. Sanchez loco citat. num. 94. Laur. de Peirin. è Barth. à S. Fausto*
2 vbi proximè. Quod non habet locum in habentibus officium aliquod, cui non inest facultas expendendi, puta officium Sacristæ, Camerarij, Cantoris, Organistæ, vel aliud simile: non enim possent quicquam, absque expresso, vel præsumpto Abbatis consensu, ex Monasterij bonis etiam in pios vsus, vt est eleemosyna, erogare; quia huiusmodi officium non importat necessitatem expendendi, vt est officium Procuratoris. Hoc autem fallit, quando eis assignatur salarium, ad hoc vt rem diligentius agant; quia tunc videtur eis concedi tacita licentia in proprios, vel pios, & honestos vsus impendendi alias frustrà eis salarium destinaretur, quod non est præsumendum, sic docent *Nau. d. num. 8. vers. secundò infero,* quem sequuntur *Roder. d. art. 2. vers. ex quo infert Nauar. Sanch. d. cap. 19. num 94.*

3 Ex prædictis infertur, quid dicendum sit de simplicibus Monachis. Dicendum est igitur, quòd Monachus simplex carens officio expendendi, & administrandi, nullã potest eleemosynã facere sinè expressa, vel tacita Abbatis licentia, quia dispensare bona Religionis, absque debita Superioris licentia

semper

Digitized by Google

semper est vsus proprietarius, qui prohibitus est omnibus, qui voto Paupertatis adstringuntur *sic gloss. in cap. non dicatis 12. quæst. 1. alia gloss. singular. in distin. Clem.* 2. quam superius allegauimus, *& D. Thom. d. distin. artic. 8. ad. 1. dicens Monachus si dispensationem non habet, quia nihil proprium habet, tunc non potest facere eleemosynam, sine licentia Abbatis, vel expressè habita, vel probabiliter præsumpta. D.* etiam *Anton. 3. par. tit. 16. cap. 1. §. 1. Graff. 1. p. decis. lib. 3. cap. 5. num. 63. Roderic. d. art. 2. vers. fin. Nauar. d. num. 8. vers. ad cuius notabilis. Sanch. d. cap. 19. num. 95.* & alij communiter. Quòd si id facerent, peccarent mortaliter, & essent rei voti paupertatis, & recipiens eleemosynam, tenetur eam restituere tanquam factam de re aliena inuito domino, vt ait *Roderic. loc. cit.*

4 Hoc tamen fallit in multis casibus; Primo, cum proximi necessitas esset extrema: tunc enim possent etiam contra Abbatis voluntatem eleemosynam dare; quia accipere aliquid ad subueniendum proximo in extrema necessitate constituto, non est vsus proprietarius, sed potius communis; quia in illo casu omnia sunt communia, *cap. sicut hi, in fine 47. dist. l. 2. §. cum in eadem ff. ad l. Rhod. de iact. iuxta gloss. in d. cap. non dicatis, verb. possidere, & in d. Clem. 2.*
5 *D. Thom. vbi supra, & alios communiter.* Secundò fallit, quando necessitas esset magna, nec interim ad superiorem recursus haberi posset, quia tunc adest præsumpta Superioris voluntas, vt illi pauperi subueniatur, iuxta *Panormit. in cap. si quis num. 3. de furt.* quem esse communiter receptum testatur *Nauar. in Enchirid. cap. 17 num. 105.* ita etiam *D. Tho. in 4. dist. 15. q. 2. art. 5. quæstiunc. 4. in corp. Sylu. verb. eleemosyna, q. 5. num. 7. dict. 1. casu 2.* & alij, quos refert, & sequitur *Sanch. d. cap. 19. num. 97.*

6 Tertiò fallit, quando Monachus, ex legitima Superioris licentia, degeret extra Monasterium, causa vacandi studio, vel alia honesta. Nam tunc congruentem eleemosynam facere potest de rebus sibi à superiore concessis, dando saltem tantum, quantum cæteri eiusdem Ordinis, & conditionis largiri solent. Ratio est, quia Superior concedendo Monacho licentiam se absentandi, videtur ei concessisse, vt faciat omnia ea bona, quæ alij eiusdem Ordinis, & conditionis facere consueuerunt *arg. cap. præterea de offic. deleg.* atque ità docent *gloss. in d. cap. non dicatis, & in d. Clem. 2. Panormit. ibid. num. 14. & super d. cap. si quis nu. 3. & in cap. nouum genus n. 3. de decim. Nauar. d. comment. 2. n. 8 vers. ad cuius notabilis, & in man. d. cap. 17. num. 105. Sylu. loco cit. & verbo donatio 1. q. 1. n. 3. dict. 5. Angel. eod. verb. n. 9. Less. de iust. lib. 2. c. 18. dub. 11. n. 85. Graff. d. c. 5. n. 63. Sanch. d. cap. 19. n. 98.* vbi plures cumulat.

7 Quartò fallit, quando Monachus faceret eleemosynam de rebus parui momenti, & quæ communiter elargiri solent pauperibus ostiatim petentibus, sciente Abbate, & non contradicente; quia præsumitur ad id illius consensum accedere, sic *Graff. d. cap. 5. n. 62. Aragon. 2. 2. q. 32. art. 8. col. 3. Roderic. tom. 2. summæ cap. 32. conclus. 2. dict. 8. & tom. 2. quæst. reg. q. 57. art. 2. vers. fin.* subdens, hoc adeò verum esse, vt etiam si Abbas dicat suis Monachis, ne dent eleemosynas: non tamen per hoc eis videtur iniungere, ne competentes, ac consuetas eleemosynas elargiantur, sciens autem si etiam huiusmodi eleemosynas prohibeat, tunc enim teneretur subditus obedire.

8 Quintò fallit, quando Monachus faceret eleemosynam de eo, quod priuans se ipsum proprio commodo sibi subtrahit de bonis, quæ sibi assignantur ad suam sustentationem pro itinere faciendo, vel negotio aliquo peragẽdo sub ea cõditione, vt suo damno, vel commodo illa expendat, nec quicquã ampliùs teneatur Conuẽtus ei dare, nec ipse de ijs bonis rationẽ reddere, tunc nõ peccabit Religiosus dando eleemosynam, quia habet Superioris licentiam saltem implicite. Sic *Nauar in sæpius citato comment. 2. de regular. n. 8. corol. in fin. & lib. 3. cons. in 1. edit. tit. de regular. cons. 75. num. 46. & 48. & in 2. edit. tit. de stat. Monach. cons. 3. n. 46. & 48. Graff. dict. cap. 5. nu. 63. in fin. Suar. de relig. tom. 3. lib. 8. c. 15. num. 8. Molin. tom. 2. de iust. disput. 276. col. antepenult. vers. Religiosus in Conuentu*, & alij plures, quos citat, & sequitur *Sanchez d. cap. 19. num. 100.* qui *num. seq.* ait hoc esse intelligendum, tam de Monacho degente extrà claustra, quàm intrà, cui modo prædicto assignatur certa portio ad suos vsus, quia præsumitur ea esse Superiorum intẽtio, vt quod sibi relinquit, possit in eleemosynã, & alios honestos vsus expendere; quod idem *affirmat Molin. loco cit.*

9 Vltimò fallit, quando Monachus siue intra, siuè extrà claustra degens, habet peculium, ex legitima Abbatis licentia, siue ex dispensatione Summi Pontificis; potest enim ex eo, competentes, & Religiosum statum decentes eleemosynas facere; sic *Molina d. disput. 276. col. antepenult. vers. Religiosus in Conuentu, Sanch. d. cap. 19. n. 104. vbi cum Nauarro comment. 4. de regular. n. 68.* concludit, Monachũ non solum huiusmodi peculium, verum etiam omnia eius causa acquisita expendere posse in vsus licitos, & honestos, quia concedẽs principale, videtur etiam accessorium concedere, *l. cum principalis ff. de regul. Iur. cap. accessorium eodem tit. in 6.* tum etiam quia filius familias, & seruus perindè possunt administrare quicquid acquirunt peculio, ac ipsum peculium *arg. l. 2. & 3. §. si filius familias, & l. si duo ff. de pecul.* & hæc hactenùs de præsenti quæsito.

QVAESITVM XIV.

Vtrùm Abbas aliquid in eleemosynam erogare possit.

SVMMARIVM.

1 *Eleemosynam facere tenentur Abbates de superfluis Conuentus.*
2 *Eleemosyna erogare quantum possint Abbates.*
3 *Eleemosyna Abbates omnes superfluos Monasterij redditus possunt erogare.*
4 *Eleemosynam facere an possint Abbates sine consensu Conuentus.*

1 Respondeo, quod Abbates, & cæteri Religionum Prælati, non solum possunt, imò & tenentur de superfluis Conuentus bonis eleemosynas pauperibus erogare, *cap. quia tua in fine 12. q. 1. & cap. aurum 12. q. 2. cap. non satis dist. 86. cap. sicut hi, dist. 47. cap.*

quoniam quicquid 16. q. 1. Monasteria enim sub præcepto ad eleemosynas coguntur, nam religionis scopus est charitas in Deum, & proximum, ita docet *Sot. lib. 10. de iust. q. 4. art. 4. conclus. 3. vers. quod autem*, vbi postquam asseruit, præceptum eleemosynas faciendi, quo vniuersi Christifideles adstringuntur, authore *D. Thom. 2. 2. quæst. 32. & alijs.* Episcopus arctissimè obnoxios esse ait, id etiam suo gradu intelligendum esse de Religiosorum Monasterijs, quibus prouentus redundant; ita etiam *Roderic. tom. 2. quæst. regul. quæst. 57. art. 1.* & hoc certum est apud omnes; cura autem Monasterij de Iure communi tota penes Abbatem residet *cap. nullam 18. quæst. 2.* ergo ad eum spectabit, eleemosynas facere; ita *Graff. par. 1. decis. lib. 3. cap. 5. num. 63. Molin. tom. 2. de iust. disput. 276. in princip. Vasq. opusc. de eleemosynis cap. 4. num. 1. Sanch. in Decalog. lib. 7. cap. 19. num. 90. Suar. de Relig. tomo 4. tract. 8. lib. 2. cap. 26. num. 12. Laur. de Peirin. tomo 1. de subdito q. 2. cap. 2. §. 8. in*
2 *princip.* Quantum autem in eleemosynam erogare possint Abbates, non potest certa, & vniuersalis regula assignari, sed prudentum arbitrio iudicandum est, pensata tum cœnobij facultate, tum etiam pauperum indigentia, ac temporum calamitate, alijsque circumstantijs; quia ratione præcepti misericordiæ eleemosyna est de superfluis facienda, iuxta illud *Lucæ 11. Quod superest, date eleemosynam*, & ait *D. Thom. d. art. 5. in corpore*: at superfluum est existimandum
3 respectu status tam possidentis, quàm indigentis. An autem Abbas omnes superfluos Monasterij redditus possit in eleemosynam dare; nec etiam certa generalis regula tradi; quia aliquando hoc potest esse præceptum, & interdum consilium; pendet enim ex occurrentibus proximorum necessitatibus. Nam si illæ sint extremæ, in quibus locum habet id, quod *D. Ambros. lib. officior. dicit: Pasce fame morientem; quisquis enim pascendo hominem seruare poteris, si non pasceris, fame occidisti*, quod refertur *in cap. pasce 86. dist.* tunc Abbas non solum superflua, imò etiam aliqua ex necessarijs tradere debet (intelligo de necessarijs, sine quibus non posset Abbas eum suis Monachis conuenienter viuere secundum conditionem, & statum Religiosum) habita tamen ratione aliorum, qui ad huiusmodi necessitati succurrendum concurrere solent: si autem necessitas esset grauis, omnia superflua erogare debet, nisi ex aliorum concursu necessitas minuatur. Quod si necessitates proximorum essent tantum communes, etsi aliquid ex superabundantibus erogandum sit, nihilominus non est necessarium, omnia superflua donare, nec in Abbate esset consilium. Quia superflua Monasteriorum iustius videntur impendi in opus pium augendi, & perficiendi cœnobia ipsa, vel quoad ea, quæ spectant ad diuini cultus reuerentiam, aut habitationem, vel quoad perpetuos redditus, ex quibus maior Monachorum numerus sustentari possit, quàm in alia opera extranea etiam pia, vt esset abûdans eleemosyna in communibus proximorum necessitatibus, vt notat *Nauar. cõment. 3. de regul. n. 7. in fi.* ita docet *Suar. d. c. 26. n. 13.*
4 Potest autem regulariter Abbas, eleemosynã, absq; Conuentus consensu facere, quia est legitimus administrator bonorum ipsius Conuêtus; nisi aliter obseruandum esset ex totius Religionis, vel Prouinciæ, aut aliorum Superiorum statutis, vt aduertit *Molin. d. disp. 276. vers. illud verò.* Quòd si ex huiusmodi constitutionibus Conuentus licentia esset necessaria: ad discernendum, an requiratur omnium Monachorum ibi commorantium consensus, vel sufficiat, maiorem partem assentiri, distinguendum erit; nam si bona illius Monasterij possideantur in communi particulariter, ita vt singulis Monachis certæ portiones annuatim sint assignandæ, oportet interuenire, assensum omnium, quia omnium interest, *ex cap. cum omnes, de constit.* & ibi *gloss. verb. dicat*, & ex ea *Panorm. super eod. cap. n. 5. alia gloss. in cap. quod omnes, de reg. Iur. in 6. alia gloss. in cap. si Archiepiscopus v. ab omnibus de temp. ordinat. & in cap. quia propter in verb. vice omnium, de appellat.* Ratio est, quia eleemosyna facienda est ex bonis proprijs, non autem ex alienis, alioquin fieret iniuria Domino rationabiliter inuito; tum etiã quia quod ad omnes pertinet, ab omnibus approbari debet *d. reg. quod omnes de reg. Iur. in 6.* Si verò bona Monasterij possideantur in communi collegialiter, ita vt dispensentur ab ipsa Communitate, vel Superiore tunc sufficiet maiorem Conuêtus partem consentire per *cap. 1. de his quæ fi. à maior. par. Cap. cum alijs Iuribus alleg. à gloss. 1. ibid.* & ita docent *Valent. 2. 2. disp. 3. q. 9. punc. 5. col. 2. Reginald lib. 4. c. 22. num. 28.* & alij plures, quos allegant, & sequuntur *Sanchez d. c. 19. n. 91. & Bonace. in Decalog. disp. 3. q. 4. punct. 4. nu. 21. vers. tertiò de bonis.*

QVAESITVM XV.

Vtrùm Abbas possit facultates Monasterij in quos voluerit vsus expendere.

SVMMARIVM.

1 *Expendere Abbas non potest bona Monasterij in quos voluerit vsus.*
2 *Abbas non est Dominus, sed procurator, & administrator bonorum Conuentus.*
3 *Oeconomi, siuè procuratores non possunt bona Conuentus in alios, præter deputatos ab Abbate vsus, expendere.*

1 Respondeo non posse Abbatem pro suo arbitrio, & libera voluntate in quos voluerit vsus bona Monasterij expendere; quamuis enim apud ipsum præcipua administratio proxima bonorum Conuentus reperiatur, *cap. nullam 18. q. 2. cap. edoceri de rescript. cap. cum ad Monasterium de stat. monac.*
2 tamen certum est illum non esse proprium dominũ, sed procuratorem, atque administratorem, cuius curæ omnia illa commissa sunt; vt constat *ex cap. fraternitatem de donat. & c. vltimo 12. q. 1. & cap. sinè exceptione 12. q. 2. & cap. casellas 10. q. 2. cum fuit gloss.* dicitur autem procurator ex eo, quia Conuentus vtilitatem procurare debet, non autem disponere de eius bonis ad libitum, vt dominus, secundum *Panormit. in d. cap. fraternitatem in fin. num. 2.* vnde si in vsus vanos, superfluos, ac illicitus, redditus illius expenderet, peccaret contrà Paupertatis votum, ac esset proprietarius, vt sentiunt *Maior. in 4. dist. 38. quæst. 9. in 3. conclus. Nauar. comment. 2. de regular. num. 21. vers. 7. quod Abbas, & comment. 3. num.*

Digitized by Google

num, 27. & alij, quos citat, & sequitur, *Sanchez, in decalog. lib. 7. cap. 19. num. 22. Suar. de relig. tom 3. lib. 8. cap. 15. num. 10. Roderic. quæst. regul. tom. 3. q. 29. art. 10. conclus. 2. Miranda in man. Prælat. tom. 1. q. 28. art. 12. conclus. 1. Laur. de Petr. tomo 1. de subd. q. 2. cap. 2. §. 1. vers. ex dictis colligitur*. Ratio est quia ipse Abbas etiam votum Paupertatis emisit, & sic est incapax dominij: tum etiam, quia Monasterium non transtulit in illum dominium bonorum, quod est penes se; ergò non potest, vt Dominus illa dispensare, sed tenetur distribuere in illos vsus, in quos destinata
3 ta sunt. Idem dicendum de Procuratoribus, seu Oeconomis, qui ex Abbatis commissione bonorum Monasterij administrationem habent, hi enim, si in alios vsus, præter deputatos ab Abbate quantumuis sine liciti, & Communitati deseruiant, bona Conuentus absque expressa, vel tacita Abbatis licentia, expenderent, quia actus dominij exercent ac administrationis sibi traditæ limites excedunt, peccant contrà Paupertatis votum, nec absolui possunt donec resipiscant.

Vndè *D. Thom. 2. 2. q. 32. art. 8. ad 1.* ait quòd Monachus si habet dispensationem à Prælato commissam, potest eleemosynam facere de rebus Monasterij, secundum quod sibi est commissum; ergo non potest commissionem excedere, quantumuis causa pia esse videatur. Ità etiam docent *Gerson. Alphabet. 34. lit. S. Mendoz. in suis quodlibet q. 8. concl. 1. Roder. d. art. 10. conclus. 1. Miranda d. art. 12. conclus. 2. Sanch. d. cap. 19. num. 94. Suar. d. cap. 15. num. 9.*

QVAESITVM XVI.

Vtrùm Abbas cum Conuentu possit, ex bonis Monasterij certos annuos redditus singulis Religiosis ad victum, & vestitum assignare.

SVMMARIVM.

1 *Consuetudo Religionum an licita sit, vt singulis Monachis dentur de bonis Monasterij quotannis certi redditus ad victum, & vestitum.*

2 *Religiosi an parere teneantur Superiori volenti reformare consuetudinem assignandi quotannis singulis ipsorum portionem de redditibus Monasterij pro victu, & vestitu.*

HAnc quæstionem fusè tractat *Io. Andr. in reg. non est obligatorium 58. de regul. tur. in Mercurial.* formans quæstionem vtrùm valeat statutum factum ab Abbate cum Conuentu, vt singulis Monachis tradantur decem quolibet anno pro indumētis; & tandem concludit, valere dicens, quòd hoc factum fuerit multis locis sciente, & patiente Curia Romana, idem confirmant *Panormit. in cap. nisi essent nu. 8. de præben. & in cap. cum ad Monasterium num. 8. de stat. Monach.* & ibi *Anton. de Butr. num. 10. idem Panormit. in consi. 88. in 1. par. Dec. in cap. cedoceri nu. 17. de rescript. latissimè Nauarr. Comment. 3. de reg. Graff. 1. par. decis. lib. 3. cap. 5. num. 55. Roderic. 2. to. summ. cap. 31. num. 2. conclus. 2. Sanchez in decalog.*
1 *lib. 7. cap. 22. num. 15.* Cum quibus dicendum videtur licitam esse consuetudinem quarundam Religionum, in quibus ex Superiorum licentia, Regularibus certi annui redditus taxantur pro victu, & vestitu, ità vt si aliquid deest, ipsi quærant, & superfluum pijs, & honestis vsibus impendant, dummodo Religiosi facultatis sibi traditæ terminos non excedant, & reformationi à Superioribus legitimè faciendæ obtemperare sint parati. Et subdunt *Nauarr. ibi num. 32. q. 9. Roderic. d. num. 2. & Sanchez d. num. 14.* non obstare prædictę Consuetudini Concilium Tridentinum, dum *sess. 25. de regular. cap. 1.* statuit, vt omnes Regulares ad Regulæ, quā professi sunt, præscriptum vitā instituant, & componant. At in omnibus regulis omnium Religionum, etiam Canonicorum Regularium, quæ omnium latissima videtur, præscriptum est, vt Regulares viuant sinè proprio non solum quoad dominium, sed etiam quoad vsum peculiarem, & quod omnia habeant communia, *c. sumad Monasterium de stat. Monach. & cap. 2. d. sess. 25.* Concilium statuit vt nullus Prælatus vlli Regulari concedat bona stabilia etiam nomine Monasterij possidenda; Non obstat, inquam Concilium: Respondetur enim huiusmodi consuetudinem, & statutum, quamuis ante ipsum Concilium introducta, non esse reproba iudicanda, quousque per Superiores reformentur, & ad pristinam Regulæ obseruantiam reducantur, quia verba illa Concilij *omnes Regulares vitam suam instituāt, & componant* indicant, prius esse vitam instituēdam, & componendam, quam teneantur seruare; tum quia vitam instituere, & componere, non ad singulos, sed ad Prælatos, & Capitula pertinet, & ideò singuli excusarentur à peccato, donec illa institutio, & compositio fieret nec per eos impediretur. Subdit autem *Nauar. eod. num. 32. vers. secundo*, quòd peccarent
2 Prælati negligentes instituere, seu reformare, & magis subditi contrauenientes reformare volentibus, & etiam singulares impedientes legitimam reformationem; quia contraueniunt menti, & verbis Concilij: legitima autem reformatio, vt ait idem *Nauar. ibid. num. 36.* tunc esset, quando Prælatus non vnum, aut alterum reformare vellet, sed omnibus, & singulis Religiosis, oportuoè præciperet; vt abstineant à portionibus priuilegiatis percipiendis, & communiter sinè vllo proprio viuant. Quòd si ex abrupto præciperet, vt ea facerent, antequam ordinarentur Officiales, & instrumenta vitæ communi necessaria, iustum, & legitimum reformandi modum excederet, Religiosi iure ab huiusmodi reformatione appellare possent.

QVAESITVM XVII.

Vtrùm Abbas, aut alius Prælatus Regularis, vel Monachus ad Episcopatum, vel aliam dignitatem Ecclesiasticam sæcularem assumptus à Paupertatis voto eximatur.

SVMMARIVM.

1 *Monachus per assumptionem ad Episcopatum non eximitur à voto Paupertatis.*

2 Mona-

2 *Monachus effectus Episcopus non Monasterio, nec sibi, sed sua Ecclesiæ acquirit.*

VIdetur, quòd Abbas, & Monachi ad Episcopatum, vel Cardinalatum, aut beneficium aliquod seculare promoti, voto Paupertatis soluatur. Quia Monachus per assumptionẽ ad Episcopatũ eximitur à iugo Monasticæ Regulæ, vt habetur in *can. statutũ 18. q. 1.* vbi dicitur quòd Monachũ electio canonica à iugo Regulę Monasticę professionis absoluit; & sacra ordinatio de Monacho Episcopum facit; sed votũ Paupertatis est de substantialibus Regulæ; ergò Monachus ad Episcopatum assumptus à iugo voti Paupertatis absoluitur. Præterea in eodẽ texto conceditur, vt Monachus in Episcopum creatus, velut legitimus hæres paternam sibi hæreditatem postcà Iure vendicandi potestatem habeat, sed si est idoneus ad acquirendum, sibique vendicandum, est idoneus ad habendum verum dominium; quia vendicare, ac sibi acquirere, sunt actus veri dominij *l. in rem ff. de rei vendicat.*

1 In contrarium tamen est, quòd Monachus, licet efficiatur Episcopus non tamen desinit esse Monachus; quod probatur *ex can. de Monachis 16. q. 1.* vbi dicitur *De Monachis, qui diù morantes in Monasterijs, si posteà ad Clericatus Ordinem peruenerint, statuimus non debere eos à priori proposito discedere* sub Clericatus autem ordine Episcopatus etiam comprehenditur. Et ità docent *Hostien. in c. Clerici il 2 de vit. & honest. cleric. Couar. in cap. 1. nu. 18. de testamentis*. Neque est solutus à tribus votis Religionis substantialibus, Castitate, Paupertate, & obedientia, iuxta doctrinam *D. Thom. 2. 2. q. 185. art. 8. & habetur in gloss. d. cap. de Monachis verb. discedere, & in d. cap. vnico*, quam doctrinam amplectuntur omnes Doctores infrà adducendi; Ratio est, quam adducit *D. Thom.* Quia status Religionis comparatur ad Episcopatum, sicut dispositio ad perfectionem, vel sicut disciplina ad Magisterium, sed dispositio non tollitur superueniente perfectione, quoad ea, in quibus illi non repugnat, sed potius congruit, imo simul manet, & magis confirmatur; ergo status Religiosus nõ tollitur, superueniente statu Episcopali, quoad substantialia, sicut est votum Castitatis, Paupertatis, & Obedientiæ; quia quoad ea illi non repugnat. Et ideò quod ad rem nostram facit in præsenti, Monachum ad Episcopatum, vel alias dignitates Ecclesiasticas seculares, vel Regulares assumptum non eximi à Paupertatis voto, nec effici verum Dominum redditum Ecclesiasticorum ad instar Episcoporum secularium, defendunt *D. Thom. d. art. 8. ad. 3. & q. 88. art. 11. ad 4. gloss. in cap. quorundam verb. mendicantium, de elect. in 6. & in can. quia tua, verb. seorsum 12. q. 1. & d. cap. de Monachis verb. discedere 16. q. 1. & d. cap. statutum, verb. legitimus, 18. q. 1. & in can. in noua 16. q. 7. Ioan. And. in cap. c. num. 6. & ibi Panormit. in fine de testament. Nauar. comment. 1. de regul. num. 31 & comment. 2. num. 17. vers. quastionis tamen, &c. & comment. 3. num. 36. Couar. d. cap. 1. num. 18. de testam. Graff. par. 2. decis. lib. 3. cap. 19. num. 87. Roder. quæst. Regular. tom. 2. q. 58. art. 8. Less. de iust. lib. 2. cap. 40. dub. 14. num. 113. Azor. instit. moral. part. 1.* 3 *lib. 12. cap. 7. q. 2. vers. profectò hac quamuis*; plures refert, & sequitur *Sanchez in decalog. lib. 6. cap. 6. n. 8. D. Barbos. de offic. & potest. Episc. part. c. tit. c. cap. 4. num. 11. & par. 3. alleg. vlt. num. 19. & seq. Suar. de Relig. tomo 4. tract. 8. lib. 3. cap. 16. à num. 6.* vbi hoc pluribus rationibus confirmat, *Ricc. in prax. for. Eccles. decis. 596. num. 1. & 2. Laur. de Peirin. tomo 1. de subdit q. 1. cap. in. §. vnic.* Nec obstant argumenta in contrarium adducta in principio. Ad primum enim respondetur cum D. *Thom. in d. art. 8. ad 1. quòd tex. in can. statutum in quantum inquit*, quòd Monachus electus Canonicè in Episcopum à iugo Monasticæ Regulæ absoluitur, procedit in clausura, silentio, vigilia, abstinentijs, & alijs similibus vitæ asperitatibus: non autem in illis Religionis obseruantijs, quæ neque Pontificale munus impediunt, nec dedecent dignitatem, sed magis iuuant ad vitæ perfectionem; qualia sunt tria substantialia vota, vt dictum est Ad secundum autem respondetur *cum gloss. in eodem*

2 *cap. statutum verb. legitimus* quòd Monachus à Religione ad Episcopatum euectus non acquirit ius succedendi per Episcopatum, quia illud iam anteà habebat, cum esset Monachus *cap. si qua mulier 19. q. vlt. & l. Deo nobis C. de Episc. & Cler.* sed per Episcopatum, fit, vt impostèrum non acquirat Monasterio, in quo differt à puro Religioso; sed acquirat suæ Ecclesiæ. Vndè non vendicat sibi paternam hæreditatem quasi propriam, sed quasi Ecclesiæ suæ debitã, vt benè notauit *D. Thom. d. art. 8. ad 3.* Nihil enim potest Regularis Episcopus tanquam verus Dominus, & Proprietarius acquirere; sed quemadmodum quando erat Religiosus, quicquid acquirebat, Monasterio acquirebat; ità Episcopus effectus acquirit suæ Ecclesiæ.

QVÆSITVM XVIII.

Verùm Abbas possit testamentum concedere.

SVMMARIVM.

1 *Testamentum, vel alias vltimas voluntates concedere non potest Religiosus professus, sine legitima facultate.*

2 *Idem est de Abbatibus ac cæteris Religionum Prelatis.*

3 *Testamentum condere an possit ingrediens Monasterium, & habens liberos, post professionem.*

4 *Religiosus vt possit testari, cuius licentia requiritur.*

1 CErtum est Religiosum professum nec validè, nec licitè, sine legitima facultate, posse testamenta vel alias vltimas voluntates concedere *auth. ingressi C. de sacros. Eccles.* quæ canonizata est; à *D. Gregorio Papa in cap. quia ingredientibus 19. q. 3.* Quia disponere hoc modo de aliqua re, est vsus proprietarius, qui omnino est Religiosis prohibitus; tum etiam, quia Religiosus nihil habet proprij; quicquid enim acquirit Monasterio acquirit; ergo testamentum, vel aliam vltimam voluntatem condens disponeret de re non sua: dispositio autem de re non sua, & sine licentia Domini facta, inualida est; ergò huiusmodi dispositiones à Religioso factæ nullæ essent, atque hoc certum est apud omnes, Videatur *Nauar. comment. 2. de regular.*

de regular. num. 22. 43. & ſeqq. & in Comment. de ſpol. Cleric. in c. non liceat §. 6. nu. 3. & 12. q. 2. Sanch. in præcepta decalogi lib. 7. cap. 8. nu. 21. Suar. de relig.
2 *tomo 3. tract. 7. lib. 8. cap. 16.* Sub hac prohibitione comprehenduntur etiam Abbates, & cæteri Religioſorum Prælati, *cap. 7. de teſtament.* ipſi enim verè quoquè Religioſi ſunt, *cap. fin. de ſimon.* nec poſſunt proprium habere, *can. Abbati. 54. diſt. & in d. auth. ingreſſi, & d. cap. quia ingredientibus* prohibetur generaliter omnibus profeſſis teſtamenta, & vltimas voluntates condere. Ità *Franch. in rubr. de teſtam. n. 65. verſ. ſecundo infertur Nauar. loco citato Graff. deciſ. aur. part. 1. lib. 3. c. 5. nu. 59. in fine Sanch. loco citato.*

3 Supradicta limitantur. Nam ingrediens Monaſterium, & emittens profeſſionem, ſi habet liberos poteſt teſtari, & tenetur relinquere liberis ad minus legitimam, & reliqua bona Monaſterio, aut Monaſterio legitimam, computato ipſo Monaſterio in numero liberorum, & reliqua bona ſuis filijs; quòd ſi decederet ab inteſtato, tunc filijs deberetur legitima, & reliqua bona debentur Monaſterio, quæ limitatio habetur in *auth. ſi qua mulier C. de ſacroſanct. Eccleſ. & in Auth nunc autem de Epiſcop. & Cleric.* & refertur à *Gratiano in can ſi qua mulier 19 q. 3.* Hoc autem non ſufficit, vt dictu ius ciuile dicatur canonizatum; quia Gratianus nullam habuit facultatem faciendi canonem, nec authoritatem tradendi vim Canonis, vt tradit latè *Felyn. in cap. 2. de reſcript. & Nauarr. d. Comment. 2. num. 53.* Verùm illa lex videtur à Gregorio Papa in *d. can. quia ingredientibus* virtute approbata, & vſu etiam, ac conſuetudine recepta, vt teſtantur *Couar. de teſtam. cap. 2. nu. 9. Molin. lib. 2. de primogen. num. 55. Molina Theologus tomo 1. de iuſtitia, & Iure diſput. 141. verſ. hinc in Regno, Menchaca in controuerſ. vſufrequent. lib. 1. cap. 5. num. 9. Leſſ. lib. 2. de iuſt. cap. 41. dub. 10. num. 82. Roderic. quæſt. Regular. tomo 3. q. 69. art. 2. Sanchez. d. lib. 7. cap. 9. nu. 7.* & ità communiter teneri, ait *Suar. d. c. 16 nu. 2.*

4 Ex his infertur, non poſſe Religioſum profeſſum condere teſtamentum etiam cum licentia cuiuſcumque Prælati Summo Pontifice inferioris; quia hæc prohibitio ſimpliciter procedit à Iure Communi, & non minus afficit ſimplices Religioſos, quam ipſos Prælatos. Ità docent *Panormit. in cap. in præſentia num. 61. de probat. Franch. d. num. 65. Nauar. Leſſ. Roderic. Molin. Graff. locis citatis, & alij plures, quos congeſſit Sanchez d. cap. 8. num. 5.* vbi cum *Nauar. Roderic. Bertran & Tapia, & Fuluio Pacian.* aſſerit, neque Prælatum cum Conuentu, aut Capitulum Generale poſſe hanc licentiam concedere.

Quòd autem Summus Pontifex illam concedere valeat, & ſi aliqui dubitauerint, eſt tamen abſque dubio tenendum affirmatiuè; quia quod Religioſus teſtari non poſſit, eſt tantùm de Iure humano, quod Summum Pontificem non ligat, ergò poteſt in eo diſpenſare. Atque ità tenent *Nauarr. d. Comment. 2. n 57. Couar d. c. 2. nu. 10 & cap. cum in officijs, n. 7. de teſtament. Molin. lib. 2. de primogenit cap. 9. num. 67. Molin. Theolog. d. diſp. 141. col. penult. Leſſ. d. cap. 41. dub. 8. num. 73. Roderic. d. q. 69 art. 2. Graff d. nu. 59. & alij plures apud Sanchez d. cap. 8. num. 45.* quibus addo *Suarez d. cap. 16. num. 9.*

D I S P V T A T I O. XXII.

De poteſtate Abbatum, & aliorum Prælatorum quoad ſolemne Caſtitatis Votum.

Quæſ. 1. Vtrùm deceat Abbatem, aliumquè Prælatum Eccleſiæ eſſe Caſtitatis amatorem.
Quæſ. 2. Vtrùm Abbas, & alij Prælati habeant auctoritatem diſpenſandi ſuper votum Caſtitatis.
Quæſ. 3. Vtrùm ad Abbatem, vel alium Prælatum pertineat imponere pœnam Monacho qui Caſtitatis votum per matrimonium violauit.
Quæſ. 4. Ad quid teneatur Prælatus Regularis ad Epiſcopatum, vel aliam dignitatem, extra Religionem aſſumptus, circa Caſtitatis, vel Obedientiæ vota.

Q V AE S I T V M I.

Vtrùm deceat Abbatem aliumquè Prælatum Eccleſiæ eſſe Caſtitatis Amatorem.

S V M M A R I V M.

1 *Abbates Monachorum Duces ſunt.*
3 *Abbates debent eſſe Caſtitatis amatores; quia Religioſi ſunt illam profitentes.*
3 *Abbates ſunt Prælati Eccleſiæ.*

1 QVæſtio hæc à nobis apponitur, Primo, vt ſeriē noſtri tractatus ſequamur. Secundo, vt Abbates qui aliorum Monachorum Duces ſunt amorem zelumquè Caſtitatis in proprijs perſonis exercētes, illum etiam ſuis Monachis communicent, quod duplici medio oſtendere conabimur: primo decere eos
2 Caſtimoniā amare, quatenus Religioſi ſunt, illamq;
3 profitentes: Secundo vt Prælati Eccleſiaſtici ſuarum Eccleſiarum ſponſi: fuit enim hæc virtus Caſtitatis, nedum in nouo teſtamento laudabilis, & tamquam vna inter cæteras virtutes excellentior, vnde à Domino noſtro Ieſu Chriſto apud Euangeliſtam fuit dictum, *ſunt Eunuchi, qui ſe caſtrauerunt propter Regnum Cælorum*, quæ verba clarè oſtendunt caſtimoniam profitentes eſſe Ciues Sanctorum, & Domeſticos Dei; imò, & quod plus eſt, ipſum Regnum Cælorū inuenitur comparatum virginibus caſtitatem ſeruātibus, *ſimile eſt Regnum Cælorum*, verum etiam in veteri teſtamento fuit Commendabilis. Vnde enim ſummus Sacerdos ſumpſit argumentum, quòd Do-

minus

Digitized by Google

minus dederit victoriam in manu Iudith, nisi quòd castitatem amauerit, & post vitum suum alterum nescierit. *Ideo Dominus confortauit te, & eris benedicta in aeternum*. Sic Petrus primo promittit gratiam sobrijs, & dicit esse perfectos castimoniam colentes, *succincti lumbos mentis vestrae sobry, & perfecti sperate in eam, quae vobis offertur, gratiam in reuelatione Iesu Christi*. vndè Ambrosius *lib. 2. de virginitate dicit*. *Quòd haec virtus descendit de Caelo, vt imitaretur in terris*, imitantes ergo eam sunt tamquam nubes qui Angelos, sydereaquè transgredientes, verbum Dei in ipso sinu Patris inueniunt. Sic Cyprianus *de hab. vir.* virginibus alloquens ait. *Quòd nos speramus, vos iam tenetis, vos resurrectionis gloriam in hoc saeculo iam tenetis per saeculum sinè saeculi cognitione transitis, cum castè perseueratis, ae Virgines Angelis Dei estis aequales*, & profectò liquidò constat, quòd Abbates nostri temporis, nostriquè ordinis Professores, qui in hoc agone luctauerunt, de carne victoriam reportantes, ad sublimia ascendentes, verbum in sinu Patris inuenerunt. Caeteri nostra hac tempestate Abbates in hoc eodem Instamine se exercentes, sicut super alios monastiçae vitae Professores eleuantur, sic per castitatis virtutem super propriam fragilitatem se prouehentes, non solùm per se illam amplecti, ac Christum imitando, illam suos subditos hortari debent, ac illis ipsam praecipere, ac sub praecepto ad eam obseruandam cogere, ac vt strictissima obseruantia, & Inuiolabiliter Religiosi omnes illam colant, curare debent.

QVAESITVM II.

Vtrùm Abbas, & alij Praelati habeant auctoritatem dispensandi super votum Castitatis.

SVMMARIVM.

1 *Arguitur pro parte affirmatiua.*

2 *Dispensare non potest Abbas, vel alius Praelatus super votum Castitatis.*

3 *Responsio ad obiectionem initio quaesiti factam.*

1 Videtur dicendum, quòd liceat Abbati dispensare super votum Castitatis cum suis subditis, & probari potest, sic quia *Speculat. in tit. de legat.* quem sequitur *Ioan. Andr. in cap. venient qui Cler. vel vouentes*, tenent quod Episcopus habeat facultatem super Castitatis Votum dispensandi, ratio eorum est; quia in illo *cap. habetur*, quòd Episcopus absoluit quamdam mulierem ab huiusmodi voto; sed cum Abbas habeat Iurisdictionem Episcopalem, seu quasi vt pluries supra dictum est; sicut potest Episcopus, 2 poterit etiam ipse dispensare. At contraria sententia verior, imò apertissima, non solùm quoad Abbates, verùm etiam quoad Episcopos, ac etiam Summum Pontificem habetur per *Innocent. III. in cap. cum ad Monasterium de statu Monachor.* vbi haec formalia verba leguntur, *abdicatio proprietatis, sicut & custodia Castitatis, adeo annexa est statui Monachorum, & Regula Monachale, vt super ipsam, nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere*, quae verba nulla egent explicatione, nullumquè ambigendi 3 locum nobis relinquunt. Ad opinionem *spec. & Io. Andr. dicimus*, quòd si Episcopus *in d. cap. veniens* soluit mulierem illam à voto Castitatis, *id fecit*, vel auctoritate Summi Pontificis sibi delegata, vel quia mulier erat Iuuenis, & erat periculo, ne voto contrairet, ità *Sylu. verbo Votum 4. q. 4.* quae causae omnino cum Regularibus cessant.

QVAESITVM III.

Vtrùm ad Abbatem, vel alium Praelatum pertineat imponere poenam Monacho, qui Castitatis votum per matrimonium violauit.

SVMMARIVM.

1 *Inquisitoris est non Abbatis, vel alterius Praelati poenam imponere Monacho, qui violauit votum Castitatis per matrimonium.*

2 *Abbates, vel alij Praelati nullo priuilegio possunt poenam imponere Monacho, qui matrimony contractu castitatis votum violauit.*

Videtur ad Abbatem spectare poenam Monacho, qui Castitatis votum per matrimonium violauit, imponere, sicut habetur in *Concil. Turonen. 2. cap. 15.* ità expressè, *si quis Monachus vxorem duxerit, excommunicetur, & de vxore malè sociata etiam Iudicis auxilio separetur, & infoelix Monachus tali coniunctione foedatus, ab Ecclesia segregetur, donec reuertatur ad septa Monasterij, & iudictam ab Abbate, quandiu ei praeceptum fuerit, poenitentiam agat* 1 verum notandum eum *Simanch. lib. de Cathol. instit. tit. 40. de Matrimon. num. 8. & seqq.* cognitionem delicti Monachi Matrimonium contrahentis tam publicè, quàm occultè ad sacrae Inquisitionis tribunal spectare; quia Summi Pontifices *d. Concil. Turon.* ad officium Sacrae Inquisitionis facinus istud Monachi Professi, ac postea Matrimonium contrahentis, spectare constituerunt.

2 Vndè nullum priuilegium indultum, vel concessio facultatis super hoc quomodolibet, Abbatibus, vel quibuslibet alijs superioribus quorumcumquè ordinum, & Religiosorum, facta suffragaretur, quominus huiusmodi criminum cognitio ad tribunal Sanctae Inquisitionis pertineat, in Constitutione Pauli Quinti incipit *Romanus Pontifex*, edita anno Domini 1606. Calendis Septembris, apud Sanctum Marcum in Bullario nouo *Laert. Cherub. tomo 3. Constit. 26. alias 19. d.* Pontificis. In qua reuocauit omnes facultates Superioribus quarumcunquè Religionum quoquo modò concessas cognoscendi causas suorum Subditorum ad officium Sanctae Inquisitionis haereticae prauitatis quomodolibet pertinentes, de quare, vide *Roderic. q. q. Reg. tom. 3. quaest. 1. art.* vbi fuse de praesenti materia disputat.

QVAESI-

QVAESITVM IV.

Ad quid teneatur Prælatus Regularis ad Epiſcopatum, vel aliam dignitatem, extra Religionem aſſumptus, circa Caſtitatis, vel Obedientiæ vota.

SVMMARIVM.

1 *Religioſus ad aliam dignitatem extrà Religionem euectus quomodo Caſtitatis voto obligetur.*

2 *Religioſus Epiſcopus effectus peccando contra Caſtitatem an eam circumſtantiam in confeſſione patefacere teneatur.*

3 *Religioſus Epiſcopus effectus non manet liber Obedientia voto, & quomodo ad illud teneatur.*

HVius quæſiti ſolutio pendet ex dictis in *penult. quæſ. diſp. de poteſt. Abbatum, & Prælatorum Regularium circa votum Paupertatis*; vbi reſoluimus Monachum ad Epiſcopatum, vel aliam dignitatem extra Religionem aſſumptum non manere liberum à tribus ſubſtantialibus Religionis votis: ſed quia ibi præcipuam eius obligationem circa Paupertatis votum expoſuimus, in præſenti qua obligatione circa Caſtitatem, & Obedientiam teneatur explicabimus.

1 Et primo quoad Caſtitatem, certum quidem, & indubitatū eſt illum tali voto adſtrictū manere, quia illud annexum eſt ſtatui Epiſcopali, etiam per ſe, & ſeorſim à Regulari conſiderato, quinimo per conſecrationem Epiſcopalem non ſolum non tollitur, ſed etiam magis quodammodo conſeruatur; vnde eius obligatio aliquantulum augetur; nam ſi carnis peccato commaculetur Religioſus Epiſcopus effectus, peccabit non ſolum vt cæteri; ſed inſuper tamquam voti tranſgreſſor, imò grauius peccabit, quam Religioſus, & Sacerdos ob maiorem conſecrationem, & obligationem. Ità *Suar. de Relig. tom. 4. tract. 8. lib. 3. cap. 16. num. 5.* & alij communiter: verum hæc non

2 videntur ità vrgere vt opus ſit, hanc circumſtantiam in confeſſione explicare, niſi adiunctum fuerit ſcandalum, vel alias ſpecialis circumſtantia, quia illa ſola, nec ſpeciem malitiæ addit, nec Confeſſoris Iudicium grauiter immutat. Ità docent *Suar. vbi proximè, & tom. 4. in 3. part. diſp. 22. ſect. 4. nu. 1. Sanchez de Matrim. lib. 7. diſp. 27. à nu. 25. & in decalog. lib. 5. cap. 6. num. vlt.*

Nec etiam ab Obedientię voto eximitur huiuſmodi Religioſus, ſed id quodammodo limitatur, quia abſoluitur ab obedientia Prælatorum Regularium, manet autem adſtrictus obedire Summo Pontifici peculiari obedientiæ voto, vltra generalē obedientiā ab omnibus fidelibus ipſi debitam, & vltra peculiarem debitam ratione Iuramenti quòd omnes Epiſcopi præſtant ipſi Summo Pontifici obediendi. Et ſicut Generalis Religionis, qui licet nulli Superiori intra ipſam Religionē obedire teneatur, ſed tātum Summo Pontifici, non exinde obedientiæ voto eximitur, cum id ſit per accidens, eo quia Superiorem alium non habet. Ità Religioſus factus Epiſcopus per accidens Superioribus Religionis parere non tenetur, quia eius Superiores amplius non ſunt, ſed ad illum ſtatum euectus ſoluitur ab eorum dominio, ac ſoli Summo Pontifici ſubditur. Ità *D. Thom. 22. q. 88. ar. 11. ad 4. & q. 185. art. 8. & in 4. diſt. 38. q. 1. art. 4. Nauarr. Comment. 3. de Regular. num. 46. Henriq. lib. 20. de Sacram. ordin. cap. 33. in fine Azor part. 1. inſtit moral. lib. 12. cap. 7. q. 1. Gregor. à Valent. 2. 2. diſp. 10. q. 3. punct. 8. verſ. ſecundo certum eſt, Suar. tom. 2. de Relig. tract. de voto lib. 6. cap. 7. num. 10. Vaſquez. 1. 2. q. 96. art. 4. diſp. 165. cap. 8. num. 95. in fine Sanch. qui plures congeſſit in præcept. Decalog. lib. 6. cap. 6. num. 2.* & alij quos retulimus *d. diſp. de poteſt. Abbat. & Prælat. Regular. circa vot. Paupert. d. q. penult.*

DISPOSITIO XXIII.

Poteſtate Abbatum, & aliorum Prælatorum Regularium ad vota irritanda.

Quæſ. 1. Vtrùm Abbas poſſit vouere.
Quæſ. 2. Vtrùm Abbas Sæcularis curam Animarum habens, Religionis votum emittere poſſit.
Quæſ. 3. Ad quid teneatur Abbas ſi emiſit votum, quod adimplere non poteſt.
Quæſ. 4. Vtrùm Abbas ſubditorum vota irritare poſſit.
Quæſ. 5. Vtrùm Abbas ſubditorum vota, ſine cauſa, ac etiam ipſis inuitis, irritare poſſit.
Quæſ. 6. Vtrùm Abbas poſſit irritare vota ſubditorum ante Religionis ingreſſum emiſſa.
Quæſ. 7. Vtrùm Abbas votum ſubditi de tranſitu ad arctiorem Religionem irritare poſſit.
Quæſ. 8. Vtrùm Abbas poſſit irritare vota ſuorum Monachorum de eius licentia emiſſa.
Quæſ. 9. Vtrùm Abbas poſſit irritare vota ſuorum Monachorum Generalis, vel alterius Superioris licentia emiſſa.
Quæſ. 10. Vtrùm Abbas poſſit Nouitiorum vota irritare.
Quæſ. 11. Vtrùm qui Abbatis vicibus in Monaſterio fungitur, poſſit Monachorum vota irritare.
Quæſ. 12. Vtrùm Abbas poteſtatem ſubditorum vota irritandi alteri delegare poſſit.

QVÆ-

QVAESITVM I.

Vtrùm Abbas possit vouere.

SVMMARIVM.

1 *Abbates, aliijque Prælati nequeunt, absque Summi Pontificis licentia, emittere Vota, per quæ Vinculum, quo suis Ecclesijs, & Religionibus adstricti sunt, soluatur, vel ex quo suarum Ecclesiarum detrimentum oriatur.*

1 Respondeo dicendo, Abbates, aliosque Prælatos nullo modo votum emittere posse, per quod vinculum, quo suis Ecclesijs, & Religionibus obligati sunt, soluatur, nisi ex Summi Pontificis authoritate, & indulgentia; vt elicitur *ex cap. nisi cum pridem, de renunciat. & cap. licet, de regular. & cap. magna de voto, & voti redempt.* Insuper nec etiam licet eis facere votū aliquod, ex quo suarum Eccl. siarū, quibus præsunt, detrimentum oriatur *eod. cap. magna de vot. & vot. redempt.* vndè non possunt, longinquam peregrinationem vouere; quia diù à suis Ecclesijs, & Monasterijs abessent; Votum autem, per quod alij non scandalizantur, nec datur illis vagandi materia, (vt puta dicendi psalterium, precationes faciendi, & alia similia) non prohibentur emittere, tunc enim plus possunt mereri, *vt Innocent. Ioan. Andr. & Abb. Panormit. in cap. scriptura de vot. & vot. redempt.*

QVAESITVM II.

Vtrùm Abbas secularis curam animarum habens Religionis votum emittere possit.

SVMMARIVM.

1 *Votum Religionis emittere, ac Religionem ingredi potest Abbas secularis.*

2 *Fructus beneficiorum Nouitij ante professionem cui debentur.*

1 Qvilibet Ecclesiæ Præfectus, siuè Clericus, præter Episcopum, potest Religionis votum emittere, ac Religionem ipsam ingredi, vt voluit Abbas *in cap quod Dei timorem, de stat. Monach. & Sylu. verb. Religio q. 8.* Ratio est, quia vita Monastica est tutior, quàm vita, quæ in seculo ducitur. *Panormit. loc. cit. & in cap. licet de vot. & vot. redempt.* eorumq. beneficia nemo obtinere de Iure poterit, nisi post expressam, vel tacitam Religionis professionem: vel nisi constiterit euidenter, eos vitæ statum mutare
2 voluisse, *cap. beneficium de Regular. in 6.* si petas cui erogari debeant fructus abbatiarum, vel beneficiorum ante professionem ab eis emittendam, Quidam dicunt, eos deberi Monasterio in eius vsum, deducta tamen portione, quę substitutum respectu sui seruitij contingit. Ità *Sylu. verb. religio 2. q. 8. & Angel. verb. Nouitius, q 22.* Alij autē dicūt, eōs reseruandos esse, vt in vsus suę Ecclesiæ Abbatialis impēdantur, quod colligitur *ex c. quia sæpè de elect. in 6.* sed vtraq; sententia conciliari potest hac ratione, scilicet quòd debentur Monasterio, quando cōmodè, & sine eius detrimento eum sustentare non potest, si verò è contra, tunc eroganda sunt in vsum suæ Ecclesiæ Abbatialis, vel beneficialis; quæ conciliatio colligitur *ex Gemin. in d. cap. quia sæpè de elect. in 6.*

QVAESITVM III.

Ad quid teneatur Abbas si emisit votum, quod adimplere non potest.

SVMMARIVM.

1 *Abbates seculares, qui emiserunt votum quod reddere nequeant ad quid teneantur.*

2 *Abbates Regulares, qui emiserunt votum quid reddere nequeunt ad quid teneantur.*

Loquor in præsenti tam de Abbate Regulari Generali, siuè locali, quàm de seculari, & Commendatario; quibus, vel animarum cura tradita est, vel aliquod impedimentum habent, per quod emissa vota, vt puta longarum peregrinationum, & similia, adimplere non possunt; vndè queritur, ad quid in tali
1 casu teneantur. *Sylu. verb. votum. 3. q. 1. & verb. Religio 2. q 8.* videtur affirmare, Prælatos prædictos impeditos, ne longinquæ peregrinationis votum, vel alia similia adimplere possint, debere soluere impensas, quas inter eundum, commorandum, & redeundum fecissent; laborem verò eos commutare debere in vigilias, ieiunia præces, aliaque pietatis opera, quæ quidem sententiæ nostræ proponendæ conclusioni valdè consonat, maximè cum *Sylu.* non magis ad Abbates, quam ad Episcopos, aliosque Prælatos, imò potiùs ad Episcopos, suum assertum dirigat; præmissa ergò hac *Sylu.* sententia, dicendum est, Abbates seculares bonorū dominiū habentes, si vota emissa adimplere non possint, vt puta peregrinationis longinquæ, vel alterius similis, eos teneri ad soluendum expensas quas in talis voti solutione facere potuissent; laborem verò eum vigilijs, & pietatis officijs commuta-
2 re debere. Abbates verò Regulares, qui facultatem Monasterij dominium non habent, sed administrationem, qui, & Paupertatis voto adstricti sunt; cum huiusmodi expensas facere nequeant, debent sua vota eum pluribus vigilijs, præcibus, & ieiunijs, alijsque pietatis officijs commutare. Ratio est, quia satisfactio voti debet semper cum re licita conformari; non nego posse Abbates aliquas licitas eleemosynas, iuxtà suarum Congregationū Constitutiones, facere, vt suo loco dicetur, etiam in partem satisfactionis proprij voti, alia verò vota, quorum adimplementum illorum muneri non repugnat debent adimplere. Ità *Innoc. Ioann. Andr. Host. Butr. in cap. ex multa, & cap. penult. & vlt. de vot. redempt.*

QVAESITVM IV.

Vtrùm Abbas subditorum vota irritare possit.

SVMMARIVM.

1 *Votum, quid sit.*

2 *Vota quorum irritari possint.*

3 *Vota omnia Religiosorum sibi subditorum (excepto voto*

Voto arctionis Religionis) regulariter Abbas irritare potest.
4 *Vota Religiosorum irritandi potestas est in omnibus Abbatibus, & Prælatis Regularibus, tam supremis, quàm inferioribus.*
5 *Regulares Prælati habent facultatem irritandi vota subditorum, non ex potestate Ecclesiastica, sed ex potestate dominatiua.*
6 *Episcopus, ac etiam Summus Pontifex omnia Laicorum, ac Clericorum vota pro suo arbitratu irritare non potest, sed ea tantùm, quæ ipsius administrationi obesse possunt.*
7 *Papa omnia Religiosorum Vota irritare potest:*

1 PRo clariori huius quæsiti, & totius disputationis intelligentia notandum, quòd irritare Votũ nihil aliud est nisi per subtractionẽ materiæ, vel libertatis illius, qui vouit, illud cassare, vel impedire, ne obligãdi vim obtineat. *ex Soto lib.1.de Iust.et Iure, q.vlt.ar. vlt.& lib.7.q.4.art.1.& alijs communiter.* Notandum
2 quòd omnia eorum vota irritari possunt, qui subiecti sunt alteri, vel perfectè, & in omnibus, vel saltim quoad materiam, quam vouerunt. Quia nemo sub alterius potestate cõstituus, vouere potest in præiudicium illius non consentiẽtis; tum etiã, quia vota eorum, qui alterius potestati subsunt, pendent à consensu eius, & proindè censentur facta cum tacita quadã conditione, vel ex natura rei, vel ex iuris communis dispositione, nempe nisi superior, vel ille cui materia Voti subest, renuerit, ac contradixerit, vel cõsenserit, vt docent *Sanchez in opere moral.lib.4.c.24.nu.30.& 32. Less.de Iust.et Iur.lib.2.c.40.dub.10.n.69. Bonacc. in decalog.disput.4 q.2.punt.7.§.2 nu.e. Reginald.in praxi lib.18.n.296.& alij communiter.* His breuiter
3 notatis, pro solutione quæsiti dico. Primò, Abbatem regulariter omnia Vota Religiosorum (præter Votũ strictioris Religionis, de quo inferius) irritare posse: Quia Monachus post professionẽ non est amplius sui iuris, sed est traditus Religioni, & sub Abbatis potestate constitutus: Tum etiam quia ex dispositione Iuris in votis Religiosorum videtur inesse hæc tacita conditio: Nisi Prælatus contradixerit, vel si illi placuerit; vt docet *D Tho.2.2.q.88.ar.8.ad 4.* & itá constare communi vsu, & praxi Religiosorum testantur *Less.d.dub.10.num.74.vers.Respondeo, id colligi &c. Sanchez d.lib.4.c.24.n.30. Suar.de vot.lib.6.c.7. Reginald.d.lib.18.n.32e. Bonacc.d.§.2.n.26.* qui subdit, superiorem, non modo externa, verùm etiam interna subditorum vota irritare posse; quia in vtrisque eadẽ
4 ratio militat. Ita etiam *Suar.d.c.7 nu.8.* & hanc potestatem habent nõ solum Abbates Generales, sed etiã quicumque alij Abbates, & Prælati etiã Conuentuales; quia ad eos omnes obedientiæ Votum extẽditur, & ideò omnes acquirunt potestatem dominatiuam in subditorum voluntates Itá *Suar.d.c.7.n.17. Reginal. n.324. Sanch.d.lib.4.c.33.nu.15.* qui idem affirmat de Visitatoribus, dummodò tamen eorum iurisdictio ad certos actus restricta non esset.
5 Dico secundo. Facultas irritãdi Vota subditorum prouenit Abbati nõ ex potestate Ecclesiastica, sed ex potestate dominatiua, quam habet in Monachos sibi subditos, acquisitam per traditionem ab ipsis in professione factam, tradendo se, suamq; voluntatem Religioni, ac eius Prælatis. Itá *Suar.de Relig.to.3.lib.2. c.13.n.11.& c.18.n.7.& lib.6.de voto, cap.7. Armilla verb.votum §.12. Sot.d.art.1. Nauar.in Manual.c.12. n.64. Reginald.d.lib.18.nu.296.* & patet ex eo, quia multi habent potestatem irritandi vota, qui tamen Ecclesiastica iurisdictione carent, vt pater vota filiorum, maritus Vota vxoris, tutores, & curatores Vota pupillorum, & minorum, & domini vota seruorũ
6 irritare possunt, vt indicant Iura allegata à *Nauarr. d.nu.64.* Sicut contrà Episcopus vel etiam Summus Pontifex, qui habet supremam, ac plenissimam iurisdictionem in suos subditos circà res spirituales, tamen omnia Laicorum, aut Clericorum Vota pro suo arbitratu irritare non potest, sed ea solùm, quæ ipsius administrationi obesse possunt; vt docent *Nauar. d.c. 12.n.76. Sotus d.lib.7.q.3 art.1. Azor p.1.lib.11.c.17. q.3.vers.quares, Less.d.dub.10.n.86. Suar.de voto, lib. 6.cap.7. Roderic quæst.regul.to.1.q.25. art.5. Vasq.1. 2.disp.165.c.4 nu.30.& alij plures,* quos refert, & sequitur *Sanchez d.lib.4.c.24.n.18.& eq.* quibus addo *Suar.de relig.to.3.lib.2.c.18.n.7. Reginald.d.nu.296.*
7 *vers.at qui his. Bonacc. d.§.2.n.2.* Religiosorum autẽ Vota Summus Pontifex ideo irritare potest, quia in eos habet potestatem dominatiuam ex ui traditionis, quæ ad ipsum tãquàm supremum omnium Religionum Prælatũ extenditur, vt docẽt Doctores citati communiter, & alij plures apud *Sanchez d.c.24.n.20.*

QVAESITVM V.

Vtrùm Abbas subditorum Vota, sine causa, ac etiam ipsis inuitis, irritare possit?

SVMMARIVM.

1 *Abbas Monachorum sibi subditorum Vota sinè causa irritare potest.*
2 *Votorum irritatio in quo à dispensatione differat?*
3 *Vota suorum Monachorum sinè causa irritando Abbas peccat venialiter.*
4 *Vota subditorũ Abbas, etiã ipsis inuitis, irritare põt.*

1 DIco primò. Abbas potest suorum subditorũ Vota irritare, etiam si nullam habeat causam id faciendi. Quia cùm Vota Monachorum intelligantur facta cum ea conditione, si Abbas, vel alias Superior consenserit, aut non contradixerit; Abbas ea irritando, vtitur Iure suo: ideo pro solo suæ voluntatis arbitrio, & absque vlla alia causa id facere potest, & Monachus absoluitur ab obligatione, deinceps Votum seruandi, vt colligitur ex *c. puella, n.20. q. 2. & ex c. manifestum 33. q. 5.*

Præterea cõfirmatur, quia actus irritandi Vota nõ est actus iurisdictionis, quæ ad licitum vsum requirit causam; sed est actus potestatis dominatiuæ, ad cuius exercitium non est necessaria causa; quia vtens potestate dominatiua vtitur Iure suo. Atque itá docet *Nauar. in Enchir.c.12.n.65.* dicens, Votorum irrita-
2 tionem à dispensatione in eo differre, quia in irritatione nulla alia causa requiritur, nisi voluntas eius, qui irritandi potestatem habet; in dispensatione autem iusta causa, & rationabilis necessaria est, itá etiã *Sylu.verb.Votum 4.q.1. Soto de Iust.& Iure lib.7.q.3. ar.1.fol.mihi 188. Lessius de Iust.lib.2.cap.40.dub.10.*

nu.69. verf. vndè sequitur, Suar. alios citans lib. 6. de Voto.c.1.n.9. Reginal.in praxi lib.18. nu.302. plures alios refert, & sequitur *Sanchez in decalog. lib. 4. cap. 24. num. 11.*

3 Peccaret tamē venialiter Abbas, subditorū Vota, sine causa, irritando; quia absque causa bonum opus alterius impedire, malū est; præterea abuteretur potestate in spirituale Religionis, & subditorum bonū sibi tradita. Ita sentiūt *Sot. d. ar. 1. Clau. Reg. lib. 6. c. 10. n. 14. Nau. c. 12. n. 63. Valēt. 2.2. disp. 6. q. 6. punct. 6. col. 1. verf. ad quam irritationem, Suar. d. lib. 6. c. 1. & 7. Sanch. in d. c. 24. n. 13. Reginal. d. lib. 18. n. 303. Bonac. in decalog. disp. 4. q. 2. punct. 7. §. 2. nu. 1. & alij plures apud Sanch. loco proximè citato.*

4 Dico secundò. Abbas potest Religiosorum subditorum Vota, etiā ipsis inuitis, irritare. Quia potest, inuitis subditis, exercere potestatem circà rem, circà quam habet potestatem dominatiuam. Tum etiā, quia vrgentissima de causa potest, inuito vouente, dispensare; cum subditus superioris potestatē auferre nequeat, ergò potest, etiam inuito vouente, ea irritare, Atque ità docent *Clau. Regia lib. 5. cap. 8. nu. 6. Suar. d. c. 7. in fine Sanch. d. c. 24. nu. 25. Bonac. d. §. 2. num. 35. & alij apud Doctores citatos.*

QVAESITVM VI.

Vtrùm Abbas possit irritare Vota subditorum, antè Religionis ingressum emissa?

SVMMARIVM.

1 *Irritare potest Abbas Vota subditorum, ante professionem emissa.*

2 *Vota omnia per professionem in Religione approbata cessant, si professus habuerit voluntatem, in professione illa extinguendi.*

1 OMnes Doctores conueniunt, posse Abbatē subditorum Vota irritare, si eis noceant; vt clarè colligitur ex *cap. voluit, 33. q. 5.* tum quia omnis Monachi voluntas (vt dictū est superius) in Abbatis potestatem translata est; tum etiam quia Monachi magis subduntur Abbati, quàm vxor viro *c. non dicatis, 12. q. 1.* At maritus irritare potest vxoris Vota ante nuptias emissa *cap. noluit 33. q. 5.* Ergò ità à fortiori, Abbas irritare poterit Vota Religiosi, facta ante Religionis ingressum. Ità *gloss. expressè in d. cap. noluit, Azor. p. 1. lib. 11. cap. 17. q. 12. Sylu. verb. Votum, 4. q. 2. Clau. Regia lib. 7. c. 10. nu. 11. Sanch. in decalog.* Hæc

2 autem irritatio non videtur necessaria, quia omnia Vota per professionem in Religione approbata cessant; cum commutentur in Votum perpetuum Religionis, *cap. scriptura, de voto, & voti redempt.* Et hoc tùm fauore Religionis, tum etiam quia commutatur temporale obsequium in perpetuū, quod non est cōmutabile cum aliquo Voto, Ità *Abb. Panormit. in cap. peruenit* il secondo, *de Iuretiur. & in d. c. scriptura, num. 2 Roman. singul. 504. incip. capias tria, Felyn. super dicto cap. peruenit* il secondo, *col. 2. n. 2. verf. posset autem procedere, & in c. cum deputati col. 2. verf. nota quatuor effectus, de iudic.* vbi dicitur, quòd Votum quantumcumque maximum tollitur per ingressum Religionis. *Nauar. in manual. c. 12, num. 65. Bonac. in decalog. disp. 4. q. 2. punct. 7. §. 2. n. 26. verf. addo tertio.* Quod procedit, quandò professus in professione habuit intentionem Vota anteà emissa per illam extinguendi? quia si habuisset voluntatem illa per professionem non extinguendi; reputabuntur ac facta post professionem, ac proindè tempore plenæ subiectionis, & sic ad Abbatem spectabit, ea irritare. Ità ex *Sylu. loco cit. Sanch. in decalog. lib. 4. c. 31. nu. 3.*

QVAESITVM VII.

Vtrùm Abbas Votum subditi de transitu ad arctiorem Religionem irritare possit?

SVMMARIVM.

1 *Votum sui Monachi, de transitu ad arctiorem Religionem, Abbas irritare non potest.*

1 INter omnes ferè conuenit, Religionum Prælatos non habere potestatem ergà subditos, ad irritandum Votum arctioris Religionis, ab eis fortè emissum; & ratio est, quia Prælatus Regularis ea Vota subditorum irritare valet, quæ vel ratione materiæ quæ vouetur, vel ratione personæ vouentis eius potestati subdūtur; At Votum transeundi ad strictiorem Religionem neutro modo Abbatis voluntati subiacet: non ratione materiæ, quia imò per *cap. licet, de regular.* Subditus, renuente Abbate, arctiorem Religionem petere potest; nec ratione personæ, quia tunc directio personæ vouentis non amplius ad ipsum Abbatem pertinet. Atque ità docent *Less. de iust. lib. 2. c. 40. dub. 10. nu. 74. verf. excipitur tamen, Caiet. 2. 2. q. 88. ar. 8. Sot. de iust. et iur. lib. 7. quæst. 3. ar. 1. Azor. p. 1. lib. 11. cap. 17. q. 8. Suar. lib. 3. de voto c. 6. n. 23. & lib. 6. c. 7. n. 9. & c. 10. n. 16.* vbi testatur de communi, & alij plures apud *Sanch. in decalog. lib. 4. cap. 33. n. 2.* quibus addo *Reginald. in praxi lib. 18. nu. 321. in fine Bonac. in decalog. disp. 4. q. 2. puncto 7. §. 2. nu. 27.*

QVAESITVM VIII.

Vtrùm Abbas possit irritare Vota suorum Monachorum de eius licentia emissa?

SVMMARIVM.

1 *Irritare potest Abbas Vota suorum Monachorum de eius licentia emissa, non dum autem executioni tradita.*

2 *Irritando Abbas sine causa vota Monachorum de eius licentia emissa, peccat, sed tantum venialiter.*

3 *Consentire non censetur Abbas in votum sui Monachi per taciturnitatem, & dissimulationem.*

4 *Irritare potest Abbas succedens Monachorum vota, quibus consensit prædecessor æqualis.*

1 REspondeo dicendo, quòd Abbas licitè, ac validè irritare potest Vota suorum Monachorum, in quæ ipse anteà consenserat, æquè ac si absque eius licentia emissa essent; & subditi non peccarent, postea illa Vota non exequendo. Quia Abbas præstatione consensus nō abdicat à se dominium voluntatis subditi

diti, & rei ab illo; promiſſæ offerendæ per voti executionem; ergò tāquam Dominus retinet adhuc poteſtatem irritandi. Tum etiam quia in Votis Religioſorum ſemper ſubintelligitur illa conditio, niſi ſuperior aliquandò contradixerit; quæ conditio non amittitur per cōſenſum ſuperioris. Atque ita *Caiet. 2.2.q.88.art.8.dub.2.Nauar.in Manual.c.12.nu.37. Azor.inſt.Moral.par.1.lib.11.cap.17.q.6.Valent.to. 3.diſp.6.q.6.puncto 6.quaſt.3.Suar.de Relig. tom.2. lib.6 cap.8.à num.4. vbi teſtatur de communi, & alij plures apud Sanch.in decalog.lib.4.cap.27.nu.9.Reginald.lib.18.praxi n.304.Bonac.in decalog.diſput. 4.q.2.punct.7.§.11. n.28.* Hoc autem debet intelligi de votis emiſſis, nondum autem executioni demandatis; quia ſi ſubditus rem voto promiſſam reddidiſſet, Abbas nequiret illam reuocare, vt tradit *Sanch. loco cit.n.3.*

2 Peccat tamen Abbas ſi votum ſubditi de eius licentia emiſſum, abſque iuſta cauſa, ſed ex mera malitia, & ex proprio impulſus affectu irritat; quia aliquo modo diuinum cultum impediret; quod nemo negat; ſed non incurrit culpam pluſquam venialem id faciendo, quia non agit contra iuſtitiam, cum vtatur Iure ſuo: & ideo irritatio valida eſſet: nec agit cōtra Religionem, quia cum ipſe votum non emiſerit, nullum Votum violat; nec eſt cauſa violationis Voti; nam eum per irritationem Votu tollat, ceſſabit eius obligatio, & ſic vouens illud non violat. quod non contingit in impediente, abſque iuſta cauſa, vt Eccleſiaſticum præceptum non adimpleatur; nam non poteſt argui ab impediente ad irritantem; quia per irritationem ceſſat obligatio, non autem per impeditionem. Ità *Suar.d.lib.6.c.4. in fine Bonac.d.§.2. n.29. cum alijs contra Leſſ.lib.2.de iuſt.c.40.dub.13. nu.76. Nauarr.d.cap.12.nu.73 Sanch.d.c.27.nu.32. Regin. d. num.304. & alios.*

3 Si autem Abbas tacendo, & diſſimulando cēſeatur in Votum conſentire, dicendum eſt, per ſolam taciturnitatem, & diſſimulationem non cenſeri Abbatem in Votum ſui ſubditi conſentire, ac illud approbare, niſi habeat internum illius approbandi cōſenſum; nec ſufficeret conſenſus merè internus, neq qualibet Abbatis taciturnitas, Voto audito; ſed neceſſarium eſſet, audire ab ipſomet ſubdito proponente illud Abbati, & petente, vt licentiā exequendi præſtet. Ità docent *D.Tho.in 4.diſt.32. in fine, Caiet. in c.30.nu.in fine, Suar.d.lib.6.c.4.n.20. & cap.6.nu.14. Sanch.d.lib.4 cap.27. à num.46.*

4 Si quæras, an Abbas æqualis, qui ſucceſſit in munere alicuius Abbatis, vel in eius locum ſubrogatus eſt, poſſit, ſinè cauſa, irritare Vota Monachorum, auctoritate illius præcedentis emiſſa, & nondum executioni demandata. Reſpondeo quod licitè; & validè ſine vlla cauſa id facere poteſt æque, ac ſi abſque licentia emiſſa fuiſſent; quia cum par in parem non habeat imperiū *cap. Innotuit, de elect.* æqualis ſuperior, qui præceſſit, concedendo illam licentiam, non potuit ſuccedenti æquali præiudicare, quominus poſſet liberè, & ſinè vlla cauſa vota illa irritare, æque ac ſi abſque licentia, & propria auctoritate emiſſa forent. Ità *Ledeſma 2. tomo Summæ, tract. 10. cap. 7. dub. vlt. dict. 11. Suarez d.lib.6.cap.9. nu.vlt.Sanch. d.cap.27. num.36. Reginald.d.lib.18.num.324. verſ. vnum eſt.*

QVAESITVM IX.

Vtrùm Abbas poſſit irritare Vota ſuorum Monachorum, Generalis, vel alterius Prælati ſuperioris licentia emiſſa.

SVMMARIVM.

1 *Irritare non poteſt Prælatus inferior Vota ſubditorum, de licentia Prælati ſuperioris emiſſa.*

2 *Inferior Prælatus ſuſpendere poteſt Monacho iuſta de cauſa vſum licentiæ habitæ à Superiore circa Votum.*

Videtur, quòd ſic; maximè ſi loquamur de Monacho, qui ſolemnem profeſſionem in manus ſui Abbatis emiſit; quod ita probatur. Ad poteſtatem dominatiuam ſpectat Voti irritatio, vt benè probat *Suar.tom.3.de Relig.lib.2. c.18.n.7.* ſed Abbas ſolus in hoc caſu habet poteſtatem dominatiuam in Monachum: ergò Abbas poterit irritare votum ſui Monachi emiſſum authoritate Abbatis Generalis Maior affirmatur à *Suar. loc.cit.* Minor ſic probatur. Nam per emiſſionem profeſſionis ſolemnis cōtrahitur poteſtas dominatiua, ſed Monachus ille emiſit ſolemnē profeſſionem in manus Abbatis; ergò poteſtas dominatiua contracta eſt in Abbate, ac per cōſequens Abbas, qui tali dominio vtitur in Monachum, poterit illius Vota irritare, etiam ſi auctoritate Abbatis Generalis, vel alterius Superioris eſſent emiſſa. Dicendū tamen eſt, his non obſtantibus, Abbates inferiores nō poſſe votum de licentia Generalis, vel alterius Superioris emiſſum irritare: probatur, quia inferior geſta à Superiori retractare nequit, cum inferior non habeat poteſtatem ſuprà Superiorem, ſed poteſtas inferioris dependeat à Superiori: quia poteſtas dominatiua in Religione, reperitur in Abbatibus cum hoc ordine, vt prius ſit in ſuperioribus, deinde in inferioribus, non autem è contrà. Vndè ſi Abbas inferior irritaret Votum de Abbatis Generalis licētia emiſſum; tolleretur, & euerteretur ille ordo.

2 Poteſt ſi quidem Abbas inferior ſuſpendere ſubdito vſum illius licentiæ aliqua iuſta de cauſa, donec Superiori, à quo facultas obtenta eſt, cauſæ illius facultatis reuocandæ ſignificentur. Ità *Suar.to.2.de relig.lib.6.c.8. n.3. Roderic. in Summa, par. 2. cap.91. num.7. Sanch.in decalog.lib.4. cap.27. num.2.*

Ad argumentum reſpondetur, Monachum ſuam profeſſionem emittere in manibus Abbatis Generalis, vel ſuperioris, cui primò, & principaliter obedientiam promittit; ſecundario verò in manus Abbatis illius Monaſterij: ideò poteſtas dominatiua contrahitur primò in Abbate Generali, & Superiori, ſecundariò in Abbate locali.

QVAESITVM X.

Vtrùm Abbas poſſit Nouitiorum Vota irritare.

SVMMARIVM.

1 *Vota Nouitiorum irritare non poteſt Abbas; quamuis tamen Vota perſonalia probationem impedientia ſuſpendere poſſit.*

R 2 2 Vota

2 *Vota Nouitiorum in melius commutare potest Abbas; quod etiam Confessarius, & ipsemet Nouitius facere possint.*

3 *Vota Nouitÿ suspensa, an eo Religionis habitum dimittente, reuiuiscant.*

1 RESpondeo, quòd Abbas Nouitiorum Vota irritare non potest; quia Nouitij adhuc sunt sui iuris, nec dum sunt in Abbatis potestate, nisi quatenus ad probationem conducit, & ideò Nouitiorum Vota personalia, si probationi impedimento sint, suspendi poterunt; quia Votum non debet esse impeditiuum maioris boni; sicut censetur esse, quando est contrarium prædictæ probationi, necessariæ ad Religionis professionem, quæ est præstantior omnibus Votis, cũ in se omnia alia eminenter contineat; Ità *Sylu. verb. Votum 4. q. 7. Azor. p. 1. lib. 11. cap. 17. q. 20. Nauarr. in Manual. cap. 12. nu. 65 Less. de iust. lib. 2. c. 40. dub. 10. n. 77. Clau. Regia lib. 6. c. 10. nu. 15. Suar. de Voto lib. 6. cap. 7. Sanch. in decalog. lib. 4. c. 33. nu. 28. 32. 33. & 34. Reginald. lib. 18. num. 323.* Quapropter realia Nouitiorum Vota non possunt ab Abbate suspendi; quia Regularem obseruantiam, & probationem non impediunt. Ità *Less. loco citato. Suar. d. cap. 7. n. 12. & cap. 12. n. 8. Barth. à S. Fausto in thes. Relig. lib. 2. q. 178. Azor. d. lib. 10. cap. 19 q. 21. & aly apud Sanch. d. c. 33. n. 36.*

2 Posset autem Abbas, sicut etiam Confessarius, quinimò & ipsemet Nouitius sua Vota in onera Religionis commutare, quia commutatio fit in illud, quod est manifestè melius: quilibet autem Votũ suum in euidenter melius commutare potest, subrogando in locum Voti emissi materiam magis Deo acceptam, *cap. peruenit, de iuramenti. Ità Less. d. dub. 10. & dub. 11. n. 93. Suar. loco cit. & to. 3. de Relig. lib. 5. cap. 11. n. 9. Sanch. à d. n. 36. Clauis Regia, & Azor. vbi proximè, Bonacc. in decalog. disp. 2. q. 2. p. 7 §. 2. nu 32.*

3 Notandum tamen, quòd si Nouitius, facta huiusmodi suspensione, ante professionem Religionis habitum dimitteret, reuiuisceret prior voti obligatio; quia eius suspensio tantùm facta fuit pro tempore Nouitiatus. Ità *Less. d. dub. 10. n. 77. vers. quando Votum, & d. dub. 11. n. 93. in fine, Suar. de Relig to. 3. lib. 5. c. 11. num. 9. & Sanch. num. 39.*

Quod est intelligendum, nisi Nouitius emisisset ea Vota pro tempore tantùm ac statu Nouitiatus: qui a eũc finito illo tempore, ac statu relicto, vota nõ obligarent; non quia irrita sint, sed quia transactum est tempus quò obligabant, vt tradunt *Suar. d. num. 9 & Sanchez num. 40.*

QVAESITVM XI.

Vtrùm qui Abbatis vicibus in Monasterio fungitur, possit Monachorum Vota irritare.

SVMMARIVM.

1 *Vota Religiosorum irritare possunt Vices Abbatum gerentes, si generalem facultatem, & iurisdictionem habeant.*

2 *Prior Claustralis in Abbatis absentia Religiosorum Vota irritare potest.*

1 RESpondeo, quòd si Abbas simpliciter alicui vices suas committit, censetur etiã ei tradidisse facultatem vota irritandi; quia vices suas alicui committens, nihil sibi reseruat, sed generalem iurisdictionẽ ad omnes causas, & negotia illi tradit, per *tex. in cap. Venerabili, & ibi Panormit. num. 11. de offic. delegat. Innoc. in cap. Super quas bonum, eod. tit. idem Panor. in cap. cum Bertoldus n. 21. de sent. & re iudicat.* Vndè qui huiusmodi vicariã iurisdictionem generalem ad omnes causas ab Abbate obtinet, ea vota irritare poterit, circa quæ ipsiusmet Abbatis auctoritas fertur. Secus erit dicendum; si limitatè iurisdictionem ad aliquas tantùm causas, vel negotia habuerit; quia tunc commissionis terminos excedere ei nõ liceret. Ità in terminis *Clauis Regia lib. 6. num. 16. Azor. Inst. Moral. par. 1. lib. 11. cap. 17. q. 3. Sanch. in decalog. lib. 4. cap. 24. num. 23. & cap. 27. num. 36. Suar. de Voto lib. 6. cap. 8. num. 10. Reginald. lib. 18. num. 324. Bonace. in decalog. disp. 4. q. 2. pun. 7. §. 2. num. 31.*

2 Ex quibus patet, quod Priores Claustrales, absente Abbate adeò vt suum munus per se ipsum cõmodè ministrare non valeat, possunt Religiosorum Subditorum Vota irritare: nam ijs, in Abbatis absentia, omnimoda illius auctoritas comparatur.

QVAESITVM XII.

Vtrùm Abbas potestatem Subditorum Vota irritandi alteri delegare possit.

SVMMARIVM.

1 *Delegare alÿs potest Abbas potestatem, Subditorum Vota irritandi, etiam si esset excommunicatus vitandus.*

1 RESpondeo affirmatiuè; quia cum Abbas sit legitimus, & Ordinarius suorum Monachorum superior, nihil obstat, quominus potestatem Vota irritandi possit alteri delegare; quia delegare facultatem irritandi Vota, nil aliud est, nisi cõmittere potestatem irritandi actum gestum, absque Domini consensu, quã potestatem quilibet Dominus concedere potest ad rescindendam rei suæ alienationem, ipso inconsulto factã. Ità *Suar. de Relig. to. 2. tract. de voto, lib. 6. c. 56. n 25 et lib. 7. c. 7. n. 17. Sanch. in decal. lib. 4. c. 24. n. 54. Bonacc. etiam in decalog. disput. 4. q. 2. punct. 7. §. 2. n. 31. vers. ex quo licet, &c.* qui eũ eodem *Sanch. vbi suprà n. 55.* subdit, Prælarum hanc potestatem delegare posse, etiã si esset excommunicatus vitandus. Ratio est, quia facultas irritandi vota (vt supra dictum est) non prouenit Abbati ex potestate iurisdictionis, sed ex potestate dominatiua, quam etiam excommunicatus in suos subditos exercere potest: ità ea delegatio non est actus iurisdictionis, sed sola licentia, siuè mandatum potestatis dominatiuæ, substituentis suas vices ad vota illa irritanda; sicut valeret potestas ab excommunicatis tradita ad rescindendam, & annullandam alienationem rerum suarum.

FINIS.

INDEX

Digitized by Google

INDEX
ALPHABETICO ORDINE DIGESTVS,
OMNIVM QVAESITORVM.
Quæ in hoc Secundo Tomo continentur.

R ACCI-

I N D E X.

vno

Irre-

Digitized by Google

L

M

N

O

Noui-

Digitized by Google

I N D E X.

P

INDEX

R

S

T

V

Vota

Digitized by Google

F I N I S.

FINE

Digitized by Google

B. SA... ...ZZA
RESTA... 1971
Via Val Sa..., 69
Tel. 899.233